




**In haereticis coercendis quatenus progredi liceat: Mini Celsi  
Senensis disputatio. : Vbi nominatim eos ultimo suppicio  
affici non debere aperte? demonstratur.**

<https://hdl.handle.net/1874/422690>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>**

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnde
  - de staartsnede
  - het achterplat


**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>**


**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**


- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

E. Oct.










E. oct.

274<sup>3.</sup>



[ex dono Buchelii]

E 84.274 3/


IN HÆRE-  
TICIS COER-  
CENDIS QVATE-  
NVS PROGREDI  
LICEAT:

MINI CELSI SENENSIS  
DISPVVTATIO.

Vbi nominatim eos ultimo suppli-  
cio affici non deberē aperte  
demonstratur.



CHRISTLING AE:  
Anno M. D. LXXVII.



# AEQVIS ET PIIS LE

ctoribus, Typographi nomine S.

I. F. D. M. D.



Ts fortassis quibusdam  
mirū videri posset, hanc  
Disputationem , De in  
Hæreticos animadver-  
sione, hoc tempore præ-  
cipuè edi, quòd ea jam  
dudum, statim etiam in initijs refulgē-  
tis synceræ Religionis, mota, discep-  
ta, & vt hodie quidam sibi persuadent,  
satis superque discussa decisaq; habeat-  
ur: ij tamen mirari desinent, si hinc in-  
de , ex omnibus mundi partibus dispi-  
ciant atque considerent, quibus tumul-  
tibus, quibus lanienis, cedibus, insidijs,  
seditionibus, & acerbissimis intestinis  
domesticisque bellis, in omnibus ferè  
nationibus, Regnis, ditionibus, & qui-  
busvis propemodum civitatibus & op-  
pidis, hæc Quæstio, De ferendis aut oc-  
cidendis Hæreticis, causam præbuerit,  
& adhuc prohdolor, nullo puncto fe-

\* ij

## P R A E F A T I O

rē temporis intermisso, præbeat: & nisi  
mansuetudine Christiana pvideatur,  
præbitura indeſ est.

Quod enim hodie Religionis nomi  
ne fuscipitur bellū, aut instituitur pro-  
pugnatio & defensio ( fuscipiuntur ve-  
rò & instituuntur hoc prætextu expedi-  
tiones pleræq;) ubi non hoc caput con-  
troversiæ, de Hæreticis trucidandis aut  
tollerandis, versetur in disceptatione?  
Clamant ex vna parte hi, Duas Religio-  
nes in eodem regno, in eadem ditione  
& vrbe ferri non posse, & ideo alteram  
exterminandam: Ex altera parte illi, &  
posse & necessariò pacis causa ferendas  
contendunt, & ideo alteram defenden-  
dam. Hi, A fide Catholica deficientes,  
omni supplicio excruiatos necандos,  
cremandos, torrendos, profligандos,  
& quasi execrabilis & Catarmata extir-  
pандos: Illi ècontra: patienter ferēdos,  
docendos, admonendos, & sana doctri-  
na atque rationibus instruēdos & con-  
vincendos. Hinc, cum res argumentis  
transfigi nequit, prosilitur ad arma, vi-  
gerit res, madēt sanguine campi, insi-  
dia

## AD LECTOREM.

diæ comparantur , sicarijs præmia proponuntur, magistro carnifici homines docendi subjiciuntur: non unus aut alter belli dux paucis cum cohortibus turmatim, sed totæ nationes signis collatis de huius arcis possessione hostiliter cōfligunt, miserrimā stragem Christianorum edunt: omnia loca infinitorum hominum sanguine funestantur, in patriæ viscera sœvitur: hi oppugnatorum, illi propugnatorū nomine opiniones suas armati tuentur: quælibet fastio Religionis zelo duci vult, & alterā ea re impietatis, perduellionis & læsæ Maiestatis reā incusat, quælibet se hoc titulo in martyrum loco reponit: hi armis illos aut extirpare, aut cōditiones illis ex libidine imponere pro viribus contendunt: illi conscientiarum libertatem armis adserere, & immunitates extorquere acriter enituntur : pugnatur totis annis, neque dum depugnatum est.

An-nō hæc ita hodie vsuvenire quilibet nō ignarus rerum affirmabit? an-nō unius hujus quæstionis occasione,

## P R A E F A T I O

De H̄ereticis devitandis, vel de vita tol  
lendis, (sic. n. quidam Etymo-h̄eretici  
Devitandi verbo quondā abutebātur) in certamē utrinq; Christianos descen  
dere asseverabit? sane nullus sanæ men  
tis hoc poterit negare, hanc ipsam He  
lenam esse, de qua universæ nunc gen  
tes hostilem in modum cōcurrunt: hu  
ius causa solum tot exules & extorres  
oberrare, copias parari, rumores bell  
icos spargi, civitates expilari, agros re  
gionesque devastari.

• Ut jam taceam, tubas illas turbarū,  
latrociniorum, seditionū, & faces bel  
lorum, famosos illos Inquisitores fu  
mosos & Vulcaneos H̄ereticæ pravita  
tis, à quibus malo exemplo omnis hæc  
Mahometica ratio homines ad fidem  
cogendi, dimanavit: & de quibus satis  
jam constat, illorum igneum furem  
hoc proprij ferre, ut cœlum terræ mi  
scat.

Cum igitur quæstio hæc & disputa  
tio tanti sit, ut propter eam, & pro eno  
datione eius, vita amittatur, (ne dicam  
perdatur) sanguis, tanquam aqua, ut lo  
quitur

## AD LECTOREM.

quitur Psalmistes, indies profundatur,  
& ipsa anima periclitetur: quis tam ve-  
cors erit, qui nō judicet, authorem hu-  
jus libri, in tanti momenti materia in-  
daganda, & ad sacræ scripture normam  
examinanda, optimè studiū suum col-  
locasse: hoc præsertim tempore, cum  
ea maximè igne ferroque discutiatur;  
satius & compendiosius rationibus dis-  
cutienda.

Ipsum etiam Typographum, nō in-  
dignè operā suam collocasse, in ea pu-  
blicanda, cum ea multum in commu-  
ne referat, & non paucorum hominū,  
sed multorum populorum, totarum-  
que nationum intersit.

Et hodie eò magis, quia nunc etiam  
hæc violenta ratio, & ut ita dicam, vio-  
lentus Christianismus, imò abomina-  
tio desolationis, in ipsam veram Eccle-  
siam, quę hactenus persecutionib⁹ con-  
stanter perferēdis crevit, & se à Caini-  
ca illa & innocentium sanguine crue-  
tata vendicavit, videtur velle irrepere,  
& possessionem in loco sancto qua-  
rere.

## P R A E F A T I O

Quod malum, ut Deus Opt: Max: clementer, his jam satis superq; turbulentis temporibus avertat, est summo per repetendum, accurateque circumspiciendum, quod ipse remediū huic in commodo ostēdat: In primis verò hac in re providendum, ne ullius pij Prophetæ aut Doctoris admonitionē spernamus, licet à quibusdam *λοξονοσόφοις*, & vt Apostol<sup>o</sup> loquitur, spiritu tumen tibus, negligatur atque rejiciatur: imò magis considerandum, quod Christus scripturarum suarum penū nulli claudat, qui etiam quondam pastoribus impertijt spiritum Propheticum. Probandi spiritus sunt: & D. Paulus spiritum non phiberi vult, sed optat ut prophetent omnes: Et Moses rogatus, ut prohibeat Heldad & Medad à Prophetia: Quis, inquit, tribuat, ut omnis populus prophetet? & det eis Dominus spiritum suum? Nonne ipsa met Sapientia dixit, Parvulis multa esse revelata, quæ abscondita sint sapientibus? in summa, Spiritus Domini super humiles requiescit.

Quare

## AD LECTOREM.

Quare rogatos & adhortatos omnes pios & æquos Lectores volo, ut cōmonitionem Divi Pauli ad Romanos attendentes, non evanescant in cogitationibus suis, & obtenebrent cor, dicentes se esse sapientes. Legant, inquā, hæc placida & plena charitatis Christianæ scripta, divino Zelo exarata, & eò maximè edita, ne crassus hic error, in perniciem vitæ, animarū atq; conscienciarū vergens, Ecclesiā sanam inquinet vel corrumpat. Legant autem mansuetè & syncerè, ita, ut admoniti Deo gloriam tribuāt. Curent præcidi tandem, quantū in ipsis est, causam modò grafsantiū, & (nisi emendatio fiat) multorū deinceps semper magis magisq; ingrauescentium malorum atq; tumultuū, nempe popularem hanc opinionem, quæ animis magistratus & plebis indies instillatur, quosvis à fide paulisper aberrantes esse necandos.

Nam certè, bella hæc æterna, quæ hodie undique furorem suum exerunt, non alio loco habenda sunt, quam justissimæ pœnæ, nostræ intestinæ crude-

## P R A E F A T I O

litatis, & saevitiae in propria membra: quę nihilominus interim à Christianis quibusdā, qui se fortes fide existimant, & propterea debiles apud se ferre recūsant, impiè divini nominis Zelo tegitur: cum tamen apertè hac via declarent, se plus homines odiſſe, quàm vitia.

Redeat in memoriam, cuius spiritus filios vos Salvator dixerit. Ponite ante oculos primitivam Ecclesiam. Proponite 318 illos Episcopos, qui in Concilio fuerunt Niceno, centum quinquaginta illos Episcopos in Concilio Constantinopolitano, ducentos in Ephesino, 630 in Chalcedonico: quorum nullus unquam alij armis putavit depugnandum contra Arrianos, Macedonianos, Nestorianos, & alios hæreticos, convictos & condemnatos de hæresi & blasphemia in Trinitatem, quàm ipso gladio verbi Dei. Item Atigustinū, qui contra Cresconium Grammaticū, maximè propter hæreticos vult in Ecclesia disputatoriam artem retineri: Item Chrysostomū, qui Origenis se-  
ctatores

## AD LECTOREM.

Etatores in Ecclesia sua tulit Recorden-  
tur, violentiam hanc conscientiarum  
solùm hypocritas parere: & consci-  
entias ipsas vulnerari: quia omne, quod  
non fit ex fide, peccatum est.

Vis me in viam reducere , placidè a-  
gas,hoc est, Christianè: Charitas Chri-  
stiana patiens est , benigna est, charitas  
non invidet, non inflatur, non est fasti-  
diosa, non irritatur, omnia suffert, om-  
nia sustinet. Vis me ex luto,in quod lap-  
sus sum,eximere : quid ergo calcib<sup>9</sup> pe-  
tis,ut plane peream? Erro; humani m-  
est:ergo humaniter ferendus:fortis es,  
vide ut ita stes, nē cadas;ex parte cognos-  
cimus, & ex parte prophetamus. Do-  
ce errorem, lucrifacies animam : sed in  
corpus sæviens , corpus perdes : at ani-  
mam in Dei potestate collocatam si-  
nes , & tu conscientiæ sollicitudine ve-  
xaberis, redditurus aliquādo rationem  
Deo. Vi si agas,suspicionem mihi com-  
moves, te non esse boni illius pastoris  
alumnum, qui aberrantem oviculā pla-  
cidè quæsivit, humeris imposuit , & ad  
cæteras adgregavit : imò suspicionem  
moves,

## P R A E F A T I O

moves, ut te pro hæretico habeā: quia rectè quidam Doctorum scripsit: Occidentes hæreticos, eo ipso, se re-vera hæreticos esse, arguere.

Quid Canones obijcis? qui ad stabiliendam Pontificiam tyrannidem sunt inventi & consuti: quid Constitutio-nes Imperatorum? quæ non sibi constant, & scepius pro ingenio hominum sunt variatæ. Ex s. scriptura præceptum aut exemplum prome: non facies: nisi maiorem umbræ, quam corporis rationem ducas. Ex Patribus? & id-ipsum etiam ex sanioribus vix: quia quoque à minus antiquis Doctoribus, rationem hanc cum hæreticis agendi, improbari, facile ostendi potest. Vnicum solum S. Bernhardū audiamus, cui magna cum hæreticis Albigēsibus res fuit: ille ergo in Cātica canticorū serm. 64. sic scribit.

Capite nobis (ait Propheta) uulpes paruulas, quæ demoliuntur uineas.) Si iuxta allegoriam Ecclesiæ uineas, uulpes hæreticos intelligamus, simplex est sensus, ut hæretici capiantur potius quam effugētur: capiantur, dico, non armis, sed argumentis: reconciliantur Catholice, reuocentur ad ueram fidē: Hæc est enim uolūtas eius, qui uili omnes homines saluos fieri.

## AD LECTOREM.

ri; & ad agnitionem ueritatis uenire. Hoc deniq; uel  
le se perhibet, qui non simpliciter, Capite uulps, sed  
capite, inquit, nobis: sibi ergo & spōse sue. Itaq; di  
ſputans cum hæretico, eò eniat, ut eum cōuerat:  
cogitans illud S. Iacobi, qui conuerti fecerit peccato-  
rem ab errore, saluabit animam eius à morte, & ope-  
rit multitudinem peccatorum: Quod si conuictus re-  
uerti noluerit post primam & secundam admonitio-  
nem, erit secundum Apostolum deuitandus. Nec sane  
nihil se egisse putet, qui hæreticum conuicit, aut saltē  
praua esse dogmata demonstrauit: cepit enim nihil  
minus uulps, et si non ad salutem illi, attamen spō-  
so & spōse. Nam si hæreticus non surrexit de fece,  
Ecclesia tamen confirmatur in fide, &c.

Possent & alij Doctores pro confir-  
matione huius sententiæ adduci, sed  
cū id ab authore hujus libri in sequen-  
tibus abundè præstetur, malo hīc subsi-  
stere quam diutius æquum Lectorem  
ab eorum lectione detinere.

Hoc solum adhuc Typographi no-  
mine indicare ejus rogatu volo, & cùm  
hic liber post auctoris mortē in manus  
ejus devenisset, multūm diuq; dubitas-  
sc, num typis eum suis in publicum ede-  
re deberet. Duo autē præcipue eum ab  
eo vulgādodeterrebant. Vnum, quod  
operi, uti res ipsa testabatur, nunquam

extrema

## P R A E F A T I O.

extrema manus imposita fuisset: alterum, q̄ se in odium & offensionem eorum omnium plane incurſurū sentiebat, aduersus quos author, pro suæ opinionis defensione, & ipsius veritatis illustratione calamum stringere coact⁹ fuit: quorum potentia & auctoritate facile fieri posse videbat, ut libri distractio nō mediocriter impediretur: Quare neq; ipsi⁹ auctoris famæ, neq; rei suæ familiari satis ea ratione consultū fore videbatur. Vicit nihilominus tandem apud eum communis Ecclesiæ utilitas, quam nō exiguam futuram, p̄ij docti⁹; quam-plurimi viri ipsi⁹ confirmarunt. Dat igitur tibi, optimè Lector, p̄ij, ut apparet, & docti hominis, imperfectas qđem adhuc, sed tamen minimè poenitendas de re maximi momenti, & hodie inter Theologos maximè controversa, copiosas lucubrationes: quas si eo animo & suscepseris & perlegeris, quo & ab eo dantur, & ab auctore scriptas credendum est, nō dubito quin & authoris cōsilium, & Typographi operam sis probaturus: indeq; non medio-  
crem

## AD LECTOREM.

crem fructum reportatur<sup>9</sup>. Id te unum  
obnixè rogas, ut graviora errata, quæ  
inter excudendum irrepserunt, non so-  
lùm, antequam ad legendum accedas,  
juxta emendationem, quam ea de cau-  
sa ipsi operi præfixit, corrigere memine-  
ris, sed etiam magna ex parte ipsius au-  
tographi, alicubi valde obscuris notis,  
inconcinnæq; ac vehemēter ubiq; per-  
turbatæ scriptio[n]i tribuere, ipsiq; beni-  
gnè condonare velis. Vale.

## ERRATA ERGO SIC COR- rigito.

A 5 a 24 ueritatis p[ro]era patrocinium. ueritatis pa-  
trocinium. fol. 1 b 3 utrinq; utrumq; 4 a 1 Esaias  
quoq; Esaias autē. 5 b 5 malitiosē. malitiosē faciunt.  
19 tantisq; sanctisq; 8 b 21 perpetratur. perpetrat.  
9 a 11 hæreticū. hæresim. 10 a 19 Paulus. Pauli. 22  
quā. quū. b 9 posui. potui. 12 b 18 sensi. sciens. 15 b  
34 & uolūtarie. uoluntarie. 16 b 10 potiusq; potius  
quam. 22 matris. mauis. 26 a 1 uitiorum. uitiosum.  
27 a 12 superet. cuperet. b 5 dipuuntur. diluuntur. 30  
a 12 morutis. monitis. 14 ducit. dicit. 31 a 14 descen-  
scente. desciscent nē. 34 a 18 pios. piorum. 40 a 17  
parabolam. parabolæ. 50 b 12 Angelos. Angelorū.  
b 3 parserit. pars erit. 22 scelestium. scelestorum. 55

a 25 pall.

a 25 paucis.pacis. 56 a 26 nihil plus.nihil amplius.  
58 a 1 ostensis.ostentis. 61 b 29 quia. quin. 62 a 27  
abolire.abolere. b 21 mollicetur.moliuntur. 67 a 22  
ad nos.at nos. 74 b 8 speciosius & plausibilis.spe-  
ciosis & plausibilibus. 76 a 2 egrius.egeris. 80 a 25  
Eradi.Erudi. 27 pius.prius. 82 a 2 operationem.ope-  
rationum. 83 a 8 sordidatas.sordidata. 84 b 18 sic ha-  
bent quidam codices moriendo : hæc uerba expun-  
genda sunt,& in margine scribendum. moriendo sic  
habent quidam codices. 29 puniti.puniri. 89 b 17 si  
quæ.si qua. 20 uel &. uel etiam. 90 b 27 querat.  
queat. 93 a 9 Ad.At. 94 b 18 ut in.in. 107 a 2 proxim-  
um uenit expungendum. 123 b 10 Quod. quod si.  
126 a 4 criciter.circiter. 127 a 10 Blasphemie.Bla-  
phemæ. 127 a 16 nitum.uitium. 127 b 19 Insontes.  
In siontes. 135 a 8 legibus.legimus. 141 a 21 oni.oue.  
161 a 8 falsi.falli. 164 a 16 Peruersè.Peruersa. 167  
b 27 &.ex. 172 b 6 nos.uos. 175 a 18 &.é. 176 a 22  
nominis.nomine. 187 a 7 morsalem.moralem. 208 a  
13 electionem.electionem. 224 a 3 authoritate.aau-  
thoritatem.

NVL-

PRO O E M I V M .



VLLAM prorsus habet  
verus ille, antiquus , per-  
petuusq; hominis hostis  
Satanas, breviorem, cer-  
tiorem, tutioremq; eius  
lædendi viam, quām, si se ipsum in lucis  
angelum vertens , rem Deo gratam,  
hominiq; salutarem esse, eam suis arti-  
bus persuadeat, quæ Deo quidem exe-  
crabili sit odio , homini autem sempit-  
ernum pariat interitum. Qua enim  
persona fraudum suarū faciem velare  
potest , quæ ad eas contegendas ~~er~~  
aptior, quā, si nomine Christiano ipsas  
obnubat? Ex hoc fonte manarunt mul-  
tiplices illæ cædemq; sævissimæ ho-  
dierni Antichristi insectationes in eos,  
qui divini numinis afflati spiritu , ex  
mentis oculis excussa caligine , diuinæ  
lucis ductu , Evangelij veritatem am-  
plexi fuerant : dum homines Satanæ  
technis decepti, non solùm veros Chri-  
stianos veros esse hæreticos persuasum  
habuere , verum etiam adversus eos  
igne ferroq; sævire ,ad Ecclesiæ Christi  
structuram pertinere sunt arbitrati.

A

## PRO O E M I V M.

Hinc ortum habuit plurima illa Christiani sanguinis effusio , qua non tantū maduit olim & Britannica , & superior Germana tellus, sed recens madent , tū inferior Germana tum Gallica : dum Reges aliquot , veteratoris illius suasū in rem esse Christi Ecclesiæ crediderunt, populos ad Dei cultum vi , & armis pertrahere , hominum conscientias ad fidem terroribus adigere, falseq; (ut putant) doctrinæ sectatores capitali supplicio afficere. Hinc tandem accidit, ut illi ipsi, qui principiò adversarios suos hoc potissimum nomine objugarunt, quod ferro igneq; disputarent, eaq; ratione eas controversias decidere vellent , de quibus unico Dei verbo fas est discerni: quiq;, quūm persecutionē patarentur, persecutionem execrabantur: ab eodem mendacij patre decepti, laudent modò, sectentur, atq; ad Christi doctrinam asserendam necessarium id esse afferant: quod malūm iampridē, eidemque doctrinæ nocentissimum esse censuerant. Enimvero hoc argumentum non adeò multis ab hinc annis

## PRO O E M I V M.

nis varij Ecclesiæ Doctores variè tracta  
runt : alijs sanguinis effusionem asse-  
rentibus , alijs contrà eandem impro-  
bantibus, utq; impiam, & in Dei nomē,  
eiusq; doctrinam contumeliosam, gre-  
gisq; Christi tranquillitati molestissi-  
mam refellentibus: Alijs tandem pro  
suggestu etiam publicè prædicantibus,  
rem esse adiaphoram. Sed bone Deus,  
poterit ne indifferens haberi humani  
sanguinis effusio? Nonne in Dei man-  
datis disertè habetur , Hominem ne  
occidito? At alibi scriptum est, Adulteri-  
um esse necandum. Quid ni? Operæ  
præcium est igitur quis necandus quis  
verò servandus sit , ex verbo Dei non  
dubiè dignoscere. Non est ergo adia-  
phorum , hæreticum occidere. Sede-  
nīm ijdem ipsi ex re indifferenti lege  
promulgata necessariam faverunt.  
Alij vero dixerunt, rem tanti non esse,  
ut in ea decernenda tantum turbarū  
internos excitari deberet , totq; dissiden-  
tia , & scandala in agro Domini semi-  
nari : Præstare enim in Antichristum  
unanimes invechi , pijsq; editis scriptis

PRO E M I V M .

ei⁹ imposturas detegere. Verūm ex postremis istis scire cupio , si sic se res habet, ut afferunt , quūm supremi aetatis nostrę Theologi locū hunc egregiè pertractarint , eorumq; scriptis, pro afferenda illorum sententia, nihil prorsus adiici possit , quid opus erat, alios, quasi noctuas Athenas importantes, & Iliadem post Homerum canentes, olei, & impensæ iacturam facere , novisq; apologijs, sotpum ignem , qui quidem ipsorum iudicio penitus extingui deberet , iterum accendere? Quod autem aiunt de Antichristo oppugnando , eius technæ , & imposturæ sexaginta iam prope abhinc annis, plurimis illustrissimorum doctorum eruditissimis scriptis adeò detectæ , mirisq; modis delusæ fuere, ut talpa magis cæcutire videatur, quicunq; sole clariores omnes eius fraudes non cernat: Qui cunq; autem ijs addere velit , actum agere videatur. In detegendis igitur novis Satanæ stratagematis nobis potius elaborandum , insudandumq; videtur. At verò, ut ait Acontius, ad eius

artes

PRO O E M I V M .

artes cognoscendas commodissimus  
erit aditus, si consiliorum suorum sco-  
pum penitus inspexerimus. Atque is  
quidē in promptu est. Homicida enim  
dictus est impostor iste iam inde ab ini-  
tio. Nihil avidius inhiat, quām hominū  
interitū. Quicquid ad eius perniciem  
facit, id vehementer curat: in id omni-  
bus nervis incubit. Verū, quid opus  
est illi, eos in Antichristi Regnum in-  
tendere? Iam illud occupavit: potitus  
est rerum: tutò illic omnia possidet: ad  
libitum grassatur, liberumq; obseq̄tū  
illi undelibet præstatur. Reliquum est  
igitur, ut Christi Regnum invadat. Nō  
enim Zizania sua in dumosis, senti-  
busq; obsitis agris serere consuevit: sed  
in benè cultis novalibus, ubi solertissi-  
mus ille Paterfamiliās bonum savit se-  
men, adulterinum suum supersemina-  
re callidus didicit hostis. His ergo arti-  
bus instructus, in agro Domini: hoc est  
in Ecclesijs, quas ob reiectam Antichri-  
sti doctrinā reformatas vocamus, non  
adeò multis abhinc annis hoc semen  
iacere aggressus est, quò per speciem

PRO O E M I V M .

pietatis, extirpandarumq; hæresum, mi-  
serum Christi gregem possimis modis  
affligat. Quod quidem semen nil aliud  
est, quam impia illa opinio , homines  
religionis caussa persequendi, eosdem-  
que non resipiscentes mactandi. Quā  
equidem opinionem, quum ego sem-  
per, non falsam tantum , verum etiam  
hæreticam duxerim, scripseram abhinc  
triennium libellum : in quo sacris u-  
triusq; fœderis dictis , veterum Patrū,  
ac recentiorum Doctorum testimo-  
nijs fretust, adversariorum argumenta  
refellens, sententiam hac de re meam  
dilucidè declaraveram, typisq; manda-  
re statueram. Sed gravioribus curis ac  
difficultatibus, quæ ab exilio meo acrius  
indies mihi impinguntur , molestissi-  
mè impeditus rem non tantùm distu-  
leram , sed propè oblivioni mandave-  
ram : quum ecce nova eiusdem argu-  
menti scripta, in mei quasi oscitantis  
manus devenere. Tum demum non  
amplius mihi cunctandum, aut conni-  
vendum ratus, ut, quantum in me est,  
ne malum hoc latius serpat, impediam,  
eisdem

## PRO OE MIVM.

easdē meas illas lucubrationes auctas;  
ad nova argumenta responsis in lucem  
edere constitui. Nam , cur nobis minus  
liceat , post rē tam amplē à doctissimis  
viris pertractatam, crocodilos ad Ni-  
lum importare. quām ijs ipfis , qui suis  
scriptis nos quasi dormientes excita-  
runt, aquam Mari addere licuerit? Iam  
verò, quum sancto(ut puto) spiritu du-  
etore, ad mihi propositam metam ala-  
cri animo pervenerim, pios quo scunq;  
Fratres , præsertim verò fideles verbi  
Dei Ministros, rogatos volo, ut sive pro  
prio judicio permoti, sive etiam aliorū  
rationibus impulsi, à me diversum ante  
hac senserint , nunc autem meis argu-  
mentationibus , imò veſo pijs veteris  
noviq; fœderis testimonijs , antiquorū  
Patrum, totq; recentiorum Doctorum  
apertissimis sententijs persuasi, Verita-  
tem perspexerint, piam hanc opinionē  
animo amplecti , cruentamq; illam pe-  
nitus evomere, ac execrari velint : mi-  
nimeq; id metuant , quod à mendacijs  
patre, per ambitionis spiritum, ipsorum  
mentibus impingi, ac forsitan persuaderi

PROEMIUM.

posset: Turpe scilicet esse, maximoq;  
sibi dedecori futurum, si de priore sen-  
tentia decedentes, adversarijs manus  
dederint, ac sese viatos fateantur. Non  
est turpe (mihi credant) veritate cogni-  
ta errorem fateri: eaque recepta men-  
daciūm exigere. Dedecri potius erit,  
perspectam veritatem reiwcere, menda-  
cium autem præfracte retinere. Memi-  
nerint igitur homini natura proprium  
esse decipi, & errare: Imò verò (ut Phi-  
losophus inquit) in rebus facillimis,  
ipsaq; luce clarioribus sèpissime de-  
ceptum hallucinari. Quòd sijdem ipsi  
profani Philosophi hanc naturæ infir-  
mitatē in homine cognoverunt, neq;  
semet ipsos ab huiusmodi communi  
naturæ lege subtraxerunt: cur iij, qui  
cœlesti lumine divinitus sunt perfusi,  
sese homines esse, adeoq; & humanis  
conditionibus obnoxios, non agnove-  
rint? Atq; utinam, iterum autem uti-  
nam, Christiani omnes à Christi inte-  
rea imitatione nè latum quidem un-  
guem aberrantes, sapientē illum, opti-  
meq; moratum Socratem sibi imitan-  
dum

## PRO O E M I V M .

dum proponerent: qui quidem sola re-  
rum omnium inscitiae ingenua confes-  
sione sapientissimi nomen adeptus est.  
O quām benē , quām præclarè cum re-  
bus humanis ageretur, si superbia , ina-  
niq; fastu deposito, Christiani homines  
sapientem quoque ipsum Pythagoram  
imitarentur : qui omnium primus sa-  
pientis nomen, ut superbū, arrogan-  
tiæ plenum, minimeq; mortali homu-  
lo , sed summo tantū Deo propriè  
conveniens, recusavit. At contrā obij-  
ciet aliquis , Putasne tu homo, is esse,  
qui à communi hac humana conditio-  
ne solutus, eiusq; penitus expers, errare  
nō possis, huiusq; articuli, de quo con-  
troversatur, veritatem assecutus , tuis  
istis disputationibus ab omni repre-  
hensione abesse arbitreris? Respondeo,  
me, quod attinet, ad hanc communem  
hominum natura ad errandum procli-  
vitatem, memet ipsum plusquam ho-  
minē agnoscere: utq; homo , quanquā  
teste mihi cōsciētia mea, veritatis pēra  
patrocinii suscepisse cōfido, humili-  
ma ea, quæ Christianū hominē decet,

P R O O E M I V M .

mansuetudine , cuiuslibet vere pij fratris iudicio meas has lucubrationes libens subijcio, qui non odio, neque contentionis ardore percitus , sed divini honoris studio incensus, non invectiōnibus, contumelijs, convitijs, iniurięq; plenis appellationibus (ut assolet) verū Christiano homine dignis argumentis, errorum meorum me placidē admonere voluerit. Interim constanter affirmo , Deumque ipsum mentis meæ testē appello, me non odio, aut invidia, non rixandi cupidine, non ambitione, inanisque mundanæ gloriæ libidine: non aliena suasione, spe præmij proposita, neque deīnum studio hæreticos à morte assereādi, ut liberè, ac tutò falso doctrinæ peste mundum contaminare valeant, provinciam hanc scribendi, ac quibusdam resistendi suscepisse: verum animi offensione illa , qua sum mirificè affectus, quum Antichristi manus effugiens, Italia profectus, intra Rhæticas Alpes quievissim, audissem que Evangelicas nostras Ecclesias, contra atque antea opinabar , non solum

cor-

PRO O E M I V M.

corporea poena hæreticos multando  
censuisse, sed apud aliquas etiam con-  
suetudinem introductam esse, eosdem  
ultimo supplicio afficiendi. Hac re una  
primùm permotus, Deique gloriae stu-  
dio deinde impulsus, ad eum, quem mi-  
hi proposuerā finem sum perductus, &  
maximo quidem desiderio, spe autem  
non minore, labores hos meos ad Dei  
gloriam, Christianæque Ecclesiæ utili-  
tatem nonnihil momenti allatueros.  
Cæterum, quia reprehensio & contra-  
dictio eius naturæ sunt, ut in eorum  
sensibus, qui reprehenduntur, quibus  
que contradicitur, aliquem indignationis  
spiritum excitare sint solitæ, qua-  
re fieri potest, ut in refellendis adversa-  
riorum argumentis ac rationibus im-  
probandis, eorum animos aliquaratio-  
ne offendamus: sciant obsecro, nihil  
me ideo dixisse, ut in quenquam male-  
dicta ac probra conijcere voluerim: sed  
eò tantum, ut eorum rationum & ar-  
gumentationū imbecillitatem ostendem  
nostrarum autem veritatem  
confirmarem. Quocirca si sœpius etiā

ad-

PRO O E M I V M .

adversariorum nomine sc appellari vi-  
derint, eos humili mentis affectu oro,  
atque obtestor, ne adversariorum ap-  
pellatione, eos mihi hostes declarare  
voluisse interpretentur. Siquidem  
ego, non eos tantum, qui mecum sen-  
tiunt, sed cunctos etiam qui Iesum esse  
Christū ex animo confitentur, non  
modo amicos, verum etiā charissimos  
mihi fratres agnosco. Hoc verò adver-  
siorum nomen eò mihi usurpandum  
sumsi, quod unico verbo à me diversa  
sentientes significare cupiens, nullum  
aliud mihi succurrebat vocabulū, quo  
id significatius exprimere possem. Le-  
gant igitur ipsi à equo animo, hæc mea  
scripta, eademque animi mansuetudi-  
ne ad ea respondeant, qua dubio pro-  
cul à me conscripta fuere, & qua corū  
etiam responsa excipere in animum in-  
duxī meum. Verum enim vero omnes  
ad hæc nostra responsuros monitos ve-  
lim, ne quorumdam morem sequan-  
tur, qui locis causæ gravioribus, firmio-  
risque roboris argumentis, ac si nihil in  
se ponderis haberent, quasi conniven-  
tes

## PRO O E M I V M .

tes præteritis , aut summo digito contactis,in leviora incumbunt:longisque ambagibus adversarij infirmiores rationes confutando,ac si causæ status ibi versaretur,ita tempus terunt,ut simpli- cies lectors,graviorum oblii,aut nihil ea momenti habere persuasi,veritate reiecta , falsitatem amplectantur. Arboris igitur firmiores radices tenuiori- bus relictis aggrediantur : neque tam nostris,quam Patrum argumentis,pijs- que interim rationibus,tum etiam Lu- theri,Musculi,Brentij ,cæterorumque recentiorum rationibus respondeant. Interim verò Deum optimum maxi- mum venerabundus orò , ut si quam defendendam causam sumsi , in rem est dignitatis suæ, electorumque suorū beneficium respicit , ingenij mei hebe- tudinem acuat, meamq; ignorantiam suæ sapientiæ liquore aspergat. Ego enim Christiano zelo tantummodo imbutus , doctrina verò leviter tin- etus,mundanæque eloquentiæ peni- tus expers, miseri illius Priami filiolo sum pene similis,de quo Poëta. Infelix puer,

PRO O E M I V M .

puer , atq; impar congressus Achilli.

Psalm. 8. 2. Attamen quum Sanctus Spiritus Pro-

phetæ ore pronunciarit , per os infantium & lactentium potentiam suam palā factū iri , ad coērcendos infestos hostes: quumq; mihi in mentē veniat , filium suū illi gratias egisse , quod ar-

Mat. 11. 25. cana sua sapientes peritosq; celaverit , infantibus autem patefecerit: minimè vereor adversariorum sophismatum

fucatam fallaciam eam fore, quæ veritati tenebras offundere possit, nervosq; infringere verbi Dei simplicis Christiani humili calamo in medium allati: cui quidem nullus aliis est scopus, quām ne humanus sanguis in Dei nominis contumeliam , Ecclesiæque suæ offendiculum , amplius effundatur. Non enim me latet, quale sit veritatis robur , spuro corde, firmaque

Ruf. Eccles. fiducia à pacifico spiritu declaretur.

hist. lib. Cuius rei illustre specimen habemus

princip. 3. in Rufini scriptis , ubi senex quidam vir simplex, & parum eruditus, Philosophum versutissimum disputatorem , nuda Christianæ fidei veritate

pro-

PRO OLEMIVM.

proposita, stupidum reddidisse, & ad fidem per traxisse legitur, quuni antea nullis potuerit argumentis superari. Ita ut, quum ad Baptisnum à victore sene comitatus duceretur, ad suos conversus, Audite, dixerit, erudit viri, donec verbis mecum gesta res est, verba verbis opposui, & quæ dicebantur dicendi arte subverti. Vbi verò pro verbis virtus processit ex ore dicentis, non potuerunt resistere verba virtuti, nechomo adversari potuit Deo: quæ verba perpendens bonus ille Musculus, quæ erat, inquit, illa virtus ex ore sénis progressa, nisi nuda, ac simpliciter prolata Christianæ fidei veritas: in hac Philosophus virtutem Dei sentit: nec immerito. ut enim ex Deo est, ita & divina virtute munitur. Veritatis ergo tuæ, omnipotens mitissime

Deus, viribus innixus, humanis  
spretis sophismatis insti-  
tutum opus ag-  
gredior.

Musc in  
Io.c.7.

SECTIO

orber

# SECTIO PRIMA.

MNIS Christi actio, itidemq; uer-  
bum omne, nostra est doctrina, &  
institutio. Idq; inquam, non modò uer-  
bum, quod ab eo prolatum fuerit, ue-  
rum etiam quodcunque tacito spiritus  
eius afflatu amanuensium suorum calamis mandatū,  
atq; scribendum delegatum est. Tractaturus igitur,  
an fas, honestum, Christiq; doctrinæ consentaneum  
sit, homines religionis causa insectari, ferro, igniq;  
in eos sœuire (id quod his temporibus facilitari, atq;  
in usum apud Christianos trahi cernimus) illud in-  
primis considerandum erit, quidnam ipse Christus  
suo ipsius ore ea de re pronuntiarit: mox, quid eadem  
de re scriptum reliquerint suis in epistolis eius legati  
fidiq; interpretes. Ut autem legentium animi instituti  
nostrī rationem facilius assequantur, & omnis tolla-  
tur, inter legendum, quæ posset occurrere difficultas,  
mentemq; distrahere, & à recto trāmite ad proposi-  
tam metam nos ducente auertere, quædam iaciemus  
fundamenta, quibus memorie mandatis, Christianus  
Lector, & quo pacatoq; animo, eò facilius deduci pos-  
terit, quò perueniendum duximus.

Quum igitur Dominus noster Iesus Christus dixe-  
rit, regnum suum mundanū non esse, inde statuendū  
dicimus, hominibus duplex esse regnum: Spirituale  
unum à Christo uero rege, quem, regum terræ prin-  
cipem in Apocal: Ioan: nuncupat, ordinatum: car-  
nale alterum, & mundanum, quod humanis legibus,

Apo: 16. 191

## SECTIO PRIMA.

humanisq; præsidij conslat, ab ipso tamen Deo in hominum manu repositum, atq; firmatum.

Ad hæc, procurationem utrimq; regnum propriæ habere. Nam Christi quod est, cœlesti diuini spiritus administratione, ac politia ab ipso instituta regitur. Alterum uero humanam habet regnandi rationem ac politiam.

Luth: de  
sub: Mun:  
pot: fol: 16.  
B.

Geminam hanc regnorum distinctionem discretè notauit pius ille Pater Lutherus, quum dixit: Primum obseruandum est, geminam filiorum Ade portionem, quarum altera ad regnum Dei attinet sub Christo, altera ad Mundi Regnum sub Magistratu (ut superioribus demonstratum est) geminam habere legem oportere. Cuilibet enim regno suas leges ac iura esse necesse est: quum absq; legibus nullum neq; regnum, neq; administratio persistere posset: id quod satis superq; quotidiana experientia monstratur. Mundano regimini, aut administrationi leges sunt, quæ non se latius extendunt, quam super corpus, facultates, & quicquid in terris externum est: animam enim nec uult Deus, nec potest ferre, ut quisquam, se demoto, regat. Quocirca, ubi mundanus Magistratus legem animis ferre attentat, Deo in suum manus immittit regnum: & seducens tantum, & perdens animas.

Bren: De  
rep: piè ad-  
min:& sub-  
dit: erga  
Magist:  
obed:

Brentius quoque, de regno Christi uerba faciens, huic nostræ distinctioni astipulatur, quum ait: Ad huius regni iustitiam amplexandam nullus neq; principum, neq; Cœsarum, neque tota præterea creaturarum, siue cœlestium, siue terrestrium turba, uel quenquam

SECTIO PRIMA.

quenquam iniustum cogere potest. Id namque muneris solo Euangelio Iesu Christi est delegatum, & reposi- tum: in quo latitatis uis, & potentia, qua, etiam deplo- , ,  
rate impunitatis homines, huic iustitiae non raro red- , ,  
duntur affines: adeoq; ex Filiis iræ filij Dei. Et in , ,  
serius subdit.

Ad alteram uero illam iustitiam, quæ ciuili hone-  
state constat, ac coram mundo duntaxat sua meretur , ,  
suffragia, & equum, ac operæ precium fuerit Magistra- , ,  
tibus, ut cessatores, uel inuitos, legibus, statutis, atq;  
ordinibus pelliciant: adeoq; sicuti leges nihil extor-  
quent poenis, tormentis id genus hominam tergi-  
uersatores salubrialiorum exemplo cogant.

Hinc recte sanè Christus respondit, reddendam Luc:20.25;  
esse Cæsari quod Cæsar is est, quod Dei, Deo. Et Apo- Rom:13.7.  
stolus Paulus, Reddite, inquit, omnibus quod debetis:  
cui tributum, tributum: cui timorem, timorem, cui  
honorem, honorem. Quæ superiora Diuini Luc: uer-  
ba doctè, & que ac piè interpretans Luth: ait, Quod Luth: in  
si Cæsar is manus in Dei tum regnum, tum potesta- cod:lib:20.  
tem se extenderet, nec diuersa esset ab ijs, quid opus a.  
erat discriminem horum ponere? Nam, ut iam sepe di- , ,  
ctum est, anima non est sub Cæsar is constituta pote- , ,  
state: neq; enim hanc docere, aut ducere: neq; occide-  
re, aut uiuificare: nec ligare, aut soluere: nec iudicare,  
aut condemnare: adseruare, uel dimitttere potest, &c.

Præterea politicam Mundi gubernationem dici- Politia civi-1.  
mus non debere eam labefactare, quæ spiritu, & uer- lis divinae  
bo regitur politiam, nec ulla ex parte ei aduersari adversari  
non debet.

## SECTIO PRIMA.

uerū illi succumbere , ac omnino cedere ijs in rebus , quæ Christus rex noster arbitratui suo reseruauit. Quin , & mundanum principem debere in administranda à summo rege sibi demandata politia , ad benignissimæ regis ipsius Christi naturæ normam actiones omnes dirigendas putare. Nam (ut inquit Lutherus) Est apud nos certissimum , non fore , ut uerbum se dirigit , aut inflectat ad mores principum:

” quin potius istos uerbo se attemperare necessum est.

” His positis fundamentis , hæ nostras tractationes quadripariam partiemur. Sectione hac prima , ipsius Christi Iesu uerbis , plurimisq; præterea epistolarum locis , quæ ab eius Apostolis sunt conscriptæ , disertè ostendimus , interdictum esse mortalibus , hæreticos ciuili gladio punire , præsertim uero capitali poena plectere: quandoquidem eius criminis cognitionem summus ille Pater in tempus à se institutum regi filio reseruauit. In qua etiam aliqua nobis ab aduersariis obiecta refellimus , occasionem nobis obiter præbentibus , quæ paſſim tractabuntur , eorum argumentis.

In secunda demonstrabimus , ueteres (quos suocant) Patres hanc ueritatem cognouisse , sanctæq; scripturæ testimonijs comprobasse; idem omnes ferè præcipuos nostræ ætatis theologos Ecclesiæq; instauratores sensisse , neq; eosdem illos , quos nobis obijciunt aduersarij , unā cū celebrioribus nostris ecclesijs diuersum censuisse antiquam Ecclesiam per annorū 400. spatium atq; eo amplius , huiusmodi scuītiam , ne dum non exercuisse , sed etiam omnino ignorasse:

Optimos

## SECTIO PRIMA. 3

Optimos primos illos Imperatores Christianos, et si legitimi Magistratus erant, gladij multam haereticis non irrogasse: antiquiores tandem Romanos ipsos epis-  
copos, ut irrogaretur, non curasse, qui quidem gla-  
dius, ut luculenter probabimus, ab Antichristo de-  
mum, atque ipsorum haereticorum exemplo in Eccle-  
siam inuectus, mirum quam miserè pios omnes affli-  
xerit.

Sectio tertia in redarguendis obiectionibus, ra-  
tionibus, ueteris nouique fœderis testimonij, & exem-  
plis, quæ pro sua afferenda sententia ab aduersariis  
afferuntur, præcipue uersabitur. Interim uero diluci-  
dis, ac luce ipsa clarioribus argumentis, rationibusque  
ostendemus, ciuilem gubernationem spirituali dero-  
gare minime debere: mundanam potestatem ex uerbo  
Dei pendere, eiique subiecti, non uerbum ipsi potestati,  
manifeste probantes. Palam insuper facientes, ius  
quod sibi a rege Christo reseruatum huius causæ co-  
gnitionis afferimus, mundane politiae minime aduer-  
sari, ciuilia iudicia, ubi ne dum de fortunis, uerum etiam  
de sanguine agatur, nec destruere (uti uociferantur)  
nec impedire: neque tandem ullo modo gladium Magi-  
stratui de manibus extorquere: ipsi inquam in rebus,  
quarum causa eum huiusmodi telo Deus instruxit, aut  
instructum confirmauit.

Quarta demum Sectione, quid Magistratui in reli-  
gionis causa sit agendum, quibusque presidijs sanam  
doctrinam afferere, tutari & conseruare debeat, bre-  
uiter demonstrabimus.

## SECTIO PRIMA.

Hic uero Christianos piosq; lectores rogatos uolumus, ne statim, ac temere de nostris argumentationibus, quibusq; ex illis elicemus conclusionibus discernere uelint: id facientes, quod uulgò inciuite esse dicitur: iudicare uidelicet non tota lege perspecta: Sed ad finem se perduci æquo animo patientur: postea dijudicent. Facile enim euenerit, ut que uno in loco conceperint dubia, facilime postmodum per alium soluantur.

## DE REGNO CHRISTI.

**L**ongius profecto proueherer, quam postulet propositaratio, ac plusquam parsit nimius essem, si Christum uerum esse regem longiore sermone ostendere uellem: Nam, præterquam quod plurimi extant scripturæ loci, quibus de hac redocemur, ad eam rem Christianis lectoribus probandum minimè multis argumentis opus esse comperatum est mihi. Quapropter prolixo sermone penitus dimisso dicimus, præter Apocalypsis locum à nobis superius citatum, ubi Christus regum terræ princeps nuncupatur, in eodem libro regum regem, & dominorum dominum appellari. **Apo:19.16.** **Zach:9.9.** *Quin etiam Zacharias uates, gloriosum prænuntians triumphum, quo Iesus asina infidens Hierosolymam intravit, Exulta uehementer, ait, puella Sion, exclama læte puella Hierosolyma: Ecce tibi uenit rex tuus, qui iustus, & uictorius est, humili equitans in asino, & pullo asina nato.*  
*Esaias*

Esaías quoque uates, ut regni huius nostri regis fundamen-  
tum ostenderet, quibusq; armis illud assertu-  
rus, ac defensurus esset, Existet autem surculus, inquit,  
ex caudice Isæi, & ab eius radicibus pullulabit stolo,  
in quo residebit spiritus Iouæ, spiritus sapientæ &  
intelligentiæ, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus  
scientiæ & metus Iouæ. Quo in loco, si totum caput  
percurreris, aperte deprehendes, regis huius regnum  
scientia, intelligentia, sapientia, consilio, & metu  
Domini fundatum iri, ac firmari debuisse: armis  
nempe minime carnalibus, & mundanis, sed spiri-  
tualibus, & ab eterni patris spiritu fabrefactis. Verū  
enimuero apertius uates idem nobis declarat, ac digi-  
tol ostendit, quibus armis rex noster dimicaturus, ho-  
stesq; suos superaturus esset, quum ait, & Terras oris  
sui baculo uerberabit, & spiritu labiorum suorum  
necabit impios. Et statim ostendit, hunc regem gladiū  
lateri suo non aptaturum, ait enim, Habens pro late-  
rum cinctu iustitiam, pro ilium cinctu fidem. Paulus  
quoq; Christiani hominis arma, quibus ad Christi  
regis exemplum muniri debeat, graphicè depingens,  
baltheum, inquit esse ueritatem, loricam uero iustitiā,  
Clypeum fidem, galeam salu[m], gladium deniq; spi-  
ritum, hoc est diuina die a: & alibi dicit: sobrij simus,  
induti fidei charitatisq; loricam, galeamq; spei salu-  
tis. En tibi igitur quibus armis regnum suum rex no-  
ster, & instituit, & tutatus est: Quod quidem regnum  
ipsem et testatus est non esse mundanum, & carnale,  
sed spirituale. Quibus etiam armis nos itidem, Chri-

Esa:11.14

Eod:cap:  
ver:4.

Ibid:ver:5.

Eph:6.15.

1. Thess:5.8.

## SECTIO PRIMA.

stum, cuius omnis actio (ut superius diximus) nostra  
est instructio, imitando exprimentes contra ipsius re-  
gis hostes dimicare debemus; sanam doctrinam, ue-  
ramq; religionem à pseudoprophetis, pseudoq; Apo-  
stolis defendantibus, & uerbi Dei baculo, anticipiq;  
gladio debellantes, ac proterentes eos omnes, qui ue-  
ritati resistunt, quiq; siue ignorantia, siue malitia du-  
cti, uerum, & legitimum regis Domini cultum, hoc  
in regno suo, ab ipso diuinitus ordinatum, corrumpe-  
re moluntur. Hos autem liquidò constat, haud alios  
quidem, quam hæreticos esse. At qui contrastuum  
fortemq; hostem cum spe uictoriae præliaturis neces-  
sum est hostis qualitatem cognoscere: ut qua uia, qui-  
busq; modis ipsum adoriri, ac ledere queant, quibusq;  
armis uincere, fugari, & interfici possit, haud ignorent.  
De hæretico igitur uerba facturos, à controuersæ rei  
definitione ausplicari decet: ut re, de qua disceptatur,  
rectè perspecta, & cognita, ambiguitatis, quam æqui  
uocum alijs dicunt, evitetur obscuritas, certaque ac dilu-  
cida firmetur expositio.

## HÆRETICI IVXTA ADVERSARIORVM OPI- nionem definitio, ab Au- thore partim re- iecta.

**I**nquisiturus igitur an hæreticus homo magistra-  
tus gladio iure & merito subiici debeat, quum ante  
omnia

## SECTIO PRIMA.

omnia sit opus, quid hæreticus sit dubio procul cognoscere, primum opera precium duxi uidere, quibus coloribus ab aduersarijs depingatur, utq; tandem definiatur. Quapropter, quæ multa ex eorum multis rei ueritatem percupide inuestigans audiui, hic modò in unum congerere libet : ex quibus facile percipi poterit, an (ut quidem censeo) suo ipso rum gladio confiantur.

Primum igitur, & ante omnia afferunt quam plurimi, in omni hæreticorum genere requiri, ut contra Doctrinam ab Ecclesia receptam quasi civile bellum gerant. Alij dicunt, quod, et si uerus hæreticus obstinatè peruicax est, attamen non omnibus pertinaciter obstinati hæretici nomen decenter aptari: sed ijs tantummodo, qui ab Ecclesia desciscunt, ac peculiarem sibi sectam factiosè instituunt. Ad hæc dixerunt alijs, non quemuis in religionis causa à recto tranûte aberrantem hæreticum appellari mereor, sed eum tandem, qui bis terue ad uerbi Dei præscriptum ritè monitus, sciens uolensq; (ut eorum uerbis utar) ueritatem ignorat, & factiosè, & præfractè proprium iudicium Ecclesiæ authoritati præponit. Præterea afferuit mihi quidam, ueram, peculiaremq; notam, qua à ceteris ueri hæretici distinguuntur, hanc esse, quod suæ perfidiæ, quam pertinaciter tuentur, quendam quasi ludum aperiunt: quantumq; in se est, diuersæ doctrinæ factionem in Ecclesiam Dei, uel important, uel ab alijs inueclam, acerrimè prouochunt, fouentq;. Et, ut melius eorum sententia lectoribus innotescat, adulte-

## SECTIO PRIMA.

rinos Christianos in duo genera partiuntur: quos, in  
fide errantes, scripturæ nomine usi, cōmuni nomine  
nuncupant. Primum genus, eorum esse dicunt, qui  
quamvis in doctrina ab orthodoxis dissentiant, id  
quidem non malitiose, sed, uel ingenij infirmitate,  
uel negligentia, uel consuetudine quadam errandi in-  
ueterata, & permanens accepta: aut etiam quorundam  
fraude, qui non satis in ueritate confirmatos animos  
inescant, à recto tramite aberrent. Hos aiunt haud  
quidem obstinatos & pertinaces esse, sed se doceri  
perpetui; & quamvis non facile de sententia sua statim  
decedant, attamen non adeò sibi placent, ut in Eccle-  
sia turbas illas excident. Hos autem aiunt ab Apostolo  
Rom:14. & Rom: 14. & 15. in fide infirmos nominari, eosdemq;  
15. illos esse, quos alibi præcipit tantisper ferendos esse,  
Philip.3.15. dum illis Dominus ea quæ ignorant reuelauerit. At  
uerò utinam inter tot mala hoc saltem messet boni,  
ut talibus discendi spatiū concederetur, ac interim  
ea qua decet Christiana mansuetudine, tantisq; horta-  
tionibus instruerentur: donec tandem ad bonam fru-  
gem redirent: nec potius (ut mos est alicubi) statim  
pro hereticis haberentur, ac in publicis concionibus  
declararentur: persepe etiam opinionum causa, quæ  
licet pertinaciter defensæ hominem hereticum non  
faciunt; quin & anathematis fulmine percusi magi-  
stratibus obijcerentur, exilio, & acriore interdum  
multa pleclendi. Berœensis populi homines, qui  
Paulo concionante Euangelijs Doctrinam admise-  
rant, sacras litteras quotidie examinabant, an ea quæ  
Act:17.9. Paulus

Paulus prædicabat eo modo se haberent. Nec tamen criminu data est illis hec curiosa diligentia ad ueritatem indagandam adhibita, ut pro hæreticis sint habiti. Vbi notandum est eos iam tum fidem recepisse, & propterea in Ecclesiæ corpus coaliuisse: & tantum abest, ut ab Apostolo ob id ferro aut igne digni habiti sint, ut ne dum eis satris non interdixerit, sed nec etiam obiurgauerit: ut mos est quorundam contra eos, qui sine ulla affirmatione querentes, dubitanter disputant, uerbi Dei luce mentis sue tenebras discutere satagentes. At qui taliter se gerunt, supra Pauli authoritatem, suam extollere uelle uidentur, & illud consequi, ne contra quam ab ipsis prædicatum, sanctumq; sit, ullus quidem audeat mutire. Bellè uero, & pie inuestitus est in huiusmodi temerarios Henricus Bull: quum hunc locum enarrans, ait, Locus autem elegantissimus est, quo nos discimus nihil temere suscipiendum, sed omnia iuxta Pauli uerbum probanda esse, optima uero tenenda, diligendaq;. Probanda autem scripturis, non spiritu contentionis, contumacie, " aut despectionis. Id si hodie fieret, minus turbarum " esset. Sed iam alterum diuisionis membrum explice-

Bull: in  
Act: apost:  
138.

Aliud pseudochristianorum genus esse dicunt eorum, qui iniusta pertinacia, & improbitate, quia sunt (ut Paulus uocat) avtonomæ & ergo non modo ueritati resistunt, sed etiam Ecclesiæ pacem, & concordiam lacerant. Hos autem ueros hereticos esse contendunt, quos etiam ipse Paul: ad Tit: scribens, hereticos ap- Tit:3.10.  
pellat:

## SECTIO PRIMA.

pellat: ipsumq; admonet, ut post unam, atq; alteram admonitionem eos deuitet. At uero hic paullum digredi flagitat occasio: nam si Paulus ea ratione distinguit inter infirmum in fide, & uerum hæreticum, quia doceat infirmum esse ferendum, necesse fuerat (meo quidem iudicio) docere etiam quo paulo cum heretico esset agendum: numerum inseclandum, commandum, iugulandum, aut mergendum esse: Si modo (ut ipsi sentiunt) Apost: ita censebat: sed (tantum abest ut occidendum, uel persequendum præcipiat) in pari equoq; gradu cum infirmo ipso hæreticum collocat, præcipiens illum nihilominus ferendum, docendum, ac instruendum: ut suo loco uidebimus. Sed respondet quidam, Paulum tunc temporis non Magistrati, sed Episcopo scripsisse: nam si ad Sergium Paulum, aliumue Magistratum scripturus fuisset, officijs sui profecto eum admonuisset: hoc est (ut inferre uoluit) hæreticos ab eo capite plectendos esse. Mirum uero, ac perspicax ingenium, & profecto plusquam propheticum esse oportet illius, qui occultam Pauli mentem assequi, ac diuinare uelit, Apostolum, si ad Magistratum scripsisset, eum admoniturum, hæreticos non deuitandos ab eo esse, sed interficiendo: Verum enim uero, diuinationis labore omisso, quod clarius argumentum, quæ dilucidior huius rei certitudo desiderari potest, quam ipsius Sergij Pauli illustre exemplum? Obstabat accerrime Apostoli uerbis Elymas magus, Proconsulem à fide studens auertere: at mago cæcitate diuinitus percusso, & ob id pro-

Act:13.8.

con-

## SECTIO PRIMA.

7

consule ad fidem conuerso, nonne tunc Paulus Christianum Magistratum habebat? Non erat igitur illi in scribendo laborandum: Poterat enim occasione fre-  
tus, cum coram uerbis monere, quæ sue partes essent in religionis causa. Quod igitur tam illustri occasio-  
ne sibi oblata Apost: uerbis non præstitit, minus cre-  
dendum est litteris fuisse facturum. Sed excipiet for-  
tasse aliquis, magum à Paulo extraordinaria potesta-  
te uso in criminis sui poenam cæcitate mulctatum:  
non ergo oportuisse à Magistratu alia poena plecti:  
Verum, an cæcitas magi peccati poena fuerit, & an  
proconsul Christianus factus, illum punire potuerit,  
inferius aptiore loco disputabitur. Sed ad rem re-  
deo.

Alios præterea audiuimus dicentes, hæreticum à Galat: 5. 9.  
Paulo, et si hoc nomine non appellatur, suis tamen co-  
loribus depingi, ac definiri, quum ait, paullum fer-  
menti totam massam fermentat: et paullo post subdit,  
uerum qui uos turbat dabit poenas: En tibi (aiunt)  
hæreticus, seclarius, ueræ doctrinæ circumcisioñem  
abrogantis impudentissimus corruptor, publicæq;  
pacis importunus perturbator. At Rom. 16. hæreti-  
cum ab Apost: per pulchrè definiri dicunt: quū uide-  
licet, monitis fratribus, ut eos obseruarent, qui dissi-  
dia, & scandala facerent, illud etiā adiungit, Contra  
eam, quam accepisti doctrinam. Quapropter quum  
hæc duo inciderint, hoc est, aliquem sectarium, &  
scandalorum ac dissidiorum seminatorem reperiri, et  
id doctrinæ causa, tunc demum uera hæresis erit, isto-  
rum

## SECTIO PRIMA.

rum quidem sententia, ex apostoli definitione : qua nullam afferunt meliorem queri debere. Attamen ul-

• 1. Tim:6.3. terius progradientes, epistola ad Tim: priore afferunt ijsdem prorsus notis hereticum hominem à Paulo designari, quum inquit, si quis diuersam docet doctrinā, neq; sanis Domini nostri Iesu Christi dictis, pie atisq; doctrinæ accedit, is inflatus nihil intelligit. Hic uero à Paulo recensentur omnes scelerati heretici turpis- simæ qualitates: ac demum concludit, dicens, à talibus

2. Tim:2.18. abstinet. Idem epistola ad eundem posteriore, de Phileto, & Hymeneo loquens (aiunt isti) non tantum à ueritate aberrasse assuerat, sed etiam quorundam fidem subuertere. Quam ob rem paullò ante eorum orationem gangrenæ carnem corrodenti compara-

2. Tim:3.13. uerat. Nam alioqui (dicunt) aberrare humanum est: Ecclesiam autem, post iustam & repetitam admonitionem scindere, eorum demum est, quos a post: eadē epistola errantes appellat, aliosq; in errorem pertrahentes. Petrus quoq; addunt, hereticos designans ait,

2. Pet:2.1. animas instabiles ab ipsis inescari: & plenam eorum definitionem tradit, cum Paulina prorsus consentientem, dicens, Inter uos erunt falsi magistri, qui clam pernicioſas sectas introducent, &c. In summa, ut tandem que diuersi diuersa dixeré in unum congeramus: hereticus, eorum quidem sententia, is est, qui falsis opinionibus imbutus, à sana doctrina ab Ecclesia recepta pertinaciter dissentit, falsaq; proposita doctrinā ueritati resistens, Ecclesiæ pacem & consensionem dirimit: factiosus enim & sectarius, diuisio- nesq;

nesq; & scandala serens, quām potest maximum numerum sibi asciscere satagit doctrinam suam sectantium: siue noua ab eo inuenta sit, seu uetus ab eo renouata, & (ut ita dicam) interpolata: sanis uero Ecclesiae sermonibus semel atq; iterum admonitus, non acquiescit, nec ab incepto desistit. Hunc autem hypocritam præterea esse contendunt: nam callide pietatem extrinsecus prætexit, intrinsecus uero false doctrinæ uirus abscondit. Quin, & malitiosum esse dicunt, contraq; suam ipsius conscientiam uoluntarie peccantem.

Atq; hoc hominum genus, à ciuili Magistratu capitali supplicio affici debere afferuerant. Suam autem definitionem affirmant ipsa uerbi notione satis confirmari. Hæresis enim (aiunt) Græcum est uocabulum, quod initio quidem laudis fuit: adeò, ut Paulus alicubi non inficietur, se ex eorum hæresi esse, qui mortuorum resurrectionem & credunt, & expectant. Græcis enim id est hæresis, quod Latinis secta: nam eo sensu accipitur hæresis nomen ab ipso eloquentiæ magistro M. Tull. Et ita ex Greco in Latinum ueterunt doctiores interpres locum illum ac: Apost: Sed tandem consuetudine loquendi uitio haberi cepit, & pro falso domigate, seu factione accipi, quam aliquis contemno Ecclesiae iudicio sibi sectandam delegerit.

Hanc ab istis propositam definitionem, nos primi integrām non recipimus: sed (ut forensi uerbo utar) in parte, & partibus. Nam, partim cum eis consen-

## SECTIO PRIMA.

sentientes, concedimus hæresim electionem significare: & quia longo temporis interuallo loquendi usu, & consuetudine uicio dari cepit, ipsis etiam assentimur pro uitioso dogmate, aut factione hæresim accipi cepisse, quam aliquis, Ecclesiæ iudicio posthabito, sibi sequendam delegerit. Cæterauerò, que ab illis hæretico attribuuntur, ei competere pernegamus: præsertim uero malitiosè cum, & scientem uolentemq; peccare: nā si coniecturis, ut in hominis mente perscrutanda fieri necesse est, agere liceat, cōstanter adfirmamus, hæreticum, si pietatem, ac religionem extrinsecus præ se ferat, non id ut hypocritam simulatē facere, sed quia recte se opinari firmiter credit. Si usq; ad sanguinem in sententia permanet, non per uicaci mentis obstinatione, sed zelo, & animi fortitudine id ab eo fieri, ita strenuum animosumq; Christi militem decere putans. Si sane doctrinæ aduersatur, si admonitus, ab incepto non desistit, si opinionem suam populo palam facit, ac editis libris, omnibusq; modis eam spargit, & diuulgat, non hostili in Deum, & Ecclesiæ animo id perpetratur, sed quia, quum persuasum illi sit, habere se ueritatis cognitionis, sanctæq; doctrinæ talentum, illud effossa terra sepelire ipsi religio est: nam, quum à Deo (ut sua fert opinio) illud receperit, non sepeliendum, sed exerendum, boniq; mercatoris more exercendum, à Domino sibi præcipi non ignorat: ut uno talento multa lucretur. Et capropter quò plures in suas partes pertraxerit, eo maiori lucro apponit, gratiusq; obsequium se Deo præ-

## SECTIO PRIMA.

9

prestare arbitratur. Hinc autem fit, ut sectarius euadat: non id quidem ut in Ecclesia turbas illas excitet, communemq; concordiam, pacemq; laceret: uerum quia eo modo fidelium numerum in Dei gloriam se adaugere arbitratur. His addam cum non id facere, quod Ecclesiae Dei iudicium contemnat: nam si talem eam agnosceret, certè non despiceret: sed quoniam mentis oculis captus, falsoq; iudicio imbutus, non Dei, sed Satanae Ecclesiam esse opinatur. Adde, quod crimen eius, qui contra à se cognitam ueritatem sciens uolensq; peccat, non propriè hereticum, sed peccatum in spiritum sanctum, ac blasphemiam appellari constat, quemadmodum inferius aperte mox demonstrabimus, apertius uero in secunda & tercia nostrarum harum tractationum sectione.

Verum enim uero, quia in heretici definitione coniueri uolunt, quod ea doctrina sit imbutus, eamq; doceat, que doctrinæ ab Ecclesia receptæ aduersetur, uchementer equidem scire cupid, & ex eis obnixè quero, quenam sit hac tempestate Ecclesia illa, que ueram, sanam, sanctamq; doctrinam, omnibusq; prorsus numeris absolutam retineat.

Si enim hanc cognouero, facile quinam sint heretici iudicare potero. Nam, quum hominem uidero à doctrina, ab huiusmodi Ecclesia recepta, dissentientem, tunc ego illico mecum, Hic est uerus hereticus. Hoc autem propterea dico, quod, quum abhinc triennium religionis ergo Italiam fugiens, Antichristi manus euafisse, & longo defessus itinere, maximisq;

C

## SECTIO PRIMA.

exantatis laboribus, ad Rhetorum Alpes, ceu ad portum appulisse, ratus (ut apud fratres nostros Italos ferè creditur) has inter Ecclesias, quas reformatas iure merito nuncupamus, indissolubilem esse doctrinæ consensum, & unitatem: reperi tandem, maximo quidem animi mei angore, tame si omnes consentiunt, Papam Rom: uerum esse Antichristum, Missam omnia antiquæ idololatriæ genera quam longissime superare, homines fide in Christum non proprijs operibus iustificari, Purgatorium ueras esse Papatus nundinas, Sacra menta duo, non septem esse: & in alijs demum pijs sanctisq; uerae religionis articulis conueniunt: attamen earum quamplurimas plurimis in rebus inter se manifestè dissentire. Quapropter, quum unaquæque illarum opiniones suas habeat pro articulis, ad puram Christi religionem maximis momenti, profectio necesse est, in hoc opinionum discrimine, ut, unaquaq; partium opinionem suam pro orthodoxa fouente, persecutione in hæreticum admissa, alia aliam insectetur, alia aliam heresios damnet, & anathemate percutiat, alij demum alios quicunq; in suas manus inciderint, ferro, igne, aqua e medio tollant. Hinc autem eueniat, ut insectationis & sanguinis nunquam sit modus. Heu quam decentius, quam Deo honorificentius, quam pro pace inter Christianos seruanda conducibilius, quam demum ad Antichristi communis hostis regnum deturbandum, ac demoliendum aptius: in quo quidem nostra hæc rem tractandi ratio plus quam par sit credere offensionis causam

## SECTIO PRIMA.

10

causam aliquibus pijs ibi degentibus præbere potest,  
qui Papisticum hunc morem in Ecclesias nostras ir-  
repisse forte audientes, cunctabundi quam paraue-  
rant fugam detrectant, nec impuræ meretrici ualedi-  
cunt: quam, inquam, decentius ac utilius esset, eos, qui  
se perfectos uel agnoscunt, uel credunt, imperfectorum  
imbecillitatem ferre, nec sibi ipsis placere, sed fratri-  
bus suis ad eorum ædificationem : quemadmodum  
Christus sibi ipsi non placuit. Deus opt: max: non  
semper uno eodemq; temporis momento suis electis  
omnia doctrinæ sue mysteria impertitur atq; com-  
municat: Sed unum hodie, cras alterum, ut imper-  
scrutabili eius prouidentiæ, ac sapientiæ uisum fuerit.

Quapropter Paulus: Quotquot ergo perfecti sumos, Philip:3:13,  
inquit, hoc sentiamus. Quod si quid aliter sentitis, id Ephel:4:13.  
uobis patefaciet Deus. Et alibi, Donec perueniamus „  
omnes ad unitatem fidei, cognitionisq; filij Dei in ui- „  
rum adultum, ad modum plene etatis Christianæ.

P. Martyr Verm: Paulus primam ad Corint: „ P. Mart: in  
enarras, inquit, Docet locus iste, Ecclesiam, quamdiu 3. ca: prim:  
hic peregrinatur, infirmam, & imbecillam esse: neq; ad Cor:f:6,  
sperandum est, ut absoluta sit, atq; perfecta: nisi qua  
ad alterum seculum peruererit: quod aperte doce-  
tur in epist: ad Eph: Christum ideo abluisse lauacro Ephes:5:26.  
aque in uerbo Ecclesiam, ut eam sibi absq; macula,  
& ruga exhiberet. Quod nefas est, ut de presenti Aug:Rer:a  
tempore intelligamus: quemadmodum testatur Au-  
gusti: in libro Retract: Nec par est, ut Christi mini-  
ster ob istam Ecclesiæ infirmitatem animum despon-

## SECTIO PRIMA.

deat, Agat ut prudens agricola, cui dum colendus  
elocatur ager, undiq; spinis obsitus, non desperat, sed  
eius repurgationem ab uno quopiam angulo auspi-  
catur: atq; ita pergit, donec uniuersum bene cultu,  
,, & purgatum habeat. Non statim perficitur, & ab-  
,, soluitur plebs Christi, sed per certa augmenta, ut in  
,, Euangelio habetur.

Hæc Martyris uerba sunt in locum illum Pauli:  
Non posui uos ut spirituales alloqui : quæ quidem  
ab ipso de doctrina interpretantur, non ut à quibus-  
dam de moribus. Quod si etiam ad mores possent  
pertrahi, quid est cur de doctrina quoq; non intelli-  
gantur? Siquidem ad absolutam Ecclesiæ purgatio-  
nem non minus oportet, ut à falsa doctrina, quam à  
corruptis moribus repurgetur. Prudentis ergo uerbi  
ministri est, non minus hac quam illa ægritudine la-  
borantes tolerare: nec de ullo dum uiuit desperare.  
Sed hoc quomodo præstabit minister, & quo pacto  
ægritudini medebitur, si æger per eius delationem  
carnifici dedatur?

Eus: Eccl:  
hist:lib:5.  
cap:26.

Cum clis præterea Ecclesiasticas historias legenti-  
bus notum est disidium, quod Aniceti Rom: Episco-  
pi temporibus uniuersas Christianas Ecclesias diu ue-  
xauit, circa celebrationem sancti Paschatis, ieiunio-  
rumq; Paschalium.

Siquidem, quum Polycarpus Smyrnensis Episco-  
pus sub Aniceto ipso Rome degeret, non poterat illi  
Anicetus suadere, ne seruaret ea, quæ cum Ioanne  
Domini nostri discipulo, ac reliquis Apostolis, quibus  
cum

cum fuerat uersatus, semper seruauerat. Neq; Polycarpus contrā a nicetum potuit unquam in suas partes pertrahere: quippe qui Episcoporum quibus successerat seruandam consuetudinem esse dicebat: quae cum ita se haberent, hæc tamen opinionem dissensio uecrem inter eos familiaritatem, & consuetudinem minime diremit. Quin, & in Ecclesia ipsi Polycarpo Anicetus Eucharistiam benignè concessit: atq; ita pacifice à se inuicem discesserunt, pacemq; in Ecclesia uniuersa cum seruantes, tum non seruantes retinuerunt. Neq; uero erat apud eos articulus iste parui momenti: quippe quum uterq; ad a postulum traditionem suam referret: ad Ioannem Polycarpus, Anicetus ad Petrum. Neq; ob hoc Anicetus Polycarpum in dioecesi sua degentem, anathemate percussit; aut ei sacris interdixit. •

Sed apertius adhuc huius Christianæ tolerantiae exemplum, & ut à martyre sanctissimo editum, illustrius habemus in Cypriano Episcopo. Is in Carthaginensi Concilio, cui præsidebat, uerba faciens, quum Cypr: in peroraret, Supereft, inquit, ut de hac ipsa re quid fin: Conc: guli sentiamus proferamus: neminem iudicantes, aut Carth: à iure communionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes. Controuersia erat, non de lana caprina, non de re adiaphora, uerum de hereticis (ut aiunt) rebaptisandis: articulo quidem maximi, ut creditur, in Christianareligione momenti. At pius Episcopus diserte pronunciat, nolle se, qui diuersum senserit, eum ab alijs uexari, Ecclesiæ communione priuari,

## SECTIO PRIMA.

ac propterea societatem dirimi: Sed bēnignē ac paci-  
ficē tolerari, & in communī cōtūgetineri. Deberent  
igitur Christiani homines sese in uicem ferre, instrue-  
re, ac docere, non autem persequi, accusare, occide-  
re. Verum non est ob hoc instituti nostri ratio, cunctis  
hæresum colluisionibus aditum in Ecclesiam, libe-  
rumq; stadium præbere, & hæreticis omnibus (ut  
aduersarij nobis obijciunt) quasi asylum aperire; sed  
id efficere, ut infirmi sufferantur, imperiti doccantur,  
obstinati cohortationibus moncantur, & obiurgen-  
tur; non autem diucentur, ad magistratus deferan-  
tur, ac demum uita priuentur. Nam que fuerit Eccle-  
sia illa, tanta in alias authoritate, ne dicam audacia,  
pollens, ut absq; communi consultatione, maturoq;  
iudicio, consensu, ac deliberatione, non unius tantum,  
duarumque, sed omnium Ecclesiarum in spiritu sancto  
simil iunctarum, audeat de articulo huiusmodi de-  
cernere, eumq; post mille quingentos amplius annos  
in filij Dei Ecclesijs è Papisticis Ecclesijs desumium  
primum inuehere, per quem, non solum imago Dei,  
homo ipse, medio tollatur, sed anima quoq; sempiter-  
næ morti damnetur? Nam nulli quidem dubium est,  
si modò hæreticus is est, quem Ecclesia illa per magi-  
stratum è medio tollit, & hæreticus moritur: uno co-  
demq; iudicio ad temporalem mortem corpus, ad  
æternam uero animam condemnari: ut inferius, Lu-  
thero, Brentio, & Musculo authoribus latius ostendemus.

Sed, ut ad propositam nobis materiam, à qua di-  
gre-

## SECTIO PRIMA.

12

grediendo deflexeram, iam tandem reuertar. quum  
paulo ante dixerimus, hereticum de quo agimus, uo-  
luntariè nō peccare, uidendum est nobis prius, quām  
ad reliqua progrediamur, an argumenta habeamus,  
quibus axioma hoc nostrum probare possumus.

Author igitur ad Hebr: inquit, Nam si postquam **Hebr:10.26**  
ueri cognitionem asecuti sumus, data opera pecca- " "  
mus, non iam superest ullum pro peccatis sacrificiū: " "  
sed horrenda quēdam expectatio iudicij, ignisq; sæ- " "  
uitia aduersarios confecturi. Et alibi, Fieri non po- **Ibid:6.4.**  
test, ut qui semel collustrati cœlesti donum gustarunt,  
& participes facti fuerunt sancti Spiritus, præclarasq; " "  
Dei dicta, & æui futuri uirtutes gustarunt, & tamen " "  
relabuntur; ij iterum ad uitæ correctionem renouen-  
tur.

Duo hi loci manifeste eos comprehendere uidentur, qui uoluntariè aduersus agnitam ueritatem in  
peccato uel persistunt, uel etiā perniciosū aliquod do-  
gma promouent, ac defendunt: qui quidem & ad  
mortem, & in Spiritum Sanctum peccare à præstan-  
tioribus Theologis dicuntur. De peccato autem ad **1.Ioan:5.16.**  
mortem inquit Ioan: Est lethale peccatum: pro quo " "  
orandum esse non dico. Et de peccato in Spiritum " "  
Sanctum hæc Christus ipse, omne peccatum ac ma- **Matt: 12.31.**  
ledictum ignoscetur hominibus, at maledictum aduer-  
sus Spiritum Sanctum non ignoscetur. Quòd si pro  
homine huiusmodi criminis reo nullum superest sa-  
crificium, sed horribilis quēdam iudicij expectatio:  
si fieri non potest ut corrigatur: si pro eo non est

## SECTIO PRIMA.

orandum; si tandem Christus ait, huiusmodi maledictum minime condonandum fore; uana quidem (si modò tanti flagitiij hæreticus, ut uolunt aduersarij, sit insimulandus) ac impia fortasse fuisse ea Pauli admonitio, quum ait, hæreticū debere amanter instrui, ac patienter ferri, si forte Deus det illi poenitentiam, ut uerum agnoscat, ad seque redeat, & diaboli laqueum euadat, à quo captus eius arbitrio tenetur. Ad

**2. Tim:2.25,** quid enim hæc perditio, pro homine perdite spei orandi, eum instruendi, eiusq; resipiscientiam expectandi, si eius poenitentia nē sperari quidem potest. Apostolo igitur hæreticum hominem tolerandum, & instruendum monente, & poenitendi spatium concedente, aperte consequitur, hæreticum uolentem scientemq; non peccare.

**Tit:3.10.**

At uero, inquiunt, Apostolus, quum Titum admonet, ut hæreticum hominem post unam atq; alteram admonitionem declinet, mox subdit, sensi eum persuasum esse, & ita peccare, ut à se ipso damnetur. His Apostoli uerbis adhuc freti, hæreticum uoluntarie, et contra propriam conscientiam peccare contendunt, licet id negent usq; ad mortem pertinaces, id quod ne Papistæ quidem ipsi unquam dicere sunt ausi. Hoc autem euinci autumant ex ijs uerbis, VT A SE IPSO DAMNETVR: hoc est, inquiunt, proprio ipsius iudicio, Proptera quod ueritatem præfracte impugnans, uerboque Dei resistens, scientem prudentemque peccare se haud obscure declarat. Hinc autem colligunt, quemadmodum facinorosi homines flagitiij sibi

sibi consciij capitali poena è medio tolluntur, ita quoque hæreticos, eò quod se errare scientes uoluntarie peccant, ac ne proprio quidem iudicio cedere uolunt, ultimo supplicio affici debere. At longè alius est Pauli uerborum sensus: Genuina enim eorum interpretatione est, huiusmodi hominem, peccando suæ sibi condemnationis authorem esse: utpote qui in sana doctrina sibi diligenda rectè iudicasse autemans, quum falsam elegerit, proprio iudicio deceptus in eam damnationem incidit, quam miser ipse sibi paruit imprudens, in qua etiam persistere uelit, adeo ut omnino uitandus sit, tamq; morbi sui, quem nō agnoscit medicinam omnem prorsus affernaturus, ni modo diuinæ gratiæ radijs illustratus (ut afolet) Deo illi pœnitentiam ad uerum cognoscendum tribuente, diaboli laqueo soluatur, à quo arctissimè detinetur. Possumus etiam uerè non minus quam decenter, Cast: authore, dicere modum hunc loquendi illi alteri Paulino apud Lucam consimilem esse. Quia diuinam Act:13.46. doctrinam reijcitis, neq; uos sempiterna uita dignos iudicatis, scitote nos ad gentes conuerti. Neq; enim profectò indignos se scienter iudicabant Iudæi semperiterna uita: Sed ita se gerebant, ut se ea indignos præstarent. Sic hoc loco hæreticum illum pertinacem à Paulo ἀντονακτάνπιτον ideo dici arbitror, quia ea faciat, quibus se ipsum damnatione dignum prebeat. Hæc Cast. Vel seipso damnatus dicitur hæreticus (ut Erasm: interpretatur) quia damnatus est etiam si nemo illum condemnet. Atque ad hoc facit locus

## SECTIO PRIMA.

- ille in Ioan. Euang; cap. tertio. Qui ei fidem habet  
" non damnabitur, qui uero non habet, iam damnatus  
" est, quod unigenitum Dei filij nomini fidem non adiun-  
xerit. Quod si Apostoli uerba ex eorum interpretatione accipi deberent, Paulus contra se ipsum egre-  
giè pugnaret: quum alibi dicat, haeretico parcere debe-  
re, eumque diuinæ gratiæ luci, si unquam ab ea illu-  
stretur, commendari. At uero quod usque ad mortem  
(ut aiunt) uoluntariè peccet haereticus, quis ut idem  
Casti ait, haeretico, dum uiueret, se peccare perpetuo  
negante, post ipsius mortem id illis testari potuit.  
Num co uiuente in ipsis cor (quod solius Dei est)  
penetrarunt? Ego Ioua (ait Dominus) et corpor-  
Ierem:17. scitor, et renes exploror. Et David Solomonem fi-  
lium instruens, omnium mentes, inquit, perscrutatur  
10. Ioua, omniumque cogitationum conata perspicit. Pau-  
lus quoque, Animorum autem indagator nouit, quæ sit  
Paralip:28. spiritus affectio. Haud igitur uerbi ministri, princi-  
9. Rom:8.26. pes, aut magistratus, homines quum sint, haeretici  
mentem penetrare, et an malitia, aut ignorantia du-  
" flus peccet, dignoscere queunt. Neque uero quæ ex-  
" trinsecus notantur signa, et conjectura abunde sus-  
ficiunt, ad animi interiores affectus pernoscendos, ad-  
eo ut uerbi minister, ac magistratus, et si haereticum  
uoluntariè, et malitiosè peccantem capite plecten-  
dum censeat: miseri illius effundere sanguinem secu-  
rus audere debeat. Quod si conjectura aliqua, exte-  
riorue significatio interiores animi affectus indicare  
potest: quænam (quæso) conjectura certior, quod  
signum

signum evidentius, quæ magis efficax demonstratio,  
imò uero certitudo clarior haberi potest non male  
conscientie, quām hominem opinionis suę retinendę  
causa proprium sanguinem effundere, uitamq; negli-  
gere, calicemq; illum bibere, qui non tantum cuius  
humanæ menti horrorē incutere sit solitus, sed ipsius  
Domini nostri Iesu Christi sensibus acerbus adeo,  
adeoq; amarus fuit, ut miserore confectus, animo æstu-  
ans, sudore ex eo sanguineis guttis simili emanante,  
ac in terram usq; delabente, patrem obnoxiam precca-  
retur, ut ab eo poculum illud auerteret: cælesti q; an-  
gelo illi opus fuerit, qui dolorem leuando, ipsum con-  
firmaret. Et nos misellum hominem cernemus hilari  
interdum uultu, intrepidōq; animo uoluntariam mor-  
tem oppetere (mortem etiam omnium horribilissi-  
mam) & non solum coniçere, uerum etiam pro cer-  
to affirmare audebimus, obstinate hunc, & malitiose  
peccare? An ignorat iste, se hac mente morientem nō  
corporis tantum, sed animæ quoq; iacturam facturū?  
Omne agens (ut aiunt) agit propter finem. Neq; ul-  
lus est, quin actionibus suis finem aliquem præscri-  
bat, quem sibi, aut utilem, aut honorificum, aut dele-  
elabilem, aut saltem malorum, & miseriae metam, uel  
leuamentum fore, persuasum habeat. Sed quisnam  
erit finis infelicitis illius hominis, corporis unda, &  
animæ interitum sibi uoluntariè diligentis? Si cum  
utraq; uita simul, fortunarum, filiorum, cognatorum,  
amicorum, ac deum rerum omnium fit iactura: pro-  
feciō finis in quem spectat hereticus uoluntariè mo-  
riens

## SECTIO PRIMA.

riens haud esse potest, fortunas aut imperium sibi parare, neq; cum his unā, filios, uxorem, consanguineos amicosq; conseruare. Quòd si eius finis ambitio sit, mundanaq; gloria, rem profectō parat ipse sibi optatis institutoq; suo ad rectam (ut aiunt) lineam contraria.

Nam quicunq; hereticus moritur, infamis, & decoris plenus ē uiuis decedit: haud enim mors reperiri potest adeò probrosa, quæ hominum opinione p̄ ea non sit decora, & honorifica. Quòd si huiusmodi homo Christiani etiam luminis esset penitus expers, atq; adeò tandem impius, ut nullam post præsentem hanc esse uitam arbitraretur, an credibile est, aut sibi quisquam persuadere potest, delecturum sibi mortem, ob quam perpetua futurorum hominum memoria indelebili probro ac ignominia notandus esset? Ex ethniciis non solum inter Philosophos, uerum etiā inter politicos, militaresq; viros nonnulli fuere, qui uoluntariam mortē adierunt. Sed omnes ad finem aliquem respexeré, quem uita potiorem duxerunt. Qui uirtutis amore mortem obibant, si animani immortalem esse credebat, sempiterna felicitate uel in cāpis Elisijs, uel in ipso cōelo se potituros sperabant. Sin autem mortalem opinabantur, nil felicius homini contingere posse putabant, quām si post mortem, celebrem ac perpetuo mansuram famam relinquenter. Socrates igitur, qui ob quam colebat religionem intrepidus obiit, ideo hilari uultu uenenum sumpsisse creditur, quòd beatam post obitum uitam se perpetuō ducit.

ducturum speraret. Anaxarchus quoq; qui, quum uiuus in saxa pila ferreis malleis tunderetur, adeò toleranter asperrimos illos cruciatus pertulit, ut memorabile illud sit eloquutus, Tundite, tundite Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tunditis: ad id adactum fuisse manifestum est, quod animam immortalem esse existimans persuasum haberet, sese è mortali uita ad immortalem felicitatem migraturum. Curtius Romanum adolescentem legimus pro patriæ salute se Dijs manibus deuouisse, et idcirco in profundum illum terræ hiatum armatum equo insidentem sese præcipitem dedisse, id quod quisnam facturum ineptè crediderit, ni se post mortem beatitudinem semperiternam, uel immortalem saltem gloriam assequuturum putasset? Qui uero aliam ob causam, quam uirtutis amore uoluntari in mortem oppetiere, aliquem et illi finem sibi proposuere, quem sibi uita potiorem iudicarunt. Annibal, qui ne in hostium Romanorum manus deueniret, hausto ueneno, quod sub gemma in annulo gestabat, sibi mortem consciuit, aut ijs fidem habens, qui animæ immortalitatem probant, uitæ huius ærumnas effugiendo, aliam perpetuò beatam se adepturum confidit: aut animam cum corpore interitoram putans, egregio illo facinore probrosam seruitutem deuitare, et immortalem simul famam, gloriamq; indelebilem sibi comparare credidit: id quod apud ethnicos felicissimum habebatur. Nam si meliorem sibi mortem fore non duxisset, uitam profectò cum ea sponte non commutasset: Quod tandem

de

## SECTIO PRIMA.

de omnibus qui uoluntariam mortem obijſſe memo-  
rantur (ut dictum est) censeridebet. In aliquem igitur  
finem hæreticum quoq; respicere necesse est, quem  
sibi uita utiliorem, iucundiorem, siue honestiorem  
existimet: non autem uno, eodemq; temporis momen-  
to, corporis, anime, fortunarum, & dignitatis  
ultrò iacturam facere: quum possit ad ultimum uitæ  
spiritum errati sui confessione in matris Ecclesiæ  
amplexus se recipere, adeoq; ea omnia à tanta cala-  
mitate sarcia tecta conseruare. Quotus autem quisq;  
erit, qui briuiusmodi hominem, talem de se spectaculu-  
edentem, & Christi nomine ſc̄pe ſc̄pius repetito  
uiuum ſe cremari tolerantem, mortemq; quam Chri-  
ſtus ipſe horruit & uoluntariè obeuntem cernat, non  
ignorantia potius, quam malitia diuclum arbitretur.  
Ego uero omni procul dubio crediderim, non modò  
pium mitemq; Christianum, uerum quemuis Scythā,  
aut Lestrygonem, omni diritate atque immanitate te-  
terrimum, rem adeo indignam ſpectantem, hominem  
inquam summo supplicio ſe maculari ferentem, quum  
propriè ſaluti unico uerbo consulere poſſit (ex quo  
non ſuę culpa conscientium, ſed erroris ignarum ſuſpi-  
cari ſaltem necesse eſt) in ardentem pyram coniectu-  
rum ſeſe, ut inde miserū illum eriperet atq; ſeruaret.  
Tu uero Domine Deus noster, qui peccatum peccato  
plectere non raro ſoles, iusto quidem iudicio nostrū  
quorundam corda obtenebras, eorumq; animos in-  
duras: permittis enim ut priore admisso facinore, ne  
hominibus erraffe uideamus, in aliud incurramus,

ad

admissum errorem iustitiae nomine defendantes, & noua culpa ueterem cumulantes. An non istorum potius, quam hæretici peccatum aduersus conscientiam. Quod si quis eis obijciat, in sententia in huiusmodi hominem ferenda contra conscientiam peccasse, quamuis id usq; ad mortem obstinate negarent, nulla profecto illos iniuria afficit, qua ipsi prius alium non affecerint.

Sed respondent aduersarij, argumentum hoc nostrum hæretici fortitudinis in morte obeunda fallax esse. Nonnullo enim, inquiunt, uidemus ob iniuriant in hoste ultam libenter, & ob expletum animum letos mortem obire. Hoc ego si negem unquam accidisse, quibus argumentis, quāue ex historia sumitis exemplis probare ualeant uiderint ipsi: quod si fecerint, tunc denum me plenissimè responsurum recipio. At uero interim, ne locus iste silentio penitus inuoluatur, ex ipsis quero, an credant, ultorem hunc, quem fingunt libenti animo mortem adeuntem, proposita sibi conditione ( si modo errorem agnoscit, alioquin nihil ad rem) unica erroris sui confessione uitam redimendi, ipsam accepturum. Ecquis, quæso, sanctæ mentis hoc negabit? Quid ergo cum hæretico simile est huic ulti? Hic, et si letus, ob ultam iniuriam, inuitus moritur, & uite conditionem libenter acciperet: ille mori mauult, quam opinionem suam erroneam esse fateri. Faceant igitur cum suis comparationibus.

Addunt præterea alios reperiri, qui maximis per-

petra-

## SECTIO PRIMA.

petratis sceleribus, nullis tormentis adigi possunt, ut delicta fateantur. Sed cruciatus omnes obstinato animo constanter patiuntur, ac mortem intrepidi perfrunt. Respondeo horum constantiam in delictis reticendis suum quoq; finem in eorum mentibus habere: is autem est, ut mortem deuitent: quam, si errata fanteantur, effugere se non posse haud ignorant, ideoq; excruciar, ac dilaniari, quam mori malunt: adeò, ut interdum, ut & consulere satagentes, inter cruciatus ipsos imprudenter, potiusq; intrepidè moriantur. Si quando autem ad destinatam nihilominus pertrahunt necem, quamnām constantiam ostendunt, quæ hæretici fortitudini sit comparanda? Ipsi enim sciunt, uelint nolint sibi moriendum. Hæreticus autem nouit, opinione ob quam neci datur reiecta, & (ut aiunt) abiurata, se mortis supplicium euadere posse: & tamen putans se sancte de religione sentire, mori satius dicit, quam Deum contumelia afficiendo opinionem suam abnegare, eaq; ratione in æternam animæ perniciem, atq; interitum incurrere. Ex quo consequitur, scelesti illius hominis obstinationem, seu matris constantiam, cum hæretici fortitudine confiri non posse.

Aug:Ep:  
61. & 50.

Ad hæc obijciunt nobis Circumcellionum demen-  
tiam, qui se ex alto præcipites dabant, & Donatista-  
rum insaniam, qui se ipsos necabant: Sed nec ad rem  
quoq; faciunt huiusmodi exempla, ut ex illis cuin-  
cant, hæreticum uituperabili potius obstinatione con-  
tra conscientiam, quam intrepida animi fortitudine  
cum

## SECTIO PRIMA.

17

cum recta conscientia iuncta, mortem oppetere. Si quidem primum omnium, hi quoq; suum finem habebant, quemadmodum Ethnici, quos supra notauimus: Circumcelliones quidem spreta eo pacto, atq; odio habita mortali uita immortalem se adepturos impiè sperantes: Donatistæ uero Catholicos etiā ea ratione iniuria se afficere stultè credentes: Horum præterea opiniones, & desideria, quū nullo saltem apparenti scripture adminiculo fulciri, aut defendi possint, ut possunt Brentio authore hæreticorum dogmata: meras esse stultitias nemo non statim agnoscat: neq; ullus Christianorum dogmatum tam ignarus reperiri potest, qui sciat, sibi ipsi mortem consciiscere barbarū ac ferinum esse furorem, non modò à diuinis, sed ab humanis quoque legibus abhorrentem, miserasq; animas ad tartara detrudentem: unde etiam qua mente id agant iure dubitari potest: Malam autem illam conscientiam, de qua ab aduersarijs longus habetur sermo, ab hæretico quam longissime abesse, uel ex eo manifestè apparet, quod hæreticus, de quo nobis est sermo, in uoluntaria morte, & Deum inuocat, & illi salutem suam commendat, & Christum eius filium, redemptorem, & scrutatorem agnoscit, hymnosq; illis, & laudes interdum canit in medijs flammis: qua quidem omnianon obstinati, aut malitiosi animi, sed Deo, & Christo fidentis, atq; in ipsis spem suam locantis certissima sunt indicia. Ethnicorū uero exempla, que in mediū afferunt, Reguli scilicet, Scœuole, & similiū; eiusdem generis sunt eorum, que supra,

D

## SECTIO PRIMA.

commemorauimus; Socratis inquam , Anaxarchi, Curtij, Annibal is : qui quidem omnes constanti animo , ob finem sibi propositum, mortem obierunt: Finis autem hæretici ( etsi in uia ad salutem ducente, proprio deceptus iudicio, aliquid errat) quum nullus aliis (ut iam uidimus) esse posset, æterna anime salus sit oportet: cuius se iacturam faciurum arbitretur, si opinionem suam abnegauerit, Eode quoque spectant, eiusdemq; farinæ sunt, exempla mereiricis , quæ sili dentibus linguam abscidit, ac mulierum antiquorum Gallorum, quæ in ignem uirorum suorum corpora comburentem se coniiciebant: omnes enim ad finem aliquem respexerunt: Anabaptistarum tandem, hominum, ac mulierum , quam nobis obiiciunt historiam, obstinate morientium, ac ne quidem flagitijs, & facinoribus suis patrandis peccasse fateri uolentium, cause inter nos controuersæ minime congruit: isti enim aut flagitia sua non agnoscunt, aut si agnoscunt , ciuiusmodi sunt, ut licet eis fateantur , se tamen idco mortem effugere non posse certò sciant.

Atqui (ut iam demum uno uerbo dicam) exempla ab aduersarijs allata, ut argumentum nostrum refellant, de hæretici conscientie certo iudicio per eius uoluntarie morientis constantiam, & intrepidi animi fortitudinem , argumenta nostra nequaquam redarguunt. Hec est enim eorum ratiocinatio : Regulus, Mutius, mulieres Gallorum, Ethnici tandem omnes constanter mortem obierunt, ergo hæretici uoluntarie morientis constantia, bonam ciuius conscientiam mini-

me

mē probat, neq; ex hoc, eum ignorantem peccare  
cuīcitur.

Sed nos contrā hoc modo ratiocinamur: Curtius,  
Regulus, Mutius, Anaxarchus, Annibal constanter,  
fortiter, ac uoluntariè obierunt propter finem sibi  
propositū, & benē sibi conscijs, quamquā boni specie  
decepti: ergo h̄ereticus uoluntariè, constanter, fortiterq;  
moriens finem habet sibi propositum, & licet  
(quod attinet ad opinionem, pro qua moritur) pro-  
prio iudicio sit deceptus: attamen sibi benē conscius,  
nec scienter, nedum obstinate & malitiose pec-  
cat. Haud enim mente concipi, ne dum credi potest,  
hominem reperiri posse, qui sciens prudensq;, perui-  
cacia tantum, atq; obstinatione percitus, nullo sibi  
ne proposito, quem sibi uita potiorem cognoscat, aut  
existimet mortem malorum omnium maximum sibi  
deligere ac comparare uelit, quod unico uerbo deui-  
tare possit. Sed h̄ereticus, inquit, et si malitiosus est,  
& obstinatus, attamen stupidus est, & ebrio similis:  
Sed bone Deus, quā enā tricē sunt istāe? Quomodo  
in uno, & eodem subiecto stupiditas, & malitia co-  
hērere possunt? Malitia enim non datur sine aliquo  
iudicio, ac certa cognitione rei, quā agitur: stupiditas  
uerò certa nos cognitione priuat, & saxo truncoue  
ferē similes efficit. Qui, obsecro, potest inueniri ho-  
mo, qui sciens prudens aduersus propriam consci-  
tiam à Deo deficiat, ueritatemq; impugnet, & una &  
stupidus adeo sit, ut nesciat quid agat, & pro menda-  
cio afferendo stulte mori sustineat?

## SECTIO PRIMA.

Eodem quoq; spectat , quod aiunt de malitiosa  
ignoratione. Malitia enim (ut diximus) certum iudi-  
cium habet, certamq; rei que agitur scientiam: igno-  
ratio autem iudicio, & scientia caret: non enim quis  
potest in eo quod ignorat scire, ex iudicare. Ad id  
autem, quod ex Augustino proferunt, Causam nimi-  
rum, non pœnam martyrem efficere, non est quod re-  
pondeam: Non enim hic nobis est quæstio, an hære-  
ticus constanter moriens inter martyres censi de-  
beat: sed, an hæreticus uoluntariè, ex contraconscien-  
tiam peccet. Quum autem ad hoc declarandum satis  
superq; dixerimus, iam ad alia transeamus.

Operæ premium igitur est uidere , etiam si fingat  
hæreticum, ut isti uolunt, uoluntariè et malitiose pec-  
care, an ex Pauli locis, unoq; Petri , quibus, præter  
uerbi Graeci etymologiam uerum hæreticum defini-  
ri contendunt: cuimci posset talem, qualem ijsdem lo-  
cis depingunt hæreticum, capitali seu alia graui poe-  
na multandum esse, an potius seruandum , toleran-  
dum, & admonendum.

i.Corr.ii.17. Primum igitur omnium adsumunt sibi locum Pau-  
li primæ ad Cor: Audio (inquit a post:) dissidia in  
uobis esse, & non nihil credo: oportet enim in uobis  
hæreses esse, ut probi inter uos manifesti fiant. Sed  
num aliquid continet locus iste, ex quo coniici posset,  
Apostoli hæretici mortem sive punitionem præciperē,  
aut commendare? Nihil profectò. Imò uero ex uerbo  
OPORTET, potius colligi potest, hæreticum esse se-  
rendum: Ni mirū ex usu Ecclesiæ esse , inter nos falsa  
doctrina

## SECTIO PRIMA.

19

doctrinæ satores uersari, ut eorum collatione, & ueri  
pij noscantur, atq; probentur, & ijdem boni à malis  
illis uexati meliores euadant, & maiore diligentia,  
acrioreq; studio incumbant in eliciendis sacræ scri-  
pture ueris sensibus, ut hæreticos ex ea conuincere,  
sanamq; doctrinam ab eorum tricis defendere pos-  
sint. Ad hunc modum Aug: locum hunc se intellexis-

se ostendit, quum Zizaniorum parabolam explicans Quæst: in  
ait, Zizania non esse euellenda, eò quia non ita con- Mat:cap:  
stitutus sit homo in hac uita, ut certus esse possit, quid 13.  
error eorum conferat ad profectum bonorum , nec  
esse tales auferendos de hac uita", ne bonis obsimus, " "  
quibus & inuiti forte uiles sunt Verum multò cla- " "  
rius sententiam hac de re suam declarauit idem Aug:  
quum Numer:cap: 16. interpretans, inquit, Ista ergo Aug: Ser:  
thuribula ærea, id est hæreticorum uoces, si adhibea- de Temp:  
mus ad altare Dei, ubi diuinus ignis est, ubi uera fidei 98.  
prædicatio, melius ipsa ueritas ex falsorum compa- "  
ratione fulgebit. Si enim (uerbi gratia) dicam, Ponam "  
dicta Arianorum , uel Manichæorum, aut alterius .  
cuiuslibet hæreticorum, & ex sermonibus, & scri-  
pturarum diuinarum testimonijs, uelut diuini altaris  
igne confutem, nonne euidenter eorum ex ipsa com-  
paratione apparebit impietas ? Nam si doctrina Ec-  
clesiastica simplex esset, & nullis extrinsecus hæreti-  
corum dogmatum assertionibus cingeretur, non po-  
terat tam clara, & tam examinata uideri fides nostra.  
Sed idcirco doctrinam Catholicam contradicentium  
obsidet impugnatio , ut fides nostra non ocio torpe-

D 3

## SECTIO PRIMA.

„ scat, sed multis exercitationibus elimetur. Propter  
„ hoc deniq; & a postolus dicebat: oportet autem hæ-  
„ reses esse, ut probati quiq; manifesti fiant inter uos.  
Hoc est dicere, oportet hæreticorum thuribulis alta-  
re circumdari, ut certa, & manifesta omnibus fiat fi-  
delium, atq; infidelium differentia. Qum enim fides  
Catholica, uelut aurum ceperit fulgere, & prædica-  
tio eius, ut argentum igne probatum intuentibus re-  
splenduerit, tunc maiore cum turpitudine, & dede-  
„ core obscuri æramenti uilitate sordebunt. Hæc ille. At  
„ uero, ne quis ex Coræ, & sociorum incendio cona-  
„ retur doctrinam elicere, hæreticos comburendi, inse-

Tract: de rius subdit Aug: Quomodo combusti sunt illi in cor-  
Conf: Mat: p̄ore, sic isti exurentur in corde. Alibi uero ait, Vtiles  
& Lucæ, de sunt hæretici ad inueniendam ueritatem, dum calum-  
Gen: Chri niantur ad seducendum. Negligentius enim ueritas  
sti. quæreretur, si mendaces aduersarios non haberet.  
Oportet enim, (inquit Apost:) hæreses esse: Et quasi  
causam quæreremus, subiicit: ut probati manifesti  
fiant.

De vera Rel: cap: 8. Alibi quoq; ut apur, igitur etiā, inquit, hæreticis:  
non ut eorum approbemus errores, sed, ut catholicam  
disciplinam aduersus eorum insidias afferentes, uigi-  
„ lantiores, & cautiiores simus: et si paullo superius ci-  
„ tauerat eundem Pauli locum. Idem quoq; sentit Con-  
„ fess: lib: cap: 19. De ciuit: Dei. lib: 16. cap: 2. De gen.  
Contra Manich: lib: pri: cap: pri. contra Pelag: &  
Celest. lib. secundo, cap. 22. Quibus in locis citat  
Apost: uerba, Oportet, &c.

Hoc

## SECTIO PRIMA!

20

Hoc idem quoq; sentit Lutherus, quum ait, *Etsi Lut: Enar:*  
*enim hi triticum impediunt, causa tamen iuxta sunt, 197.*  
*ut tanto uenustius ac pulcrius triticum Zizanijs col-*  
*latum appareat: iuxta illud Pauli, Oportet hæreses*  
*esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant.*

Cæterum non melatet, haud deesse qui dicant, uer-  
 bum OPORTET necessitatem absolute non impor-  
 tare: Sed quandam tantummodo præcedentium con-  
 sequentiam. Paulus enim, inquiunt, quum cerneret  
 Satanam omnia miscentem, Ecclesiam perturbare, in  
 firmosq; multos ab eo seductos eius uestigia sectari, ad  
 hunc modum colligit, Profecto, si res sic se habet,  
 oportet ut hæreses oriantur. Sic quoq; medicus (per-  
 gunt) si aliquem uiderit intemperantem, et plus  
 æquo cibis se ingurgitantem, certo iudicio conicxit,  
 Oportere hunc in febre incide. Rusticus quoq; ho-  
 mo, itemq; nauta, signis de caelo moniti, pluuias ac  
 tempestatecs præsagiunt. Verum quo pacto constare  
 potest huiusmodi explanatio, sequente, ut, particula,  
 superiorum rationem tam aperiè reddente? hoc est,  
 cur oporteat hæreses esse, nimirum, ut earum collatio-  
 ne ueri pīj noscantur. Id quod uerbis supra notatis  
 declarat August: quum ait, Oportet, inquit Apost: Tract: de  
 hæreses esse: Et quasi causam quereremus, subiicit, ut  
 probati manifesti fiant. Ad hoc iterum opponunt, VT Cons: Nasc  
 particulam, non ita interpretari debere, ut absolute  
 causam reddat superiorum, sed quasi per consequens:  
 quemadmodum Christus, In hunc Mundum, inquit,  
 ueni, ut qui non uident uideant, et qui uident cæci lo:9.39.

& Luc: de  
Geneal:  
Christi.

## SECTIO PRIMA.

Rom:5. 20. sicut. Et Paulus, Lex autem superuenit, ut plus esset  
,, delicti: quo plus autem fuit peccati, eò magis excel-  
„ luit gratia. Respondeo, etiam si illis detur particulam,  
„ VT, in locis ab eis citatis consequitionem ostendere,  
„ non idem euenire in loco, de quo nobis est sermo: in  
quo, quum particula, VT, uerbo OPORTET ne-  
cessitatem denotanti in alio orationis membro subse-  
quatur, quis non uidet illam necessitatis causam, non  
consequitionem ostendere? Quòd si ad superiorē  
eorum expositionem uerbi OPORTET iterum me  
allegēnt, locum proferant ex eis peto, in quo uerbum  
OPORTET, cui particula VT in sequenti membro  
subsequatur, consequitiam significet: Simile enim  
cum simili conferre decet. Quòd autem colligere ui-  
dentur, id omne utilitatis & lucri, quod ex hæresibus  
prouenit, non hæresibus ipsis, sed Dei bonitati acce-  
ptum ferri debere, quis est tam bardus, quin sciat Deū  
bonorum omnium efficientem causam esse? Quare,  
si hæreses dicimus aliquid boni in Ecclesiam impor-  
tare, ipsius Dei instrumenta, non autem efficientes  
causas esse agnoscimus. Nam Iuda quoq; Iscariote, li-  
cet scelestissimo, tanquam instrumento usus est Deus  
ad salutem Christi morte nobis impertiendam. Vides  
pie lector, quæ sint istorum effugia, quotq; modis elab-  
i nitantur. At sophisticis eorum rationibus non con-  
futabitur nostra ex August: & Lutherō sumta inter-  
pretatio.

Galat:5.9. Secundus quem sibi sumunt locus est Pauli ad Ga-  
lat: Paullum fermenti (ait ille) totam massam sermen-  
tat.

Lat. Evidem mihi de uobis persuasi, uos omnino non  
aliter animatos fore. Verum qui uos turbat, dabit poe-  
nas, quisquis sit.

At quas hic poenas intelligit Apostolus? Num for-  
tasse multam per Magistratum irrogandam? An potius Dei in reprobos iudicium, Regis Christi ore pro-  
nunciandum? De hoc iudicio, non autem de illo locū  
hunc exposuit Henr: Bulling: quum dixit: Deinde  
uerò munatur Pseudapostolis & turbatoribus iudiciū Bulling: in  
Domini, à quo non sit liberatura cuiusquam existima Gal:3.93.  
tio, uel authoritas: qua tamen uehementer intumes-  
scabant æmuli Apostoli Pauli: Ibi autem Bullim:citat  
Micheæ 4. & Hierem:23. qui quidem de hoc iudicio  
uerba faciunt.

Idem Bulling. explicans Pauli locum. 1. Cor: Si quis Dei templum corrumpit, corrumpet illum Deus: Cor:3.14.  
inquit, superioribus rectè subiungit minas Pseudapo-  
stolis intentatas per apostrophen. Meminerat enim et  
ædificij. Commodè ergo nunc mēminit templi spiri-  
tualis, & ueri ædificij. Quod autem coetum fidelium  
dicit esse templum Dei, præstrucio est ad argumen-  
tum consequens. Ceterum fideles templum Dei uo-  
cat, propter spiritum habitantem in cordibus eorum.  
Argumentum autem Pauli, quo Pseudapostolos terri-  
tabat à pœnis sumptum, & per collationem aptatum,  
tale est: quandoquidem is merito afficitur supplicio,  
qui templum ab homine constructum, & dicatum  
profanat, certè multo iustiore supplicio à Deo per-  
dendus est, qui falsa doctrina templum Dei, ipsum ho-

## SECTIO PRIMA.

A Deo in minem, polluit. Et concludens tandem sententiam, inquit, non quit, Profanant autem Pseudapostoli uerum Dei templo doctrina falsa: Pseudapostolos ergo perditurus est Deus. Hæc etiam nostri temporis impostoribus dicitur: quos suo tempore merito supplicio afficiet Dominus, Matt: 24. & 2. Pet: 2. Hinc tandem colligimus, iudicium hoc ad Deum, non ad homines spectat: re: de hoc enim loquitur Matt: & Petr: à Bulling: citati.

Tertius, quo nituntur locus, ad suam hæretici definitionem statuendam, ex Pau: ad Rom: ab eis assumitur. Ibi enim apostolus cohortatur fratres, ut caueant ab illis, qui seditiones, et offensiones excitant contra eam, quanquam acceperant doctrinam, eosque declinet. Quo in loco Apostolus seditionis ipsis nihil mali à ciuili gladio minitatur: tantummodo Romanos monet, ut ab eis caueant, eosque declinent.

Quartus iam sequitur ex prima ad Tim: desumptus. Ait enim apostolus: Si quis diuersam docet doctrinam, neque sanis Domini nostri Iesu Christi dictis, pietatisque doctrinæ accedit, &c. Quo in loco sententiam suam perorans Apostolus nullam decernit poenam huic uerborum Christi pietatisque doctrinæ corruptori, falso autem, & ab se promulgatore discepantibus publico doctori. Tantum pios monet, ministros præsertim, in ipso Timotheo: ut ab eis caueant, eosque declinent.

2. Tim: 2. 17. Quintus est ex eius secunda ad eundem Tim: contra Hymenæi & Phileti hæresim: quorum sermonem dicit animas hominum deuoraturum, quemadmodum

gan-

gangrena humanam carnem corrodit. Diligenter autem expendede<sup>s</sup> est locus iste; nam, quum aduersarij afferant, licet nouiis haereticus, nec ob quemvis fidei articulum statim capite plectendus sit: illius tamen uite non esse parcendum, qui ea religionis capita impugnat, eaq; negat, quibus uniuersa religio, ac fidei fundamenta destruuntur: animum aduertere par est ac recte intelligere, an resurreccio mortuorum, quam Hymenaeus, & Philetus negabant, articulus sit ex Christianæ religionis præcipuis, & an eo desru<sup>c</sup>to, fidei nostra struclura penitus subuertatur. Et tamen Apost: nullis humanis peccatis scelestos illos addicit. Imò uero ait, Dei fundamentum firmum manere, nonuisse Dominum qui sunt sui. Quasi diceret, perniciosa istorum haeresi non obstante, qui Dei essent nullum passuros detrimen<sup>tum</sup>: quippe qui clypeo uerbi sui, non autem carnali gladio optimè muniti, omnes peruersorum hostium ielus uitaturi essent.

Postremum locum notarunt ex Petro; quo in loco 2. Petr: 2.1.

Apostolus ipse, post exactam enumerationem malorum qualitatuum pseudodoctorum, nullum in eos iudicium pronunciat. Tantum ait, eorum supplicium iam diu non ociali, neq; perniciem dormitare. Sumtoq; exemplo angelorum, qui peccauerunt, antiqui generis Noe tempore diluvio extincti, itemq; Sodomæ & Gomorræ urbium euersionis, concludit, scire Dominum pios è periculo eripere, & iniustos ad iudicij diem cruciando custodire: ad quem intelligit ipse Apostolus falsos uates, de quibus sermonē habet, esse seruandos.

Versi<sup>z</sup>.

Ex

## SECTIO PRIMA.

Ex predictis tandem colligitur, sex locos, quibus  
heretici definitionem formare aduersarij cōtendunt,  
in quibus de uero hæretico, & tali, qualem ipsi fin-  
gunt, omnino agi fateantur, necesse est carnali gladio  
eum nequaquam esse multandum docere, sed Dei iu-  
dicio permittendum. Id quod multo clarius appetet  
ex 2. ad Tim: loco, quem superius summis (ut aiunt)  
labris attigimus: hic uero nimis loco suo acriore  
cura expendemus. Nā, Domini seruus (inquit Apost.)  
pugnare non debet, sed erga omnes mitis esse.

a. Tim: 2.  
24.

Verū qui omne dicit, neminem excludit, ne hæ-  
reticum quidem. AD DOCENDVM accom-  
modatus. Iam non dicit ad insectandum. MALOS  
TOLERANS. Non ait, Ad Magistratum deferens.  
CVM MANSVETVDINE erudiens eos, qui obsi-  
stunt. Non dicit, Curans ut Magistratus illos expellat,  
releget, igne, ferroq; absumat. Explicans dcinde cau-  
sam Apost: quamobrē hæreticos patienter ferri præ-  
cipiat: si forte, inquit, Deus eos ad frugem reuocauer-  
it, ut uerum agnoscant, ad seq; redeant, & Diaboli  
laqueum euadant, à quo capti eius arbitrio tenentur.  
Iam uero haud equide crediderim aduersarios affir-  
mare id genus hæreticorum, qui à Paulo ijs notis hoc  
loco describuntur, ex eorum esse classe errantium in  
fide, quos proprio nomine infirmos in fide appellari  
asseuerant, quosq; (ut asserunt) Apost: placide tracta-  
ri, ac patienter tolerari præcipit, quousq; diuina luce  
illustri resipiscant: quandoquidem notæ, ac lineæ,  
quibus à Paulo effinguntur, manifestè nos admonent.

eos definitione ab ipsis statuta complecti, & graphio  
cè designari Nam quum eos malos appelleat, uerbo  
Dei præfractè resistentes, Diaboliq; laqueis irretitos  
eius arbitrio detineri dicat, quisnam inficias ire pos-  
sit, eos, non primæ, uerum secundæ illius Clas̄is, &  
tandem ueros prorsus hæreticos esse? At nihilominus  
Apost: descendit ac resipiscendi spatiū illis conce-  
dit, atq; humaniter tractandos docet. Sed inquiet,  
Paulus de ministri officio, non de Magistratus mune-  
re agit: & Timotheum tamquā Ministrum sui officijs  
admonens, de Magistratus munere nihil detrahit. Nā  
ministri functio (aiunt) quum datus non sit illi gladij  
usus, est docere ignaros, & hæreticos ferre. Magi-  
stratus uero munus est eosdem grauiter punire, &  
interdum etiam capite plectere. Siquidem hoc modo  
colligere uidentur. Paulus non prohibet hæreticum  
necari, ergo potest interfici.

Atqui, eratne fortassis imperitus adeò a post:pin-  
guisq; Mineruꝝ, ut si hæreticum Magistratus gladio  
tollendum aliquando censuisset, ea uerba subieclurus  
fuisse, si quando Deus det illis pœnitentiā, ut uerum  
agnoscant, ad seqꝝ redeant? Quodiusquisq; est, quæso,  
qui nesciat post mortem resipisciendi spatiū non re-  
linqui? Quām ergo incongruens, inconditumq; fuiſ-  
set ea uerba addere, imania quidem, si hæreticum  
morte multari posse sensisset? Nemo profecto ne-  
scius est gladij potestatem penes Ecclesiæ ministros  
non esse, necq; eis licere ciuili ratione punire, uel inter-  
ficere quenquam. Ex quo colligitur, uerba omnia que-

de

## SECTIO PRIMA.

de tolerando, & ad Dei iudicium seruando hæretico superius notauiimus, non ministri authoritatem, qui gladium non habet, sed Magistratus potestatem, qui eum gestat, respicere. Quod si seruandus est hæreticus, non tantum per uerbi ministrum, sed ne per Magistratum quidem macilans erit. Nam uteruis corū ipsum occiderit, mors erit omnino, postquam (ut diximus) poenitendi tempus, & facultas non datur. Quapropter Apost: praeceptum de eo seruando inane penitus atq; inutile remaneret. Adde, quod ad hæreticum occidendum contra expressum Dei mandatum, NON OCCIDES, haud satis est dicere, Paulus non uelat, ergo licet; neceſſe est enim licentiam hanc in re tam graui, uerbo Dei, non humanis argumentis probari. Præterquam quod, equidem ignoro quomo- do salua uercundia dici posſit. A postulum hæretici mortem non uetusſe, quum adeò disertè tolerandum, eiusq; conuerſionem exspectandam præcepit: nam, quibus uerbis uti poteſt magis ad hoc declarandum perspicuis? Atqui quum cauillari uolumus, sophisma- ta non defunt.

Idem ferè nobis obiiciunt in Titi locum obiter su-  
Tit:3.10. perius ac leuiter examinatu. Dicunt enim ex uerbis,  
HAERETICVM declinato, haud inferri HAE-  
RETICVM non occiditorum uerò, quum legitima  
potestate fieri potest. At nos contra affirmamus, recte  
quidem inferri; quippe ijs, qui cauillationibus agere  
nolint. Paulus enim, quum Titum instruere uellet, qua-  
ratione sibi cum hæreticis effet agendum, & quo-  
tan-

## SECTIO · PRIMA.

24

tandem modo essent tractandi, tradidisset ne illi doctrinam confusam, mutilam, & imperfectam? Minime sane: sed claram, perfectam, & absolutam: ut uero tradidit. Nam si diuersum sensisset: hereticum uidelicet necandum, aut saltiem grauiter puniendum, non unico tantum, ac simplici uerbo (Declinato scilicet) usus fuisset: uerū disertis uerbis addidisset, hereticū, quum proprio iudicio (ut uolunt) damnatus sit, & sui erroris sibi conscius, dignum esse in quem seuerē animaduertetur. Neq; uero hic consuetum perfugium querere insistant, Magistratum scilicet Christianum ea tempestate non extitisse: nam ad hoc quoque suo loco respondebitur. Ad sumnam, tam grauis momenti doctrina non debuit ab Apostolo mutila, & manca tradi, sed (ut tradita est) perfecta, & absoluta. Quum enim dicit, Hereticum declinato, totum id compleclitur, quod ad causam heretici tractandam, ac de ea, post solennes monitiones, deliberandum pertinet, et ministrorum uerbi Dei relationes ad ciui-les magistratus, utq; heretici puniantur instigationes, susciones, & hortamenta omnino excludit. Quod autem attinet ad legitimam (quod atant) potestatem, nos non aliam quidem in hereticos (ut hereticos in qua) animaduertendi rationem agnoscimus, quam eam, quam Christus ore proprio primum, deinde Pauli uerbis, nos edocuit. Interim autem Magistratum à religionis cura nō excludimus: modò citra sanguinem, & omnem atrocitatem, à diuina uoluntate minimè recedendo, rite peragatur: ut in quarta disputatio-

num

## SECTIO PRIMA.

num nostrarum sectione, quemadmodū in partitione nostra polliciti sumus, latius declarabitur.

Sed, ut tandem loci huius explicationi finem imponam, ex eis quero, an causa, cur Apostolus hereticum serendum præcipit, cessauerit, an adhuc uigeat? Si cessasse afferant, cessationis causam quero? Nam, cur Deus Paulo uiuente heretici conuersionem concipiuerit, & ob id seruandum præceperit, nunc uero mutata leuiter sententia, eam despiciat, & hereticum necandum præcipiat? Si adhuc causa uigeat, & (ut consequens est) interdictum quoque quero tandem, cur contra Pauli monita, sancti spiritus institutum, hereticum ad pœnitentiam seruandum præcipientis, illum comburant?

Quamvis autem hic Pauli locus, abunde sufficere deberet ad probandum hereticum non occidi, sed ad resipiscientiam seruari debere, sunt alij preterea loci, ex quibus axioma hoc nostrum manifestè probatur.

Ioan:12.47. primum habemus in Ioan: dixisse Christum : quod  
“ si quis mea uerba audierit, neque crediderit, ego cum  
“ non damno: non enim ut Mundum damnem ueni, sed  
“ ut Mundum conservem. Non igitur debent uerbi ministri, quos Christi imitatores esse deceat, quemquam non credentem damnare, multò minus consilijs, suasionibus, publicis priuatissime delationibus curare, ut errantes in fide capite damnentur: sed Christi uestigia festantes, salutari doctrina eos instruere, & ad pœnitentiam seruare.

Jacobus, & Ioannes iniquo animo ferentes Samas, ritanos

## SECTIO PRIMA.

24

ritanos Christū admittere noluisse, interrogant eum, an uellet, iuberent ignem de Cœlo descendere, qui eos conficeret, ut etiam fecit Elias. At Iesus conuersus eos obiurgauit, Nescitis, inquiens, cuiusmodi spiritus filij suis uos. Nam homine natus, hominū uitas perditum non uenit, sed seruatum.

Exemplum hoc sibi proponant eius uerbi ministri; & aliquem interdum uidentes, Christum recipere nolentem, (hoc est, ueram, & sanam illius doctrinam non modò renuentem, sed etiam quandoq; op-pugnalem) ei si zelo perciti ei succensere possunt, nō tamen eius corporis uia, & anime necem exoptent, & moliantur: imo uero, ut fideles Christi imitatores, uita parcant, animoq; incolumentem sanctis monitionibus uerbo Dei intercedente comparare satagant. Et quando ignem de Cœlo (Eliae exemplo) elicere nequeunt, ne uelint, obsecro, cælestis ignis uicem terrenis flammis supplere.

Exemplum hoc miris modis eluadere, ac reiwcere contendunt aduersarij. Dicunt enim, Samaritanos ab hereticis longè differre: ut pote, qui populus erat falso cultui ab incunabulis addictus, & in eo natus, & educatus: heretici uero falsi sunt Christiani, seductores simplicium animorum, dignis poenis à Magistris affiendi. Per magniitidem interesse, inter præpostorum Apostolorum studium, qui spiritu ultionis in Samaritanos mouebantur, & pium ministri seu Magistratus Zelum in uindicanda Dei gloria ab impurissima hereticorum doctrina. Non posse igitur 54

E

## SECTIO PRIMA.

maritanos hæreticis, neq; Apostolos ministris, & Magistratui hoc exemplo comparari: ad propositam igitur nobis questionem nihil facere. Imo, inquam, multum. Non enim à nobis proponitur exemplum hoc, ut Samaritanos cum hæreticis, aut Apostolos cum ministris, & Magistratu conferamus: uerum, ut Christi benignitas, charitas, miteque ingenium à nobis imitandum propositū elucescat: & nos Christi exemplo à ſeuilia ad pietatem conuertamur: quā in exemplo ipso intueri docet. Nam cernens Iesu Apostolos præpostero studio percitos, cupere Samaritanos perfundare, ſeuitiam eorum ſuæ benignitatis exemplo retundere cupiens, ad eorum postulata piè respondens, ait, nescire eos quo ſpiritu ducerentur: ſeſe non homines perditum ſed ſeruatum ueniffe: Generale responſum filij Dei fuit, ut ex allata ab eo ratione patet aduersus omnem in religionis negocio ſeuitiam, non autem singulare aduersus eam tantummodo, que uitioſis ſtudio exercetur, uel de hoc tantum aut illo infidelium hominum genere. Etenim minimè dubitandum eſt, si hæretici eo tempore fuissent, Apostoli autem eodem moab Dominum interrogassent, quin idem responſum illis eſſet daturus. Verumtamen, quoniam hoc nostrum de pietate, mansuetudine, & Charitate Christi imitanda argumentum, ab aduersariis acerrime impugnatur, alibi loco ſuo eorum obiecta diluere, pro uirili parte conabimur. Sed nunc ad alia.

2. Tim:4<sup>14</sup> Alexander Faber ille ferrarius, multis malis afficerat

## SECTIO PRIMA.

25

cerat Apostolum Paulum. At is Timotheo scribens, non dicit, cum persequere: sed, cum tu quoque caueto. Quum igitur a postolum multis malis affecisset, ueribusq; suis uchementer restitisset, uidere licet, an pri-mæ illius Clas̄is esset erranium in fide, & infirmorum, an uero secundæ: hoc est uerus hereticus, et ob id non ferendus: Attamen nihil grauius in eum Paulus decernit: tantum Dominum orat, ut ei digna suis factis præmia rependat, uel potius, ut & Latini codices habent, & Theophilactus, licet Græcus, Erasmo teste, interpretatur, non orat, sed futurum tantummodo prædicit.

Morbum præterea, qui non bonos duntaxat mo-res, sed sanam quoq; doctrinam inuaserat, atq; infec-  
cerat, in Ecclesia Corinthiorum fuisse ex uerbis pri-  
me ad eos Apostoli epistole haud obscurè aparet: non  
enim unus tantum, sed plures inter eos erant, qui re-  
surrectionem mortuorum negabant: quæ hæresis est  
omnium fortasse deterrima, siquidem ut ex ipsius uer-  
bis aperte colligitur, si mortuorum resurrectio non  
est, cuane sit salus, et redemptio nostra.

Sed quid super hoc agit bonus ille a postolus? Nu-  
illos infectatur? Damnat hæreses? Anathemate sta-  
tim percutit? Arcet à sacris? sive (ut aiunt) à cœna  
suspendit? Minime sane, sed omni potius adhibita  
mansuetudine, humaniter eos obiurgat, erroris ad-  
monet, ad bonam frugem reuocare contendit. An pu-  
tas apud aduersarios hac ratione cum eo actum iri,  
qui uel simili, uel multo etiam leuiore hæresi infectus  
esset.

E 2

## SECTIO PRIMA.

Gal:1.6. &

3.1.

Exemplum huic simile habemus in Galatis : qui quidem ab emissariis quibusdam falsis fratribus fascinati, ac dementati, ueritati non obtemperabant : parumq; aberat, quin à fide penitus descisserent, uerten tes se ad Euangelium, ab eo, quod à Paulo acceperant longè diuersum. Neq; uero Apostolus alia ratione cū illis agit, quam cum Corinthiis egerat.

Tit:1.7.

Ad Titum scribens, uirtutesq; enumerans, quibus Episcopum præditum esse decet, inter alia ait, decere eum fidi sermonis, qui in docendo adhibetur defenso rem esse: quod possit & sana doctrina cohortari, & contradicentes refellere: haud enim tunc deerant, qui in ordinem redigi non poterant, refractarij, uanilo-  
10, qui & mentium seductores: circumcisi præsertim. Hi autem totas domos euertebant, docentes illicita, turpis lucri causa: ueritatem auersantes, polluta men te, & conscientia, Deum se scire profitentes, factis au-  
14, tem negantes, nefarij, contumaces, ad omnem rem bo nam inepiti. Ex quibus haud dubie coniici potest, pri mæ ne, an secundæ illarum classium essent ijs nebulo nes; nec tamen aliquid durius in eos Paulus decernit, quam ut seuerè arguantur, & Dei uerbo eorum ora obstruantur.

Tit:2.7.8.

Secundo deinde cap. ad eundem, ministrum ad horians ut uerbi Dei gladio, sana scilicet doctrina, in culpabilisq; uitæ exemplo hereticos expugnare contendat, ait, in cunctis te ipsum recte faciorum exemplum præstans: in doctrina integratatem, grauitatem, sanum sermonem, & qui damnari nequeat: ut aduer-  
sarij

sarij moueantur nihil habentes de uobis dicere uitiorum. Doctrina igitur, grauitas, integritas, sanis sermones, qui damnari non possint, arma sunt, & machine, quibus haereses arx nobis expugnanda proponitur: quibusq; haereticum captiuum ducere decet: nō autem iniuriæ, conuicia, contumelie, maledicta, terrores, mine exiliorum, carcerum, trirenum, crucis, ignis. Quod nec etiam ritè transfigi uidetur, ni ceterè à reieclorum commercio prohibeantur: ni ad uictum necessaria ipsis subministrari denegetur, ni demum aqua, & igni illis interdicatur. Id quod alicubi nos ipsi facilitari uidimus. Vbi etiam eò sauitiæ deuentum est, ut non modò ueros haereticos concremandos censcant, sed ne nūscrum quidem idiotam, qui ob ingenij hebetudinem, & literarum ignorationem, seu diuinæ lucis defectu, ueritatis capax esse non posset, tolerare uelint: nūrisq; modis, in ius eum uocando, interrogando, ad confessiones, & subscriptiones adigendo, ad Magistratum deferendo, eiusq; gladium ipsi minitando, uexant & exagitant. Disciplina, unde nescio elicita: certè non ex Christo, nec ex ipso Paulo: cuius monitis quam rectè pareant, ipsi uiderint. Is enim de 1. Cor:14.  
tolerādis huiusmodi ignaris, ita præcipit, Si quis sibi 37.  
uates, aut spiritualis uidetur esse, recognoscat quæ  
uobis scribo esse Domini præcepta. Quod si quis  
ignorat, ignorato. Hoc est, si intelligere nequit, nec  
ueritatem capere, sua ignorationi permittatur. Ex  
quibus dilucidè patet, Apostoli sententiam esse, eius-  
modi ignaros patienter ferri, diuinæq; gratiæ luci

## SECTIO PRIMA.

eius ignorantiam commendari debere. Hic enim uer-

• Bull: in. l. rus ac genuinus est uerborum Pauli intellectus. In  
Cor:14. 38. quibus explanandis à doctorum uirorum sententia  
fo:237. non recedimus. Bull: enim hunc locum explicans,

ait, At si quis istorum tam profanus est, ut istud uel  
" nolit, uel non possit uidere, age, suo periculo ignoret.

" Et ad explanationem suam confirmandam, Theophylac*la*ci uerba subiicit: qui quidem, Pauli personam su-  
mens, inquit, ipse quidem officio functus sum meo:  
dixi enim quod erat dicendum; pareat modò qui ue-  
lit. Quod si quis in fôrdibus est, fôrdescat adhuc. De-  
certare non est meum: satis est admonuisse.

Petr: Mart: Petrus quoq; Martyr, eandem Pauli epistolam ex-  
1. Cor:14. plicans, inquit, Ac si diceret, Neminem possum com-  
pellere, sed qui ignorabit, suo periculo ignorabit, etc.

" Et quanquam hic Martyr Chrysostomi interpre-  
tationem afferat, aliqua ex parte à priore differentē,  
attamen concludit primam sibi magis probari: &  
iterum repeatit, quasi dixerit, qui ignorat, ignoret.  
Cogere eum non possum: sed suo malo ignorabit.

" Ex uerbis igitur Apostolicis, & piorum doctorum  
explanationibus falso constat, ignarum hominem, qui,  
uidere, ne dum non possit, sed nec etiam uelit, non  
quidem cogi, sed ad Dei iudicium afferuari debere.

10:20.24. Dominus noster Iesus Christus, postquam resur-  
rexit è mortuis, multis indicij se uidendum exhibuit  
suis Apostolis. Quumq; semel absente Thoma eis ap-  
paruisset, narrantibus postea illis ei, se Dominum ui-  
disse, ipse non credidit. Negabat ergo mortuorum re-  
surre.

SECTIO PRIMA.<sup>27</sup>

surrectionem: quæ an sit hæresis, & qualis, per superi  
riora satis patet.

Ita uero obstinate, & præfrafte negabat, ut addi-  
derit. Nisi in eius manibus clauorum impressiones ui-  
dero, & meum digitum clauorum uestigio, et manum  
lateri eius admouero, non credam. Atqui, quamuis sic  
res se haberet, non ob id, aut ipse Thomas aliorum  
commercium, quippe falsæ suo iudicio doctrinæ in-  
uentorum, aut ipsi illius deuitarunt: neq; eum illi, ut  
hæreticum è societate, et communitate sua eiecerunt.  
Quin potius, quum uno animo essent omnes erga  
Christum, ille, qui quamuis Domini resurrectionem sis  
peret, haud tamen sperabat, nec ut crederet adduci  
poterat, inter eos uersari pergebat: ipsi autem infide-  
litatis suæ, animiq; duritatis commiseratione permoti,  
ferebant eum, quousq; Dominus ueniens illum sana-  
ret, quemadmodum eos sanauerat. His tam pacate, &  
in mutua charitate degentibus, en Christus iterum  
adest: Thomæ infidelitati medetur, cumq; suæ resur-  
rectionis fide collustrat. Si ergo & nos in Christum  
unanimes essemus, & alter alterum benignè, atq;  
amanter ferremus, neq; ita proclimes essemus ad Chri-  
stianam societatem rixis, & contentionibus nostris  
dirimendam. Docte quidem, & q; ac piè locum hunc Musc: in  
perpendit mansuetus ille Musculus, quum dixit, Ar-  
bitror itaq; admonendos eos, qui ueritatem Christi è cap:  
sepulcro errorum resurgentem uiderunt, & cum “  
gaudio agnouerunt: ut incredulum Thomam pacifi- “  
ce tolerent: quum sciant in quibus & ipsi aliquando “

SECTIO PRIMA,  
errauerint, quamq; narrantibus non crediderint.

ZIZANIORVM PARA-  
BOLA EXPLICATVR : AD-  
versariorum argumenta dipuun-  
tur: eorum nova interpre-  
tatio refellitur.

FAtentur aduersarij in argumentis, quæ à nobis  
ex Zizaniorum parabola eliciuntur aliquid es-  
se; sed plausibile potius, quam probabile ad no-  
stram de hæretis non occidendis sententiam af-  
ferndam. Cæterum quia reuera agnoscunt, qua pol-  
leat energia hæc similitudo, quantumq; sit in ea effi-  
cacitatis ad institutum propositum nostrum confir-  
mandum, omni studio satagunt, nouis etiam, & coa-  
ctis adhibitiis interpretationibus, hoc telum nobis è  
manibus excutere:

Quocirca, ut fallaciam eorum detegamus, & ue-  
ritati locus suus restituatur, primum omnium, uerum  
huius similitudinis intellectum in medium afferemus,  
qui quidem idem est cum eo, quæ antiqui omnes (quos  
uocant, patres) & non pauci insignes hac nostra eta-  
te Theologi, locum hunc pertractantes, suis scriptis  
nobis commendarunt. Deinde eorum interpretatione-  
rem adducemus, & quæ abutraq; parte obiecta sunt,  
interea recensebimus. Quibus peractis, lectoris arbi-  
trati totum iudicium relinquemus.

Quum uellet Iesus Regnum Cælorum dilectis suis  
Apo-

Apostolis p̄ similitudines designare, patris familiās ser Matt; 13.28.  
 uos inducit, qui ei nunciantes malas herbas in fundo <sup>cc</sup>  
 suo inter bonas enatas esse, eum interrogant, uelutne <sup>cc</sup>  
 eant lectum eas, quō bonum semen à malo expur- <sup>cc</sup>  
 gent. Quibus heris respondet, Non: ne forte malas  
 herbas legentes, frumentum unā cum illis eradicetis.  
 Sinite ambo crescere usq; ad messem. Nam messis  
 tempore mandabo messoribus, ut primum malas her-  
 bas legant, & in manipulos colligant comburendas:  
 frumentum autem in meum comportent horcum. Ex  
 hac parabola manifeste percipi affirmamus, non pla-  
 cere Deo, Zizania, quæ praece doctrine homines si-  
 gnificare contendimus, in agro suo inter triticum, in  
 quo sane doctrinæ uiros agnoscimus, germinantia,  
 uiolenter cuelli: hoc est, ultimo affici supplicio sed  
 usq; ad messem extremi iudicij humaniter tolerari: in  
 quo, eius mandato, per angelorum manus id negocij  
 peragetur.

Ad hoc in prīnis respondent aduersarij, si præcise  
 cum eis agatur ex uerborum formula de Zizanijs nō  
 euellendis, non tantum prohiberi Magistratum ab  
 usu gladij, sed omnem Ecclesiæ disciplinam è medio  
 tolli: Excommunicationem, purgande illi optimum  
 remedium, si Zizania tangere fas non sit, locum non  
 habituram. Ad hæc addunt, Non tantum de peruersis  
 dogmatibus ibi Dominum agere, sed quascunq; cor-  
 ruptelas ad bonum semen uitandum spargit Satanus,  
 in genere designare. Hinc colligunt, facessere oporten-  
 te leges, & iudicia, si opus sit Zizania relinquì usq;  
 ad Messem.

## SECTIO PRIMA.

Hic considerare in primis decet , quibus artibus Magistratus odium nobis , quasi eius potestatem negantibus, cōciliare querant. At uero minime à nobis negatur Magistratus authoritas. Absit à nobis tam impia cogitatio. Nam Magistratum eo quidem loco, & potentiae gradu habemus, ad quem eum Dominus euexit. Sicuti, uolente Deo, suo loco aperte declarabimus.

At primum omnium ex eis quero , si excommunicatione (ut afferunt) optimum remedium est purgande Ecclesiæ, cur alia adhibent ad eam purgandam, à Dei uerbo prorsus abhorrentia ? optima re nulla melior reperiri potest; tum, frustra sit per plura quod potest fieri per pauciora. Si optimum remedium excommunicationem agnoscunt , quid est cause, cur aliud uel malum, uel certè minus bonū amplius querant: hæretici scilicet interitum?

Sed enim responsuros puto, non Ecclesiam, sed Magistratum hæreticos interficere. Idq; non ut Ecclesiam ipsam repurget, sed ut in malè facientes ipsos iure gladii animaduertat. Verum utrumq; falsum esse, haud ita multò post liquidò palam faciemus.

Ad hæc, non nihil nobis iucundum accidit, fateri eos per similitudinis uerba præcisè, ut sonant, accepta, gladij usum Magistratibus interdici. Adeò ut, si eius, & munus ipsi demandatū conseruare uelimus, & curare ne locus iste Pauli uerbis repugnet, quibus

Rom:13. Magistratum non sine causa gladium gestare affirmat, sed ut eos, qui male faciunt pœnis afficiat: necesse habet-

babeamus locos istos prima quidem facie inter se dis-  
ferebantes, conciliare. Iam uero aduersarij ad eos  
componendos aiunt, per parabole uerba non quem  
libet rigorem cessare a Christo iuberi: Sed toleran-  
da esse mala, que sine pernicie corrigi non possunt.  
Hac autem distinctione arbitrantur se repugnantiae,  
que inter duos sacrae scripture locos appareret, subue-  
nisse. Nos uero ita eos locos conciliamus, ut dicamus  
per uerba parabolæ penitus, et absolutè uetum esse  
haereticos occidere, per uerba autem Pauli, eos qui  
male faciunt, omnino et indistinctè Magistratui ex ci-  
uilis legis prescripto plectendos dari. Multum enim  
interesse inter haereticos, et male facientes, in suo lo-  
co declarabimus. Reliquum est ergo uidere, que nam  
ex duabus sententijs melius probetur, nostrane, an il-  
lorum.

Iam si quis rectè dignoscere uelit, uerane an falsa  
sit a nobis proposita interpretatio, Matt: 13. attente  
legat. Ibi enim luce clarius perspiciet, duabus para-  
bolis de semine, et satore, quas populo audienti Chri-  
stus enarrat, cum de bona doctrina ab ipso promul-  
gata, et de mala a Diabolo sata, non de bonis, et ma-  
lis moribus intelligere. Id quod aperte deprehenditur  
ex Euangelista uerborum contextu: in prima preser-  
tim parabola, quam ipse Christus edisserit: a qua nimi-  
rum posterior dependet: quippe eodem seminis, et se-  
minatoris argumento conflata, cunctemque scopum re-  
spiciens, doctrinam scilicet, non mores.

Principio igitur, considerare decet, Iesum Chri-  
stum

## SECTIO · PRIMA.

sum Dominum & seruatorem nostrum constitutum  
esse nobis à Patre Prophetam, Regem, ac sacerdo-  
tem. Ad primum munus, Prophetiam scilicet, prima-  
ria eius muneris significatione pertinet Euangeliū  
prædicatio. Et tametsi, quatenus Euangeliū diui-  
næ benevolentie erga homines doctrina est fide am-  
plianda, eius partes censentur, quecunq; paſsim in  
lege occurunt, promissiones de gratuita peccatorū  
remiſſione, quibus ſibi Deus peccatores reconciliat,  
fidem terroribus illis opponendo, quibus angetur, &  
uxatur conscientia, ſi ex operibus petenda fit ſalus:  
ex quo conſequitur, Euangeliū uoce largè ſumta, ſub  
ea comprehendi quecunq; olim Deus tētimonia ni-  
ſericordiæ ſuæ, paterniq; fauoris patribus dedit: atta-  
men per excellentiam illud aptari dicimus ad pro-  
mulgationem exhibitæ in Christo gratie: atq; ita non  
modo communī Thelogorum uſu receptum eſt, ſed  
Christi etiam ipſius, et Apostolorum authoritate con-  
firmatum. Hinc Christo proprie ac præcipue tribui-  
tur, ipſum prædicasse Euangeliū Regni. Fuit igitur  
legatio Christi noua quædam, & inuſitata legatio, per  
quam cœleſtis ille pater, quod nobis fuerat pollicitus  
abundè præſtitit: ut inquam dona nobis elargiretur,  
que in Filij ſui persona ſe exhibitum promiferat.

Hebr:1. De qua legatione uerba faciens author ad Hebr: Mu-  
ltaſiam, inquit, & multipliciter olim Deus maiores  
per uates alloquutus, postremis hiſce temporibus al-  
loquutus eſt nos per filium. Quocirca, eti Deus lon-  
ga uatum ſerie antiquitus miſſa, nunquam de fuit ele-

cto

do populo suo, neq; doctrinæ ad salutem necessariæ  
 expertem reliquit, ueruntamen piorum mentes ea  
 opinione ac fide imbutas habuit, eos per uenturum  
 Messiam plenissimam omnium Dei mysteriorum ex-  
 plicationem consequituros fore: Quod nedum Iudei,  
 uerum Samaritani quoq; ipsi persuasum habuere: ut Ioan:4.25.  
 latè patet ex uerbis foeminae illius, quum Christum  
 alloquens, scio, inquit, uenturum esse Messiam (qui  
 unclus dicitur) Is quum uenerit, rem omnem nobis  
 explicabit. Verum enim hæc ueritas Iudeis ipsis mul-  
 tò clarior illuxit: quippe certissimis Prophetarum  
 oraculis morutis. Ait enim Esaias, quem populorum  
 monitorem, quem ducem præceptoremq; populorum  
 sum daturus. A libi autem de eo dicit. Qui nomine  
 uocatur admirabilis, Confiliarius. Daniel quoq; se-  
 ptuaginta hebdomadarum tempus designat, quo ex-  
 pleto, uenturum uaticinatur uatem, qui omnem uati-  
 cinationum obsignaret uisionem. Et idcirco ait Apo-  
 stolus. In eo absconditas esse opes omnes sapientie, & Coloss:2.3,  
 scientie Dei. Vnde est, quod pater de Cœlo clamauit,  
 Hic est meus Chariſſimus filius, qui mihi acceptus est. Matt:3.17.  
 Et alibi, Hic est Filius meus cariſſimus: hunc audite. Luc:9.35.  
 Munus igitur Christi, quatenus cum ut prophetam  
 consideramus, Regno, & sacerdotio omisis, que  
 nunc ad rem non faciunt: fuit exhibendi nobis ueram  
 & claram notitiam mysterij Dei de salute nobis per  
 Christum ipsum data, serendiq; in agro mentium no-  
 strarum ueram sanamque doctrinam, scientiamq;  
 paternæ uoluntatis: ac deniq; arcana eius altissima  
 nobis

## SECTIO PRIMA.

nobis palam faciendi: non autem morum præcepta,  
ac Decalogi legē nobis edendi, quæ quidem iam diu,  
multosq; ante Christum annos ex Mosaicis scriptis  
Iudeis innotuerant. Præterquam quod paullò ante  
Ioann: Baptista concionibus suis uitia carpens, & ad  
bonos mores populum adhortans; ad uitam emen-  
dandam homines suaserat. Et quanquam interdum  
Christus ipse in hominum flagitia acerrimè inuehi-  
tur, ostendens, eum, qui uult saluus esse, diuina præ-  
cepta seruare oportere, quin & Mosaicæ moralis le-  
gis reformatorem, ac perfectorem agere uidetur: id  
tamen non ex præcipuo fit eius munere, ac peculiari  
sue prædicationis argumento. At quorsum hæc spe-  
ciatā altè petita oratio? Eò sanè, ut manifestum fiat,  
scripturam, ubicunq; seminis à Christo sati mentionē  
facit, de doctrina ad fidem, non ad mores spectante in-  
telligi debere. Vnde consequitur, adulterinum semen,  
quod in Zizaniorum parabola bono semini à Christo  
sato opponitur, prauam atq; corruptam significare  
doctrinam in hominum mentibus circa fidei negotiū  
à Diabolo satam: Et hoc quidem post boni seminis sa-  
tionem: ut inferius latius explicabitur. Quod autem  
de doctrina ad fidem, non ad mores spectante simili-  
tudinem hanc interpretari deceat, dilucidè præterea  
probatur ex prima seminis parabola. Euangelista

Matt:13,20.  
enim Matt: explicationē eius ex Christi uerbis enar-  
rans, inquit dixisse eum, semen quod in saxonis satum  
fit, eum esse, qui sermonem audiens protinus accipit  
cum lœtitia, sed radicem in se non habet, estq; tempo-  
rarius:

## SECTIO PRIMA.

31

rarius: & exorta propter sermonem calamitate, ac Marc: 4.17.  
uexatione, statim desciscit Marcus itidem ait, huiusmo Luc: 8.13.  
di homines orta propter sermonem calamitate, aut "insectatione, offendit, ac statim dimoucri. Idem quoq; "Lucas afferit, inquiens, eos radices non habere: ideoq; "ad tempus credere, & periculorum tempore desciscere. At uero, quid est, exorta propter sermonem calamitate, ac uexatione desciscere? Quid, obsecro, orta propter sermonem insectatione offendit, ac dimoueri? Quid tandem periculorum tempore deciceret fures, fœneratores, adulteri, stupris dediti, latrones, ceteriq; flagitiosi homines ciuili gladio obnoxij, si forte Deo dante contigerit, eos p Euangelij concionē resipuisse, ac uitam emendasse, desciscente forsan, et ut sus lota ad suum uolutabrum reuertentur calamitatum, uexationum, insectationum causa, quibus ob emendatam uitam afficiantur? An potius corrupte naturæ uitio, effrenataq; cupidine, Diabolo etiam formitem suggestente? Nam que uexationes, que calamitates, que tandem pericula imminent ijs, qui uitiosi reieciunt uirtutibus adhærent: Non insectatur Mundus homines præcipue ob morte, sed eos polissimum persecuitur, mortaliq; odio prosecutur, qui illius imposturis, & fallacijs detectis, ueritate Dei per Christū cognita, atq; recepta, eam mordicus retinere satagent. Hi sunt igitur, qui calamitatibus, insectationibus, qui demum uitio periculis obijciuntur. Id quod in Papatu ipso manifestè apparet: in quo non ijs speciatim persecutionem patiuntur, qui bonis moribus, ui-

tijis

## SECTIO PRIMA.

tij reieclis, uitam instituunt, neq; eiusmodi hominibus  
uxationes, & calamitates imminent, ac tandem uitæ  
pericula: sed ijs precipue cunctis, qui Christi ueritate  
per eius uerbum cognita, eam amplexi, falsam doctrinam  
detestantur. Quis ergo fuerit mentis oculis adeò  
captus, quin Solis luce clarius uideat, hoc loco, uerbi,  
seu maioris sermonis nomine, Euangeli, hoc est pro-  
missionum in Christo, eiusq; mysteriorum doctrinam  
significari? Aqua quidem hilari animo accepta, sœpe  
quamplurimi, Antichristi terroribus, ac supplicijs,  
mortisq; formidine adacti: turpissemè desciscunt.

Sed & Ioan: quoq; Caluinus, opinatus est aliquan-  
do boni seminis nomine sanam doctrinam, seu sanæ  
doctrinæ homines, Zizaniorum autem, falsa dogma-  
ta, aut ea sestantes, significari. Qum enim uerba fa-  
ceret, quibus artibus hac ætate Diabolus molitus sit,  
ac perpetuò conetur Euangeli lucem extinguerere, ita  
fatur.

Calu: Et primum quidem hominum manus concitauit,  
Ep: ad Reg: quibus illucescentem ueritatem violenter opprime-  
Galliq. Inst. ret. Per quas ubi nihil profectum est, ad insidias se  
**præfixa.** conuerit, disidia, & dogmatum contentiones per  
,, catabaptistas suos, & alia nebulonum portenta exci-  
,, tauit, quibus eam obscuraret, tandem & extingueret.  
,, Et nunc utraq; machina ipsam tentare perseuerat: Si-  
quidem & uerum illud SEMEN ui, ac manu ho-  
minū euellere conatur, & suis ZIZANIIS (quantum  
in se est) nititur obcæcare, ne crescat, & fructum  
reddat.

Qum

Quum igitur Dominus in prima hac satoris parabola, suis discipulis declarasset uarios boni seminis effectus, pro locorum natura, in quæ decidisset, candē seminis similitudinem resumens, alteram Zizaniorum constituit. Qua quidem duarum maximi momentirerum suos admonere uoluit. Primo, Satanam (cui mos est in lucis Angelum s̄ep̄issimē uerti, ut nos decipiāt) haud rarō inter frumentum sanæ doctrinæ infelix lolium prauæ et corruptæ adeo callide seminare, ut uix à uero tritico falso dignosci queat. Deinde, ne uerè p̄ij, qui incredibili dolore anguntur, quum uident in agro Domini enatum lolium, uerum triticum comprimere, Dei studio suasi, sed inscitè se mouentes, arbitrentur licere sibi malas herbas euellere (hoc est prauæ doctrinæ homines occidere) eaq; ratione agrū Domini à Zizanijs expurgatum reddere: ostendit malas herbas eradicandi munus noīn hominibus in p̄esenti uita, sed messoribus Angelis in extrema die demandatum esse.

Quod si aduersarij secus censem, sententiam suam probent oportet, constantibusq; rationibus & argumentis ex parabolæ uerbis de summis ostendant, in Zizanijs omnes corruptelas notari, non autem (ut nos affirmamus) unam dumtaxat improborum hominum speciem. Id quod minimè facturos esse arbitramur, ni similitudinem ipsam inuertere, ac sua proprietate priuare uelint: contra Dei p̄ceptum, uerbis suis nihil addendi, uel detrahendi, ea parabolæ adentes, quæ ex ipsius uerbis elici non possunt: ut pote

## SECTIO PRIMA.

quum dicunt, per malas herbas omnium generum facinorosos intelligi: uerum tamen præcipi, ut ea mala tolerentur, quæ sine pernicie corrigi non possunt, cuius interpretationis, quæ non omnino est noua, sed à Papistis quoq; ad lanienam suam propugnandam excogitata fuerat: meminit Erasmus in declaratione primæ censuræ Theologicæ Parisiensi, facul: titulo de poena hæreticorū, eamq; refellit his uerbis iā audio

" quosdam huc detorquere Christi uerba, quasi signifi-

" cauerit, non alia conditione parcendum hæreticis,

" quam si periculum sit, ne simul cum erroribus eradi-

cetur sana doctrina, aut mali cum bonis occidantur.

Hoc commentum, quum nec satis quadret, cum temo-

re parabole, nec veterum orthodoxorum interpre-

tationi, non ausus sum sub Euangeliste, Christiue

personaponere. Et in supput, errorū: Bedæ. Prop. 32.

" Quam uero constat Bedæ commentum (quum tutò

licetbit) Cur igitur Dominus ipse iubet expectari mes-

sem: Verba igitur similitudinis non distinguunt, sed

ipsi distinguiunt; ergo addunt, & Dei mandato refrä-

gantur nam Zizania, non Zizaniorum partem con-

seruari ex similitudinis uerbis præcipitur. Atqui nos

parabolam non corrumpimus; nam Dei uerbo non ad

dimus, neq; ex eo detrahimus. Ipse enim præcipit Zi-

zanijs pari, nos autem dicimus, hæreticorum uitæ

parcendum esse: Omnia uidelicet semper & indi-

stinctè, non quandoq; aliquorum.

Quum igitur, ut Acont: ait, haec lex de Zizanijs nō

euellendis, generaliter, et indistinctè loquatur, qui si-

bi

bi id assumet, ut distinguere uelit, nisi ei, quamobrem  
id faciat ratio constat, potius diuinare, quam expone-  
re uelle uidebitur; id quod temeritatis uitio carere nō  
potest.

Immo non diuinare solum, sed subtili quodam ca-  
uillandi genere legis uerba corrumpere, & eludere  
se uelle ostendet. Neq; uero hic silentio est prætereun-  
dum, aduersarios, dum nos, hereticos à morte affe-  
rentes, Magistratus potestatem negare contendunt,  
ipsosem gladium ex eius manibus excutere. Quum  
enim statuunt, per Zizania omnia flagitia intelligi,  
Christus autem Zizania euelli interdixerit, nonne  
cunctos flagitosos homines à Magistratus gladio uin-  
dicant? Hoc uero nihil dici potest absurdius: A quo  
haud quaquam eos liberat eorum coacta distinctio,  
que ex parabole uerbis celi non potest: In ea enim  
Christi interdictum, ut iam dictum est, generaliter so-  
nat. Proinde aduersariorum stante interpretatione,  
homicide, latrones, adulteri, ceteriq; facinorosi, Ma-  
gistratus gladium effugerent. Ex quo concluditur,  
generalē legem de falso doctrinæ hominibus, non de  
cunctis corruptelis generaliter decernere. Sed mi-  
randum hic quoq; illud est, eos sibi blandientes, quod  
nobis uetant, sibi ipsis concedere: Dicunt enim nostra  
interpretatione spiritum sanctum sibi repugnantem  
constitu: eò quod in ueteri lege spiritus ipse in blaspe-  
mos, & pseudoprophetas lege lata animaduertat, &  
in noua Pauli uerbis Magistratum statuat malè facio-  
rum multorem, inter quos hereticos quoq; censenti

## SECTIO PRIMA.

Quod si uerum esset, inquiunt, parabolæ uerbis hæreticos à morte seruari, idem spiritus diuersè loquutus, sibi ipsi repugnaret. Hoc ipsum, inquam, quum nobis obijciunt, in eundem lapidem impingunt, dicentes per malas herbas, quas Spiritus Sanctus euelli uetus, omnes corruptelas intelligi, ac deinde statim subijcientes, eundem spiritum uelle earum partē Magistratus gladio eradicari; itaq; spiritum Sanctum inducunt sibi ipsi contradicentem. Ad hoc respondent, Patris fam: uerbis specialia iudicia non tolli, sed universalē solummodo: qua ratione ad suam illam distinctionem, tanquam ad sacram anchoram iterum confugiunt. Verum huic eorum uniuersalitati loco suo postmodum respondebimus. Sed interim ostendimus spiritum Sanctum sibi ipsi non repugnare, declarantes malas herbas haud omnia scelera significare; clarius autem ac fusiū id ipsum demonstrabimus, quum Mosaicas leges in pseudoprophetas, & in Deū contumeliosos tractabimus.

Atq; ut etiam de seninis notione aliquid addamus, nihil obstante sententiae nostræ Dominum pro semine Regni filios interpretari esse: Metonymia est enim, qua agricultores utuntur: qui non tantum semen in terram iactum, sed, fructum quoq; ex eo enatum semen nuncupant. Quo tropo etiam pāsim utitur sacra scriptura, quum filios patris semen appellat: utpote ex patris semine natos.

Reclè ergo dicitur, bonum semen esse Regni filios: quippe qui ex bono uerbi semine ortum habuerint, sanamq;

## SECTIO PRIMA.

34

sanamq; doctrinam sint amplexi : quemadmodum  
malæ herbæ dicuntur mali filij, nati uidelicet à malo  
semine ab improbo satore in terram iacto: hoc est fal-  
sis ipsis dogmatibus imbuti. Sed iam ad rem redeo.

Duo sunt nobis axiomata firmissimè retinenda. Rom:13.4.  
1.Petr:2.14.  
Primum, Magistratum potestatem habere in male fa-  
cientes ferreo gladio animaduertendi : adeò ut in Zi-  
zaniorum parabola, quæ uerba de malis hominibus  
non extirpandis agunt, de adulteris, latronibus, cæte-  
risq; facinorosis hominibus intelligi non possint. Al-  
terum, Dominum prohibere certum improborum  
hominum genus in hac uita ultimo suppicio affici.  
Quos quidem, ne hoc axioma præcedenti aduersetur,  
eos esse oportet, qui proprio nomine impij appellan-  
tur: hoc est in religionis negocio peruersè sentientes:  
uerè enim ac proprie ij impij appellantur: ut illi uerè  
ac propriè pij, qui Christi doctrinæ ueritatem sunt  
amplexi: nulla enim ex re pios, & impiorum diffe-  
rentia melius, quam ex religione sumi potest. Huius-  
modi autem impiorum duplex est genus. Nam alij à  
uerareligione, & re, & nomine sunt alieni, ut idolo-  
rum Cultores, Iudei, Turcæ, & maximè omnium  
Athei: Alij nomine quidem, & profßione Chri-  
stiani, qui tamen re ipsa non sunt, quippe quorum ma-  
gnis erroribus fœdata, corruptaque sit doctrina:  
quos quidem hereticos appellamus. Quum igitur  
impijs ex uerbis parabolæ sit parcendum, uidendum  
est, de quoniam ex duobus impiorum generibus intel-  
ligi debeat. Agitur autem de semine, quod inimicus

## SECTIO PRIMA.

inter triticum scuit: non igitur interpretari potest de Idololatris, Turcis, aut iudeis, vel etiam atheis, qui extra agrum Domini degunt: sed de impijs illis agi apparet, qui inter pios, hoc est ueros Christianos uersantur, quiq; Christianorum nomine se ornant: ut sunt heretici, qui quidem Zizanijs congruenter comparantur. Nam sicuti Zizania falsum triticum est ex ueris frumenti corruptione exortum, ita hereticus falsus est Christianus ex corrupta Euangelij doctrina ab inimico in eius mente sata formatus. Zizania inter triticum conspicuntur, culmis, ac folijs adeo ei similia, ut ni prius maturuerint, fructumq; messis tempore ediderint, a tritico discerni non possint. Hereticus itidem inter pios uersatur, speciem saltem Christianorū morum habens, Dei uerbum non minus quam pijs faciant ad sua dogmata probanda semper attestans, uitam deniq; piorum instar pro sententia sua afferenda profundens, adeo ut uix à ueris pijs dignosci possit: id quod tum demum uerè fiet, quum messis tempore à supremo iudice causa cognita, in postrema illa die eius semine ad maturitatem perducio, ex Domini mandato messoribus eradicandus, & in ignem coniudicandus tradetur.

Nam quam diu eius herba uirescit, et si serui ex certis signis Zizania esse iudicant, ea euclere prohibentur, ne Zizania esse autumantes, fortasse triticum, hoc est clecti Dei essent, & sic frumentum eradicarent.

Sed contrà improbi, ac facinorosi homines de hypocritis

## SECTIO PRIMA.

35

pocritis, qui soli Deo sunt cogniti, non loquor, neq; de ijs hoc loco est quod queramus) inter bonos manifeste apparent, adeo q; illis dissimiles sunt, ut nullum sit periculum, ne in his extirpandis illi corum loco eradicentur. Quare si Dominus in hac parabola metaphorice denotare uoluisset furtar, adulteria, latrocinia, scenerationes, ceteraq; facinora, et corruptelas (ut uocant) haud sumisset sibi lolij metaphoram, sed spinarum, urticar, ruborum, cicutar, toxicar, aliisque male, et haud dubie nocentis herbar. Quandoquidem illud primo sui aspectu intuentium oculos fallit, ac decipit, tritici speciem praferens, haec autem id quod sunt statim appareret: male uidelicet, ac nocuere herbar, et digne tandem, ut ex agro eradicentur.

Iam uero interpretationem nostram, ut facilius memoriae mandari possit, quasi epilogo perstringentes, hoc modo concludimus. Serui herum interrogant, an uelit eant, et malas herbas euellant: Hoc est, querunt homines, ij inquam, qui potestate pollut, et qui orbi regendo sunt diuino consilio destinati, an Deo placeat haereticos ab ipsis interfici. Respondet Dominus, Non: ne forte cum lolio triticum quoq; eradicetis. Hoc est, ne forte haereticos interficere uolentes, una cum illis, aut pro illis, uerospios, ac Dei electos necetis. Ac statim subiicit, istud messis tempore fieri oportere, id est extremi iudicij die. Tunc enim Paterfamilias mandabit, non seruis (quos homines esse dicimus) sed messoribus (quos Angelos esse ipsem Christus exponit) ut Zizania legendi, in ignemq;

## SECTIO PRIMA.

mittendi munere fungantur. Neq; uero hac interpretatione abolebitur (ut censem) excommunicatio quandoquidem per euellendi uocabulum nos extrema supplicia tantum accipimus: & conuenienti quidem similitudine: Siquidem, ut herba, si radicis euellitur, illico moritur, eadem ratione homo ipse, si ei caput abscideris, corpus concremaueris, aut recte suspenderis, è uiuis tollitur.

Id quod excommunicatio non efficit: nam si quis interdum ex fidelium cœtu ejicitur, semper est uiuenti facultas, sese, si resipuerit, in Ecclesiae ulnas recipiendi. Hinc autem (ut arbitror) abundè satis exceptioni eorum responsum fuerit, qui dicunt, uero haud quaquam simile esse, noluisse Christum hæresim ex Ecclesia sua, quoad eius fieri posset, extirpari: non enim errores extirpandos, sed homines interimendos negamus. Eodem modo interpretati sunt hanc parabolam antiqui quoq; patres, quum in interdicto Zizania non extirpandi, hæreticos occidi uelutum esse intelligant. Quin & non pauci nostræ ætatis Theologii idem sentiunt: ut secunda sectione, eorum dicta citantes, latissimè demonstrabimus.

Hactenus mihi videor potissimum ijs respondisse, qui seruos homines esse non negantes, sed pro Zizanijs, non hæresim dumtaxat, uerum omnes corruptelas intelligi censentes, arbitrantur parabolæ uerbis non omnem rigorem à Domino prohiberi, sed ea mala tolerari præcipi, quæ sine pernicie corrigi non possunt. Reliquum est ut illis respondeam, qui tam pro

pro seruis, quām pro messoribus Angelos intelligunt.

Primum enim querunt, cur seruorum appellatio  
ne homines potius, quām Angelos intelligamus?  
Quandoquidem & Angeli emittuntur in ministerium  
proprie eos, qui hæredes erunt salutis.

Nos uero haud inficias imus, Angelos non minus,  
quām homines ipsos, ministros, ac seruos Dei esse:  
attamen nostro primum marte respondemus, quum  
Dominus in parabolis nomina distinguat, necesse esse  
instituti sui fuisse officiorum quoq; rationem distin-  
guere: Quapropter, si uno ministrorum genere,  
messorum scilicet, angelos intellexit (quod ipsum  
aduersarij non negant) necessariò consequitur, ser-  
uorum appellatione aliam ministrorum species si-  
gnificari. At enim, qui nam iij possunt esse, nisi sint ho-  
mines: Deinde ex Augustino dicimus, causam cur  
seruos ac messores distingui oporteat, eam esse, quod  
à uerisimili penitus abhorreat, nullaq; ratione pro-  
bari posse, Angelos ignorare, quicquid à Diabolo  
agatur in hoc Mundo: at serui contrà in parab: indu-  
cuntur ignorantibus quisnam fuerit, qui Zizania inter  
triticum seminauerit. Ex quo concluditur, seruorum  
nomine, Angelos intelligi non posse. Ideoq; Pater fam:  
quum seruis loqueretur, non dixit, In tempore messis  
dicam uobis: sed dicam, inquit, messoribus.

Ex quibus tandem colligimus, alios messores, alios  
uerò seruos esse: nam si utraq; ministrorum species August:9.  
idem esset, quinam, obsecro, confusus, ineptusq; lo- in Mat:c.12.

## SECTIO R RIMA.

quendi modus esset, nec dignus summa illa Dei filij  
sapientia, seruorum, & messorum nominibus uti, si  
utriq; Angeli forent? Insuper si quod uni negatur, al-  
teri conceditur, quis tam bardus erit, qui eos inter  
se differre non sentiat? Huic argumento ex Augusti-  
no desumto, aduersarij uidentes cuius sit efficacitatis  
ad institutū nostrum probandum, nihil aliud respon-  
dent, quam subtilius illud esse, quam ut à Theologo  
decidi possit: & fortasse curiosius, quam ut de eo sit  
querendum. Veruntamen sano pīj lectoris iudicio sta-  
tuendum permittimus, an huiusmodi rationibus tam  
firma ac ualida argumenta refelluntur: facile enim  
superabimur, si talibus armis uicti iudicabimur.

Quod autem attinet ad nostram hanc ministrorū  
disjunctionem, concedimus, aiunt, distingui seruos  
à messoribus; sed ut genus à specie, seu partem à toto.  
Seruorum enim nomen, afferunt, omnibus admini-  
stratorijs spiritibus cōmune, generale, & perpetuum  
esse: messorum autem functionem peculiarem, ac  
temporariam: utputa quibus id oneris sit decretum.  
Atqui, si seruorum nomen generale esset, cunctisq;  
Angelis commune, messorum, autem peculiare, quid  
opus fuerat eam angelorum speciem, quibus deman-  
data est Mundi rerum administratio, communillo ac  
generalii seruorum nomine appellare, alteram uero,  
cui missis facienda datum est negotium, peculiari  
messorum nomine nuncupare? Si Domini institutum  
fuisset de binis Angelorum speciebus mentionem fa-  
cere, reticendum illi fuisset commune, & generale  
utra-

utrarumq; partium seruorum nomen: & quem admodum earum alteram messores appellat, alteri quoque decens, & muneri suo congruens nomen imponere debuisse; Quæ quidem nominum ut etiam munerum distinctio disertissimè percipitur in hac nostra interpretatione.

Atenim aiunt, si per seruos accipiamus homines fideles, seruos numirum à tritico separatum iri, qui tam & ipsi à patresfamilias in agro sunt sati. Hic equidem illius, qui ita ratiocinatur, uiri sane non minus in geniosi quam eruditii, ut plerisq; alijs in locis, dum hoc de hereticis puniendis & occidendis argumentum tractat, ingenij acumen desidero, & argumentandi scientiam. Nam quis ita hebes esse potest, ut non videat, quacunq; significatione serui accipientur, eos semper à tritico separatos esse, quum id non ex eo quod significant, sed ex uero, & uerbis ipsius parabolæ omnino dependeat, in qua serui à tritico manifestè se iunguntur? Itaq; duo sunt hic haud leuia errata. Primum est, quod ex diuersa seruorum significatione, ut ipsi serui à tritico separentur, fieri dicatur. Alterum, quod hanc tritici, & seruorum separationem fieri non posse credatur. Quocirca, si auctoris uerba spectes, inanis prorsus & incepta est tota argumentatio.

Sed fortassis aliter argumentari uoluit, et iusto Dei iudicio, cum pessimam causam defendendam suscepisset, quod non semel alibi codem in libro illi continuit, in sententia sua explicanda fœdè lapsus est. Si ergo eius mentem spectare uelimus, ita argumentari uoluisse

## SECTIO PRIMA.

Luisse uideri potest. Si per seruos accipias fideles homines, certe homines fideles à tritico separabis, aperte enim in ipsa parabola serui à tritico separantur. Id autem plane fieri nequit, quum & ipsi fideles homines triticum sint. quipe à patrefamilias in agro sati. Verum, antequam ad argumentum hoc diluendum accedamus, considerandum est adhuc in eo, & parum sincerè, & ualde ineptè dici nulla distinctione adhibita, per seruos à nobis intelligi fideles homines, parū sincerè inquā, nā non fideles homines indistinctè, sed fidelium hominum exiguam partem seruorum nomine significari dicimus, imo uero ne partem quidem aliquam, sed eos homines, qui cæteris regendis presunt. Ineptè autem, nam si seruos fideles homines esse quis dixerit, non ipsi quoq; siue & ipsi, ut ille ait, sed ipsi tantum in agro à patrefamilias sati essent, nullos enim seuit paterfam præter homines fideles. Sed tandem ut huiusc argumenti uim, quanquā frigidè, & insulse ab eius authore propositi, que non penitus nulla est, repellamus, dicimus primo loco id quod modo attigimus, seruorum appellatione nullam partem hominum fidelium intelligi, sed eos homines qui reipublicæ gubernacula tenent, quos etiam si in proposito parabolæ casu non nisi fideles esse posse concederemus, tamen quum non tamquā fideles sed tanquā Dei ministri in ea considerentur, nil mirum esse debet si à cæteris fidelibus, id est à tritico distinguantur. Sed quid quod constanter asserimus fieri posse, ut magistratus ciuilis, qui de hæretico occidendo nec ne delibera-

beret, non sit Christianus, sed tantummodo secundum Christianorum leges iudicare, aut uelit, aut etiam debeat. Velsi Christianus est, ut plerumq; sit, nomine tantum, non etiam re ipsa esse deprehendatur, nec quales sunt ij, qui triticum appellantur? Præterea fieri solet, ut ea, quæ reliqua sui generis aliqua ratione antecellunt, separatim considerentur, & sub generali appellatione non comprehendantur, sed nominatim à toto genere distinguantur. Exemplum singulare esse potest inter tam multa, quæ ubique apud idoneos autores par sūm occurruunt, in uerbis angeli ad mulieres, quæ Iesum Nazarenū qui crucifixus fuerat, ut aromatis ungeret ad eius monumentum accesserant, Surexit, inquit, non est hic: sed ite nunciatum eius discipulis, & Petrō, cum præire eis in Galilæam &c. In quibus Petrus, quamvis Christi discipulus, à discipulorum generali appellatione, quia cæteros quadam ratione anteibat, manifestè separatur. Quamobrem hic quoq; non iniuria, qui cæteris uere Christianis hominibus regendis præsunt, ab ipsa Christianorum hominum generali appellatione id est à tritico, licet & ipsi uere Christiani, & triticum sint, distinguuntur, & seruorum nomine appellantur, præsertim, quum, ut iam diximus, non tamquā Christiani, sed tamquam Dei ministri, & quodammodo in mundo uicarij in hac parabola considerentur.

Mar:16.7.

Ex prædictis demum satis constat, falsum esse quod aiunt, toto cœlo errare nos, argumentantes ab eo, quod Angelis præcipitur, ad id, quod Magistratibus

per

## SECTIO PRIMA.

permittitur. Satis enim superq; ostendisse censemus, praeceptum hominibus, non Angelis, datum fuisse, Quod autem interrogant, quare ratione fieri posuit, ut, quem Christus in explicatione huius similitudinis omnes eius partes diligentissimè fuerit interpretatus, nimis patrem fam: agrum, utrumq; semen, messem, atq; messores, seruorum nomen pretermiserit, neq; homines esse declarauerit: nos contra hoc argumentum in eos retorquentes, querimus, qua de causa Angelos esse non dixerit, eosq; inquam (ut uolunt) Angelos, per quos Dei prouidentia Mundum uniuersum gubernat: sic enim opinantur aduersarij: ut ex eorum noua interpretatione, quam paullo post subiiciemus, colligi potest. Ceterum, si Christus sua uerba explicans, ut patris famili: agro, utriq; semini, messi, messori- busq; suas significationes attribuit, ita quoq; seruorum nomen explicuisse, controversia nostra nedum dirempta esset, sed ne fortassis quidem inchoata.

Si seruos, inquam, homines esse dixisset. Nam etiam si Angelos esse declarasset, non continuò tamen quæstio dirempta esset, nec propterea aduersarij aliquid, quod sensum, quem ex parabola nos elicimus, labefactare possit, euicissent. Ut enim rectè Acont. ait, non quibus uetitum sit Zizania ex agro colligere, sed quid hæc Zizaniorum collectio sibi uelit considerandum est, hinc enim facile, quibus uetitum sit intelligemus. Sed tamē quidqd illa significet, nulla ratio est, cur si Angeli eam facere prohibentur, prohibitus quoq; hominibus id ipsum censeri non debeat. Qua-

## SECTIO PRIMA.

39

re, si tantopere contendimus scrutorum nomine angelos non intelligi, solo absolute ueritatis studio id fecimus, nō autē quod alioqui sententiam nostram aliqua ex parte conuelli posse suspicemur.

Pergunt deinde ex nobis querentes, quum Dominus gladium in Magistratus manibus ad improborum hominum ultionem confirmauerit, et per parabolæ uerba aliquam eorum speciem excipere, à morte uindicare, et ad messem extremi iudicij seruare uelit: qua ratione suasi, censemus haereticos potius, quam aliud improborum genus exceptisse. Ea uero manifestè apparet: nam facinorosi homines, qui ex Decalogi præceptis, principumq; institutis, et legibus, cognitum perspectumq; habent homicidia, adulteria, latrocinia, ceteraque sceleræ, que à corrupta depravataq; uoluntate ortum habent, uerè crimina esse, quodq; in leges peccantes meritò ac iure punientur: si talia admiserint legitimam excusationem non habent. At uero haereticum, qui scripturæ locis innixus Diabolo decipiente peruersè intellectis, aut umans se uerbo Dei duci, falsi alicuius dogmatis uenenum imbibcrit, excusatione, et commiseratione dignum censemus: nullius enim ea in re sibi criminis est conscius. Hinc haud raro euenit, ut eo animo affectus homo, suæ fidei retinendæ studio (ut iam diximus) mortem contemnat, eamq; uolens obeat. Paulus Apost: 1. Tim: ii.  
qui ante fuerat in Deum maledicus, et contumeliosus, atq; fideles, ut sui similes essent, cogebat, ait sibi  
misericordum esse eò quia ignarus fecerat, expers fidei.

Sed

## SECTIO PRIMA.

Sed quam modò attigimus inter corruptam depravatamq; uoluntatem, ac depravatum intellectum distinctione, sectione tertia, ubi Apostolus Epistola ad Rom: expendemus, clarius explicabimus.

Firmissimum autem contrariæ sententiæ, uel saltem suæ questionis fundamentū autumant inesse aduersarij in uerbis Christi, quum discipulis suis roganibus similitudinem hanc edifferens, inquit, ut igitur  
Matt: 13. 40.     <sup>"</sup> colliguntur herbæ male, & igne cremantur, sic erit  
    <sup>"</sup> in huius ævi fine. Mittet homine natus Angelos suos,  
    <sup>"</sup> qui ex eius Regno colligent omnia offendicula, & eos  
qui patrant iniquitatem, in ignis fornacem coniunctient. Hinc inquiunt, manifestè colligitur, per Zizanij cuncta nobis scandala, & corruptelas significari, non unum tantum offendiculorum genus, falsam uidelicet doctrinam. Sed quid hoc resert? An non in toto sue partes continentur? Quid nam aliud nobis his uerbis indicare uoluit Dominus noster, quam, quod, ut in generali segetum messe peculiaris habetur depletus malorum omnium seminum, & in ignem coniunctur, sic erit in magna postrema illa die: nam quum omnia offendicula, & ij qui patrant iniquitatem æternæ morti damnabuntur, tum quoq; cum illis, ut eorum pars, male doctrinæ homines inextinguibilis ignis supplicio addicentur.

Manifestè igitur apparet, aduersarios ex uerbis illis colligere non posse, Dominum in parabola, Zizaniorum appellatione, corruptelas omnes significare uoluisse.

ad

Ad hæc non desunt qui dicant , non simpliciter patrem sibi: uetare ne tollantur Zizania, sed ne bello tollantur; quia, inquit , si arma capietis, necesse est, quum hæreticos trucidatis , multos simul interire. Huius autem sententiae authores citant Chrysost: & Theophyls Ad hoc nullo negocio respondetur: nimisrum eadem ratione , qua supra responsum est, quum dicunt, per malas herbas omnes facinorosos, seu corruptelas omnes intelligi: uerum tamen præcipi ut ea mala tolerentur , quæ sine pernicie corrigi non possunt Vbi ostendimus huiusmodi distinctiones ex uerbis similitudinis elici non posse: proinde interpretationes istas coaduas, & idcirco falsas esse: Legem enim de Zizanijs non euellendis generalem esse, ideoq; generaliter accipiendam : non licere uerba Dei illis addendo, uel detrahendo corrumpere. Eodem igitur argumento freti , affirmamus parabolā uerba non distinguere necem bello inferendā à morte Magistratus iudicio decernenda: utriq; enim mortis generi competunt interdicti uerba: nec ratio constat, cur huc potius quam illuc pertrahi possint. Quod si lex non distinguit, neq; uobis , ô boni (ut iam diximus) distinguere licet, nisi certam rationem afferatis: uti certissimam nos adducimus, dum hæreticos à facinorosis distinguimus , tot præsertum diuinarum literarum locis freti, ijsdemq; parabolæ uerbis innixi: ut superius latissime ostendimus, & adhuc fortasse aperiens declarabimus. Quod si Chrysost: & Theophyls de hæreticis bello non tollendis similitudinem hanc

## SECTIO PRIMA.

sunt interpretati, id eis euenisce dicimus, quod accidit Græco illi legislatori, qui ideo in parricidas legem non condidit, quod mente concipere non potuisset, futurum unquam filium, qui in patrem ita seuiret, ut eius sanguinem effunderet. Eadem ratione pijs illi doctores, quum eorum etatibus nondum in Christianam Ecclesiam atrox iste mos inuasisset, homines fidei causa ordinario iudicio necandi, essentq; iam aliqui Principes, qui à sanguinarijs Episcopis iuasti, atq; impulsi, h. ereticos armis, non ordinarijs iudicijs insecta bantur: uidentes parabolam diserte precipere, ne hæretici per mortem è medio tollantur, de bello tantum uerba fecerunt, non de ordinarijs iudicijs, que aliquando fore, ut aduersus hæreticos exercerentur, ne suspicatos quidem esse crediderim: At misera hac æta te nostra utroq; instrumento uititur Satanus ad Ecclesiam Dei perturbandam.

Quod si boni illi uiri opinari potuissent pestem hanc olim in Christianum populum inuasuram, profecto haud ambigi potest, quim ex similitudinis uerbis, lolij euulsionem generaliter uelantibus, hoc etiam mortis genus essent improbaturi, ut bellum improbarunt. Sed hoc paullò post fusi explicabimus, quiñ suo loco Patrum testimonia citabimus. At uero si Chrysost: & Theophyl: bella in hæreticos detestantur, eorumq; authoritas probatur, quæro equidem ex pijs, et doctis uiris, qua conscientia Christiani Magistratus, ut homines ad fidem cogant, magna sanguinis effusione, ac prouinciarum uastatione contra eos bella

## SECTIO PRIMA.

42

bella gerant uel saltē iuste se gerere posse credant.

Aliud item obiectum afferunt, quod adeò firmum esse existimant, ut nulla ratione infringi possit. Id autem tale est. Primum omnium afferunt per agrum intelligi, non Ecclesiam, quæ minima pars est Mundi, ea nimisrum Mundi pars, in qua Euangelium pure annunciatur. Neq; etiā animū nostrū, quamuis ita Theo phylact: interpretetur: sed Mundum istum uniuersum, in quo homines, & boni simul, & mali uersantur. Iam uero, inquit, seruandam esse huius interpretationis analogiam etiam in Zizaniorum explicacione: quapropter, si per Zizania hæreticos dumtaxat intelligamus, unam tantum malorum speciem significauerit paterfamilias, eamq; Ecclesiæ hoc est minima Mundi parti peculiarem. Deinde (aiunt) si ager est mundus, & hic ager duobus tantum seminibus totus est consitus, tritico scilicet à Patrefamil: & Zizanijs ab aduersario satis, ratio certè oppositionis flagitat, ut sicut tritico significantur omnes filii Regni, hoc est quicunq; uera Ecclesiæ sunt membra, ita etiam Zizania uocentur, quicunq; non sunt ex Ecclesia. Sunt autem malorum præter hæreticos plurime aliæ species, intra ipsa quoquæ Ecclesiæ uiscera regnantes: quas cur tandem, quæso, Paterfam: præteriisset? Postremo, inquit, Christus ipse author parabole, & idem optimus interpres, nonne disertè triticum interpretatur iustos, qui in Regno patris fulgebunt, Zizania uero omnia offendicula, & eos, qui faciunt, iniquitatem? eos nimisrum omnes, qui in caminum

G 2

## SECTIO PRIMA.

ignis coniscientur? Nam duarum tantum sp̄ecierum,  
earumq; oppositarum meminit.

Nullam igitur causam esse opinari se dicunt, cur,  
etiam si hanc parabolā de sola Ecclesia intelligamus,  
solos hæreticos p̄era accipiamus: quum soli hæretici  
non sint malum semen à Diabolo satum, soli hæretici  
non sint Ecclesiæ off̄endicula, soli hæretici nō faciant  
imiquitatem, soli deniq; hæretici cum fidelibus con-  
iuncti totū Ecclesiæ corpus in hoc Mūndo non con-  
stituant.

Huic argumento, quandoquidem ijs ipsi illud affe-  
rentes, suis uerbis m̄hi sunt adiumento, facilius re-  
spondebo.

Primum enim quim dīcunt nullam esse causam,  
cur, etiam si hanc parabolam de sola Ecclesia intelli-  
gamus, solos hæreticos per Zizania accipiamus, ipsi-  
met causam subiiciunt, ob quam de Mūndo toto non  
possit intelligi: uerū de una tantūm eius parte: ea  
nimirū, in quam Euangeliū semen à satore iactum  
fuit, in cuius medio malum semen à malo inter triticū  
saturn fuit post bona sementem à Domino factā. Qua-  
propier, quum bonum semen satum fuerit in certa  
Mūndi parte, non autem in toto, necessariò consequi-  
tur, Agrum pro Mūndi certa parte, non pro toto ac-  
cipi debere: eamq; partem eos esse, qui uerbum au-  
dicrunt, ex quibus Ecclesiam constitutam esse constat;  
non autem omnes Mūndi homines, ad quorum aures  
uerbi semen non peruenit. Quod autem Christus  
Agrum Mūndum esse interpretatur, considerare oportet

## SECTIO PRIMA.

42

tet sœpen numero sacram scripturam, ut facilius humi-  
lis ac ruditis mens, & cogitatio nostra, diuina mysteria  
in ea abscondita capere, & clarius intelligere posse,  
tropos & (ut uocant) figuræ sermonis nobis usita-  
tas libenter usurpare. Et idcirco, non rarò uidemus  
cum ueterem, tum nouam, ea uulgatissima loquendi  
figura uti, quæ Græco nomine Synecdoche appella-  
tur: qua tam pro toto partem, quam pro parte totum Ioan: 12.19.  
accipimus. Adeò ut, quum in Euangelio legimus, to-  
tum orbem post Iesum abire, non intelligendum sit,  
quod omnes uniuersi orbis homines hoc facerent: sed  
illorum pars tantum, quam ut magnam esse ostende-  
ret, figurata hac loquitione hyperbolice usus est Ioan: 7.20.  
Euangelista: Præterea quum Christus dixit, palam se  
Mundo loquitum fuisse, est ne ita accipiendum, ut  
omnes mundi totius homines alloquitum se fuisse di-  
cat?

Ad hæc, Augustus Cæsar decreto promulgauit, ut  
totus orbis censeretur. Id quod de eâ Mundi parte in-  
telligi par est, quam Imperator ipse tunc temporis  
possidebat, non autem de orbe uniuerso, qui quidem  
sue ditionis non erat: Sed propter Imperij amplitu-  
dinem hyperbolica Syncedoche usus est Lucas. Alibi  
deniq; legimus, qui orbem uniuersum perturbarunt  
huc etiam uenerunt. Neq; uero Apostoli orbem uni-  
uersum conturbare potuerant, sed Mundi tantummo-  
do partes illas, in quibus Euangeliū annunciaue-  
rant.

Hinc igitur manifestè euincitur, absurdum (quod

G 3

## SECTIO PRIMA.

illi tamē uolunt̄ non esse pro Mundo, eius partem Eccl̄esiā interpretari, uel si maius mundi partem illā, in qua Iesu Christi Euangelium annunciarī coniungit: pr̄terquād quod equidem non uideo, cur citra aliquem figuratum loquendi modum rectē dici non posſit aliquid in mundo fieri, quod in eius licet minima parte sit, non secus ac si quis dicat, in aliqua ciuitate factum esse id etiam quod intra cuiuspiam priuatos parietes fieri contigerit,

Reliquum eſſet, ut ei parti eorum argumenti responderem, qua dicunt, nullā eſſe causam, cur, etiamsi hanc parabolam de sola Ecclesia intelligamus, propterea quod Zizana dicantur in medio triticinata, solos h̄ereticos per ea accipiamus. Verūm abundē ſatis per superiora reſponſum eſſe censemus: adcō enim dilucidē ostendimus, quid bonū ſemen ſit à Domo iactum, & quid recta oppositionis ratione adulterinum à Diabolo ſatum, Zizaniorum naturam iusta trutina examinantes, firmisq; rationibus oſtententes, qua cauſa h̄eretici potius, quād ceteri improbū homines à Magistratus gladio Christus vindicauerit: ut inde ſatis ſuperq; appareat, cur per malas herbas h̄eretici duntaxat ſint intelligendi. Veruntamen ad clariorem ueritatis perſpicuitatem ego hoc modo eos interrogo.

Peccata omnia, homicidia inquam, latrocinia, adulteria, auaritiæ opera, ſuperbiæ facta, ceteraq; ſcelera, que ab hominibus perpetrantur in Dei contumeliam, ac bonorum perniciem, quonam tempore

ſata

sata fuerunt in hoc Mundo? Fortasse tunc primū, quā  
Paterfam: Christus ipse bonum Euangelij semen in  
mundi agro seūisset, an potius ante tot annorum mil-  
lia iam tum nimirū, quum ueterator ille suis technis,  
et imposturis primos parentes decepit, præceptumq;  
Dei contemnere per suaſit. A t̄qui si malum hoc semen  
ante tot secula in agro mundi fuerat satum, haud  
equidem oportuit à malo seri statim post bonum se-  
men à Patrefam: iactum. Iam enim seminatum, iam  
enatum fuerat; iam in amplissimam segetem adultum  
uniuersum agrum occupauerat: quo circa haud am-  
plius eius fatione, sed cultiuatione tantum opus erat.  
Contrà uero opportuit ad malitiā suam de more exer-  
cendam, ut primum uidit nouum semen (Euangelium  
scilicet, eiusq; doctrinam) in agro seri, ad eius fructū  
impediendum, nouum false doctrinæ lolium inter-  
ueræ triticum seminare. Ex quo in super manifestè  
consequitur, non posse hanc similitudinem (ut quidā  
uolunt) alteri quoq; parabolæ de sāgena, in quam  
boni simul, & mali pisces aggregantur comparari.  
Bonī enim simul ac mali pisces ab origine mundi in  
aquis ortum habuere: lolium uero post tritici satio-  
nem inter frumentum satum fuit. Vnde apparet sage-  
na similitudinem de extremo uniuerso bonorum si-  
mul, & malorum omnifariam iudicio ex professo  
tractare: fuerunt enim (ut diximus) boni una ac mali  
in mundo ab eo condito; Zizaniorum uero parabo-  
lam de quodam peculiari impiorum genere certo  
tempore in hoc Mundo exorto morte haud mulctan-

## SECTIO PRIMA.

do decernere percipitur. Eadem hac ratione non potest cum area parabola haec similitudo conferri: semper enim paleæ cum tritico fuerunt, non autem statim tempore ei fuere admisæ: Quapropter eodem spectare ea parabola aperte uidetur, quo piscium parabola. Quocirca nihil est ei simile cum Zizaniorum similitudine: quæ post frumenti sationem in agro sata, singularē impiorum hominum genus, non generale omnium mala patrantium, nobis designat: quos cut probasse confidimus > necessariò hæreticos esse oportet.

Iam uero, quod aiunt, Christum ipsum frumentum iustos esse interpretari, qui solis ritu reucebunt in Regno patris sui: ex hoc colligentes, pro tritico non sanæ solummodo doctrine homines, sed iustos omnes accepisse: quare etiam pro Zizanijs improbos omnes, non hæreticos tantum intellexisse, ego iterum ad Christi ipsius interpretationem Lectores allego. Videlicet enim non ita rem se habere. Ipse enim à discipulis interrogatus, similitudinem explicans, nō dixit bonum semen iustos esse: sed ait, Bonum semen sunt Regni filij: qui quidem, ex metaphore proprietate (ut diximus) eos esse oportet, qui Euangelijs doctrinæ semen receperunt. Deinde sequitur, Malæ herbæ sunt mali filij: malo uidelicet præiae eius doctrinæ semini procreati: neque dixit eos omnes esse, qui iniquitatem operantur. Quidam demum bono ac malo semini, inimico, satori, meſti, atque messoribus significationes suas attribuisset, inquit, Tunc iusti solis ritu reucebunt

bunt in Regno patris mei. En tibi Lector, quo loco sit  
à Domino mentio iustorum, atque eorum, qui iniqua  
patrant: non autem in uerbis ipsis interpretationis:  
in qua iam explicuerat, quinam triticum, qui nam lo-  
lum essent: illos uidelicet Regni filios, hos uero ex  
malo natos.

Quid igitur obstat ea aduersariorum exceptio,  
quin bonum semen ueræ doctrinæ homines, Zizania  
autem hæretici intelligantur? Quod si illis etiam con-  
cedamus tritico bonos omnes, & pios significari, id  
non ex uerborū & parabolæ, sed (ut dicitur) per  
accidens fieri dicimus neq; tamen continuò sequetur,  
Zizanijs malos omnes eadem ratione denotari: licet  
enim nemo bonus esse posse, qui de fidei doctrina nō  
benè sentiat, ac proinde bono semine non sit progra-  
tus: multi tamen mali sunt, qui malam doctrinam non  
habent, neq; malo illo semine sunt procreati.

Verum alio modo adhuc argumentantur. Aiunt  
enim, si uerbis Patris famili: ciuibus Magistratibus  
interdictum esset capitale in hæreticos supplicium,  
idq; addita ratione, ne cum Zizanijs simul eradicen-  
tur & triticum, hoc est, ne cum malis etiam boni, qui  
ueliam boni sint, uel boni aliquando sint futuri eu-  
lantur: hoc querimus, quum idem periculum semper  
fuerit, cur olim Dominus in blasphemos, & pseudo-  
prophetas factiosos tam seueram legem constituerit,  
ut integras etiam urbes cum bonis illarum omnibus,  
ipsisq; adeò armentis perpetuò deuouendas manda-  
ret. Quid enim? (pergunt) an non illis quoq; tent-

## SECTIO PRIMA.

poribus periculum idem erat, ne plurimi interficerentur, qui uel per errorem peccauerant, uel resipiscere poterant, et strenuam Ecclesiæ operam nauare? Et tamen, non parcas eis, inquit Dominus, neq; indulgebis, neq; abscondes: sed omnino feries incolas eius urbis gladio, & quicquid est in ea, eliam iumenta eius. Succendes urbē igni, ut sit perpetuò acerius, nec reædificetur amplius. Deinde subiiciunt, rogantes, quis nam fuerit, qui de Dco tam crasse sentiat, et tam imperite, ut illum faciat, olim quidem, tanquam cæco excandescenþæ impetu correptum, legem statuisse Zizanijs extirpandis tam seueram, ut innocentes pariter cum nocentibus inuolueret: nunc uero, quasi eius ira deferuerit, meliorem quandam rationem inueniſſe Zizanijs extirpandis citra tritici periculum. Hæc illi.

Quòd si contra eos eadem ratione excipiām, nihil est cause cur aduersus eos minus pollet ei⁹ teli acries, quam contra nos pollere contendant. Eadem enim forma ex eis querere possumus, si serui (ut quidem ipsi affirmant) Angelè sunt, qui summi Dei prouidentia mundana gubernant, iſsq; ex parabolæ prescripto (ut uolunt) Zizaniorum eradicatione interdictur, ne una cum illis frumentum euellatur, que causa Deum fecit olim sub Mose tam rigidum, ac seuerum, ut per Angelos multa hominum millia interficeret, urbes funditus euerteret, populoq; suo ne hostibus parceret præcipere: nunc uero mitis et misericors ab improborum hominum internecione eosdem Angelos

Angelos prohibeunt? Et cur tandem ex securæ illius  
legis præscripto pseudoprophetis ferro absuntis,  
urbes quoq; non incenduntur, armenta ac pecora,  
bonaq; demum omnia non deuouentur? At trepident  
fortasse uerbis similitudinis non quem libet rigorem  
cessare iuberi, sed ea mala tolerari, quæ sine pernicie  
corrigi non possunt. Atqui nos contrâ repetemus,  
ZIZANIA Ne euellite, ne cum eis eradicetur &  
triticum, nullo pacto interpretari posse, Ne COR-  
RIGITE errores, qui sine pernicie corrigi non  
possunt, sed interim in eos animaduertite, qui absq;  
pernicie corrigi possunt. Quis enim non uideat tam  
coacta interpretatione Domini uerbis uim afferri?  
Sed quomodo tandem ad illud eorum argumentum  
sumus responsuri? Duobus nimirum modis, q[uo]d bus  
ipsimet aduersarij nouerunt se à nobis urgeri posse.  
Quos obiter, ac summis tantummodo labris pertin-  
gentes, quasi tacitæ tantum obiectioni respondentes,  
ad propositum minimè pertinere affirmant. Quod  
igitur ad primum attinet, hæc sunt eorum uerba, Cæ-  
terum, ne quis hic fallatur, non rogamus an ista lex  
adhuc ualeat: de hoc enim alibi (at spero) differemus.  
Hoc autem loco de lege 13. Deut: scripta intelligunt,  
sed quasi deflectere, & elabi curantes, alibi de hoc se  
disputaturos pollicentur, nos uero cum cæteris Mosis  
legibus, iudicibus præsertim, eam exoleuuisse, &  
penitus abrogatam esse censemus. Id quod tertia tra-  
ditionum nostrarum sectione fusius declarabimus:  
ualidisq; rationibus demonstrabimus, etiamsi leges

illæ

## SECTIO PRIMA.

illæ adhuc ualerent, ad hæreticos minimè pertinere: eò quod non in eos, sed in blasphemos, apostatas, falsosq; uates latæ fuerint: qui quidem (ut probabimus) ab hæreticis quam longissimè differunt. Altera nostra respondendi ratio ab eis itidem leuiter tangitur, attamen his uerbis improbatur: Neq; ualere debet, inquiunt, quod nonnulli afferunt, Deum uidelicet olim sub Moysi rigidum fuisse, sub Christo uero misericordem. Nam hoc quidem uerum est, si legem Euangelio opponas, ut aliquoties facit Paulus: & alij quoq;: Sed ad questionem propositam non pertinet. Satis enim constat, aiunt, inter omnes etiam mediocriter eruditos, hoc non posse sic accipi, quasi nunc Deus violationem Decalogi comprobet, uel minore quam antea uindicandæ gloriæ suæ studio teneatur. Deinde subdunt, in lege illa agi de ijs, qui primum illud, & precipuum uiolant preceptum, ET ILLI SOLI SERVIES: quod perpetuum est, inquiunt, etiā si cultus ratio, quatenus ad cæremonias attinet, nunc est abrogata. Nos uero postremum hoc, quando id partibus nostris fauet, uolentes accipimus. Siquidem loco suo dilucidè ostendemus, hereticum preceptum illud non uiolare, ab unici Dei adoratione minimè discedere, neq; ab eius cultu ueraq; religione penitus desciscere, ut defector apostata, seu falsus uates, facere consuevere.

Et idcirco nihil Legi huic cum hæretico. Quo uero iure fulti, ad propositam materiam non pertinere minimeq; ualere afferant, quod dicimus, Deum eò in-

ter

ter dicere hæreticum necari, quod, quum olim sub  
Mose rigidus fuerit, ac seuerus, sub Christo miseri-  
cors mutisq; se ostenderit, equidem ignoro. At enim  
hoc uerum esse loco suo haud obscurè declarabimus.  
Neq; uero Deum ob id minore, quam antea gloriae  
sue studio teneri, aut legum suarum profanationem  
minus curare censemus. Ceterum quod afferunt, quā-  
tò nobis uberior gratia Christi aduentu allata est,  
tanto par esse Dominum eorum peccatis offendì, qui  
incredibili hoc munere abutuntur: quare significare  
uelle uidentur, eum hac de causa magis errantibus  
succensere, adeoq; maioribus etiam supplicijs eos af-  
fici uelle: ex eis quero, quid cause sit, cur Deuterono-  
mij lex, quam adhuc in hæreticos uigere uolunt, ma-  
gna ex parte remissior, mitiorq; euaserit ( non enim  
amplius in muros, aduersarijs ipsis etiam assentienti-  
bus, non in greges, armentaq; non deniq; in omnes  
idem oppidum incolentes sœvit) in ipsos uero hære-  
ticos tantum, eorumq; uitam exerat adhuc suæ seui-  
tie fulmina. Christi igitur aduentus Deum reddidit ex  
seuero mitem: sed, si illis credimus, solum erga urbiū  
mœnia, ædium parietes, cæteraque hominum bona, at  
in eorum corpora seueritatis sue aciem retinuit. Inò  
potius magnopere auxit: seueriorem enim nobis Deū  
depingunt. Quod quidem ex eo manifestè cuilibet  
constare potest, quod lex uetus blasphemos, ac pseu-  
doprophetas lapidibus obruendo necabat: noua au-  
tem, Antichristi inuentum, lento igne hæreticos tor-  
ret: supplicium longè atrocius, ex horribilius, quam  
lapi-

## SECTIO PRIMA.

lapidibus cædi: quorum unico interdum iætu suppli-  
cio finem imponi posse constat, En quo illos ducat  
plausibile illud argumentum, quo uolunt Deum, qui  
in Christo placatus dicitur, seuerioribus poenis hære-  
ticos mulctari uelle, quod, quantò nobis uberior Chri-  
sti gratia allata est , tanto grauius offenditur si quis  
eo munere abutatur : ex quo concludunt atrociore  
debere hæreticos affici suppicio. At quo maiora, in-  
culcat aliquis, D<sup>e</sup> beneficiis in Christianum populum  
per Christum sunt collata, eo maiore obligatione ob-  
stringimur, omni (inquit) possibili ratione Dei uerum  
cultum, sanamq; doctrinam à uerbi Dei corruptori-  
bus vindicandi. Nos uero, ut omni possibili ratione id  
fieri debere negamus, ita omni decenti, Christiq; præ-  
ceptis, & institutis non repugnanti modo fieri opor-  
tere concedimus. At Christianorum Magistratum in  
Deum studium longè multumq; præstare debet He-  
breorum Zelo. Quid n<sup>i</sup>? Nos uero hoc studium  
Magistribus quidem concedimus , sed Hebreorum  
Zelo quam longè dissimile. Illis enim non permisum  
modò, sed lege præceptum erat, ut pseudoprophetas  
occiderent: nobis autem, non modò non permisum,  
sed disertis Christi uerbis interdictum est hæreticos  
interficere. Atqui, si uera est eorum propositio, que-  
ro quidem, si uberior gratia maiorem Zelum flagi-  
tat , maior autem zelus seueriora in errantes suppli-  
cia, qui fit, ut Christiani Magistratus omnes Mosaicæ  
legis poenas in uaria crimina latas non conduplicent  
Imo potius flagitia multa, que morte plectebantur,  
bodiè

hodiè nulla poena animaduertantur? Exemplum est filius, qui patri non obediuerit, sponsa, quam uir non uirginem inuenerit, menstruatæ mulieris concubitor, et pleriq; alij: qui uel nulla lege uel multò quā a tea mitiore hodie plectuntur. Sed hoc argumentū in ferius, nouam nocti occasionem, iterum fusiū tractabimus. Præpostorē igitur, ac perperam munere suo funguntur Christianorum Magistratus, qui feruentē istorum Zelo perciti, non modo poenas non conduplicant, sed in multis lege puniendis connuerant.

At nouis adhuc iclibus nos petunt, ut similitudinis huius telum nobis ē manibus excutiant. Dicunt enim considerandum esse qua dicendi formula usus sit Patrem: Non enim, inquiunt, præcipit seruus ut si uant simul crescere Zizania, ne pro Zizanijs triticum, sed ne unā cum Zizanijs etiam triticum euellant: Ut facile appareat hanc legem esse prescriptam, non ut Zizanijs ipsis, sed ut tritico consulatur. Itaq; quod (inquiunt) Augustini, Chrysostomi, & aliorum quorundam pace dictum sit) qui haec uerba ad eos uolunt pertinere, qui ex Zizanijs possunt fieri triticum, hoc est, ex hereticis orthodoxi, ideoq; censem Patrem: uelle ut penitendi spatiū illis relinquatur, subtiliorem uidentur quam par sit, interpretationem asserre. Constat enim ea deum à Patrem: Zizania dici, quae à Diabolo sata sunt: id est reprobos omnes: qui, ut tritici speciem ad tempus mentiantur, sicut lolum quum in herba est: tamen semper sunt, & fuerunt Zizania. At si qui ex hereticis respiscunt, quū

eos

## SECTIO PRIMA.

eos oporteat ab initio electos fuisse, quamvis ad tempus uisa sint Zizania: quamdiu scilicet per ignorantiam restiterunt ueritati, & Diaboli laqueo capti fuerunt: nunquam tamen à Diabolo sati fuere. Itaq; nō uidentur in Zizaniorum numero posse comprehendi, de quibus in hac parabola quæruntur servi, & Paterfam respondet. Quod si ita est, nimurum illa Zizaniorum in triticum transformatio non satis commodè uidetur huic parabolæ applicari. Hec illi.

Iam (ut ex eorum uerbis apparet) Augustini, & Chrysostoi: interpretationem subtilitatis insimulant. Sed (bone Deus) quæ nam subtilitas est, si hæc eorum exceptio non est iam inde ab æterna Dei prædestinatione petita? Veruntamen mirandum prosectorum est, nostra ijs uideri subtilia, qui tam crassè interpretari sint soliti, ut tam apertum, Zizania non cuelendi interdictum (hoc est certam hominum speciem non occidendi) significare dicant errores eos esse tolerandos, qui sine pernicie corrigi non possunt, eos uero uindicandos, qui citra offendiculum cōerceri queunt.

Sed enim, ut ad hanc quoq; eorum oppositionem respondeamus, primum omnium dicimus, instituti nostrum non esse asserere, quæ Zizanijs datur uenia, eam ipsarum causa dari: uerum (ut ipsi quoq; affirmant) ut triuico consulatur: eo enim amore illud prosequitur Dominus, ut aliquando dixerit, qui uos tangit, oculi mei pupillam tangit. Hinc autem est, quod uidens Paterfam: periculum esse, ne in lolio extirpando,

do, etiam aliquid frumenti euelleretur, placitum est illi huius parabole significacione malas herbas hæreticorum à Magistratus gladio afferere, ne cum illis, aut pro illis, bonæ electorum suorum herbæ, quæ lolij quandoq; speciem præ se ferunt eradicentur. At uero, notandum est, quum legimus Patrem fam: seuisse frumentum, intelligendum esse, Christum sacram Euangeli doctrinam sermone suo seminasse, non autem electos: quum autem dicitur, inimicum hominem Zizania seuisse, intelligi debere, Satanam malignam inuidia percutit malam doctrinam suasionibus ac imposturis suis seminasse, nō autem reprobos. Ideoq; qui sanam doctrinam receperunt triticum appellantur, utpote ex bono tritici semine orti: qui uero malignam, Zizania dicuntur: nati uidelicet ex adulterino lolij semine à malo inter bonum iacto: Hoc autem nō ab æterno tempore, sed tum primum, quum à Patrem frumentum satum fuerat. At enim quia særissime accidit, ut falsa, & perniciosa dogmata, non ipsos tantum damnandos, sed saluandos etiam inficiant: quapropter rectè dicunt aduersari eos ad tempus uideri Zizania, quamdiu scilicet per ignorantiam restiterunt ueritati, & Diaboli laqueo capti fuerunt, ut etiam triticum ob Zizaniorum similitudinem, quum herbescit non internoscitur: inde est, quod Dominus seruis inhibet lolij euulsionem, ne quum eorum non sit uerum à falso (quod solius Dei est) dignoscere, cū uero lolio bonas etiam herbas, quæ lolij speciem præ se ferunt, nec uerè sunt forsan, eradicarent: hoc est,

## SECTIO PRIMA.

cum ueris obstinatis ac perditis hæreticis eos etiam  
occiderent, qui si uiuerent, fortassis reiecta falsa do-  
ctrina ueram amplecterentur. Hoc igitur fuit August:  
& Chrysost: institutum, quum dixerunt, Zizaniae si  
non euellantur, in triticum euadere posse: nimurum,

2. Tit:2.25. nos docere, quamplurimos falsis dogmatibus imbue-  
tos, si tolerentur, repudiata falsitate ueritatem ample-  
xuros. Id quod cum Paulinis uerbis probè congruit,  
quum ait, Cum mansuetudine erudiens dissentientes,  
si forte Deus eos ad frugem reuocauerit, ut uerum  
agnoscant, ad seq; redeant, & Diaboli laqueum cu-  
dant, à quo capti, eius arbitrio tenentur.

At quod subiiciunt, hanc lolij in triticum uersionē  
constare non posse, quia frumentum (quod electos  
interpretantur) semper est, & erit frumentum: lolium  
autem (hoc est, aiunt, reprobi) semper fuit, & erit  
lolium: respondeo, argumentum istud Augustini, &  
Chrysostomi subtilitatem, quam ipsi egregie impro-  
bant, longè superare: nudam enim, puram, perspi-  
cuamq; Domini sententiam declinantes: in altum, &  
incomprehensibile Dei prædestinationis, & præ-  
scientiæ pelagus, & nos una, & scipios iterum de-  
mergere tentant. Nos uero profundum et inexplorati  
æternæ hoc prædestinationis, & præscientiæ Dei  
mare deuitantes, & in patefactis nobis suæ uolunta-  
tis, & captus nostri riuiulis natantes, dicimus, quod  
attinet ad hominum sensum, quibus cū agit Paterfam:  
uerissimam esse hanc transformationem: illis enim  
multa, quæ Deus uidet minime uidentibus, tam sunt

Zizania

## SECTIO PRIMA.

49

Zizania ea, quæ Zizania esse uidentur, & non sunt, quam uera Zizania. Et idcirco, si aliquis ex hæretico orthodoxus euadat, quatenus ad eos attinet, uerè lolium in frumentum uersum est. Et hoc quidem tacitè fatentur aduersarij, quū dicunt, At si qui ex eis resipiscunt, quum eos oporteat ab inito electos fuisse, quamuis ad tempus uisa sint esse Zizania, quam diu scilicet per ignorantiam resistiterunt ueritati, &c. Quum igitur hæreticus in pium quandoq; per resistentiam uertatur, rectè sane à simili dicitur, lolium in triticum uerti: idemq; est, quod uidetur dixisse <sup>2. Tim: 2. 21.</sup> Paulus, uasa, ad res in honestas tantum accommoda, si expurgabūtur, uasa fore ad honestatem sacrata, hero utilia, ad omne opus bonum parata. August: quoq; in Aug: serm. hunc sensum, non enim, inquit, nosti qualis futurus sit de tempo apud Deum aliquando, quem rides idolam adorantem. Conuertetur, ut adoret Deum fortasse religiosius <sup>re. 22.</sup> quam tu, qui cum paulò ante ridebas. Et inferius: cc qui enim Iudeus est, hæreticus, aut paganus, forte cc (sicut dictum est) per misericordiam Dei conuertitur ad eum, ut inter sanctos prius locum habere mereatur.

Hoc idem quoq; docuit Musculus, quum dixit, <sup>Musc: in</sup> Euangeli gratiæ Dei resistunt: quis enim nouit quid crastino die sint per gratiam Christi facturi? Nam etiam si hodie aduersantur, & frustra audiunt, fieri tamen potest, ut aliquando conuertantur.

Erasmus quoq; dixit, Eradicat quodammodo bo-

## SECTIO PRIMA.

Eras: Resp: num qui malum tollit è medio, qui bonus erat futurus.  
● de Inquis. Id ipsum ostendit Brentius inquietus, in Euangelio  
Bren: de nim latitare, qua etiam deplorare impietatis homines  
Rep: pīc ad iustitiae nō raro redunduntur affines, adeoq; ex filiis iræ  
minist: filij Dei.  
Calu:Inst: Hanc quoq; transformationem probè nouit ipse  
1.4.cap.12.9. Caluinus, ac præclarè expressit, quum dixit, Plus li-  
„ centia ne nobis in iudicando arrogemus, nisi uolu-  
„ mus Dei uirtutem limitare, ac misericordiæ eius le-  
„ gem dicere: cui quoties uisum est, pessimi in optimos  
mutantur, alieni inscruntur, extranei cooptantur in  
Ecclesiam. Idq; Dominus agit, ut sic hominum op-  
tionem eludat, & temeritatem retundat: que nisi  
correatur, sibi iudicandi ius supra quam decet usur-  
pare audet. Ecquid nam sibi uoluit hic Caluinus? For-  
tasse reprobos electos fieri posse? An potius impios,  
qui corruptæ uite specie reectorum præbent indi-  
cium, si tolerentur, mutatis moribus probos uiros  
euadere posse? Quare tandem pij ac prudentis lecto-  
ris iudicio permittimus decernere, an Chriſto: &  
August: aliorumq; interpretatio tam inepta sit, &  
incongruens, quam ab aduersarijs esse affirmatur, &  
an (ut aſſerunt) Patrisam: uerbis uim afferat. Neque  
uerò oportebat Hieronymum (ut ab eis adducitur)  
tam uhementer laborare in hoc loco conciliando  
cum Paulino illo, ubi Corinthium incestuſum Sata-  
næ tradit: Quo loco opinatur Hieron: per Zizanio-  
rum similitudinem interdictum tantummodo esse præ-  
cepis in dubijs cauſis iudicium. Veruntamen manuſ-  
ſte

Hier: in  
Mat: 13.

stè perspicitur locos istos hæd quamquam inuicem pugnare. Lex enim illa, qua per Zizaniorum similitudinem mors heretici prohibetur, Apostoli iudicio in Corinthium dato non aduersatur. Ibi enim agitur de morte, hic autem de separatione ab Ecclesia, quam excommunicationem uocamus. Neq; etiam opus erat Augustino tam anxiò esse in hoc nexu enodando. Quando uero idem Augustinus (ut obijciunt) ait, quum crimen notum est omnibus, nec schismatis pc<sup>e</sup> Con:Ept riculum imminet, dormire non debere discipline se<sup>r</sup> Parment ueritatem: ex uerbis eius nunquam euincere aduer<sup>r</sup> lib:3.2. sarij ipsum heretici mortem suadere. Ibi enim agit de disciplina ecclesiastica: quæ quidem usq; ad ipsam ex communicationem pertingit, non ad supplicium capitulo per Magistratum irrogandum.

Sed nouam iam eorum interpretationem aggre diamur: quæ quidem mihi uidetur in eorum inter Angelos distinctione fundamenta habere. Aiunt igitur à Christo uideri sibi propositam esse hanc parabolam, ut ex ea intelligeremus, quis sit in genere à propagata Euangeli<sup>j</sup> doctrina Regni Dei status, usq; ad con summationem seculi futurus. Idq; nobis (dicunt) allegoricè declarari. Nam sicut initio historiæ Iobi proponitur nobis Deus, ut Rex aliquis cum suis proceribus, sic cum Angelis suis Satana præsente disserens, ut nobis ob oculos incomprehensibilis illa Dei pruidentia mundum uniuersum per spiritus administratorios gubernantis quasi in tabella proponatur: ita etiam hoc loco Dominus cum ijsdem Angelis, uelut

## SECTIO PRIMA.

Paterfam: cum seruis suis de futuro laborum suorum exitu colloquitur.

Quodni fallor in eorum sententia percipienda, uidetur mihi uelle, Dominum hac similitudine monuisse nos, munus improbos homines cuiuscumque generis interimendi, itaq; Ecclesiam à Zizanijs perfecte purgandi, uniuersamq; illam purgationem faciendi in hoc mundo sperari non posse, nec tentari debere: quandoquidem hoc munus Zizania euellen-di, et in ignem coniiciendi, non est eius generis ministrorum, quos Paterfam: Seruos appellat, hoc est Angelos mundana administrantium: uerum ad eos ministros spectat, qui messorum nomine nuncupantur Angelorum scilicet, quibus extremi iudicij messis à Deo concredita est, ac diuinitus destinata.

Iam uero considerandum ante omnia occurrit, quæ sit historiæ Iobi, ad Zizaniorum parabolā comparatio. Quæ in Iobo narratur, historia est: Zizaniorum uero, parabola. Quomodo ergo potest historia ueritas cum parabole figmento comparari? Comparatio similiūm fieri debet, non dissimiliūm: nec detet passerem cum leone, neq; cum serpente columbā conferre. Quem cum Satana Deus habuit sermonem uerus est, non fictus, aut parabolicus. Neq; in ea narratione aliiquid dicitur, ut tamquā in tabella Dei prouidentiam contemplemur, sed simpliciter uti res gesta est, narratur, ex qua tamen Dei prouidentiam per spicere licere non negamus. Quapropter aliam debuerant Aduersarij in scripturis inuenire, aut sibi confin-

confingere parabolam, cum qua nostra hæc conferri posset. Omitto, quod argumenti unius cum alterius argumento nihil commune reperi potest. Iobi enim historia elogia Dei continet de eius religione, ac pietate, eiusdemq; Dei permisum de Iobo à Satana tentando; quo exemplo doctrina elicetur, ueteratorem illum nihil potestatis in homines habere, nisi quatenus illi à Deo permittitur. Zizaniorum autem parabola, si aduersarijs credatur, monemur in hoc mundo semper, ad ultimum usq; diem bonos cum malis permisitos fore: neq; uniuersam purgationem messoribus demandatam ante id tempus factum iri. Si uero nobis, in ea præcipitur male doctrinæ hominum animaduersionem non ad homines in hoc seculo, sed ad Christum in extrema die per Angelos messores faciendam, spectare. Quid igitur historiæ illi cum similitudine ista? Adde quod non recte constar credimus quod dicunt, in historia ipsa proponi nobis Deum cū Angelis suis differentem, ut nobis (ut inquit) oculos proponatur incomprehensibilis Dei prouidentia, qua Mundum uniuersum per spiritus administratorios gubernat: nam tameisi non negamus in eo, quod in historia Angeli dicuntur conuenisse, ut iouæ astant, eos Dei ministros esse significari, atamen de eorum ministerio, & Mundi rerum gubernatione ibi nulla sit mentio.

Dei enim concio, & cum Satana colloquium de Angelorum ministerio nihil habet, sed ea tantum continet, quæ paullò ante narravimus. At uero hoc lecto-

## SECTIO PRIMA.

rum prudentiae cognoscendum relinquimus. Sed quid, quod in eorum interpretatione aduersarij falsitatis manifeste arguuntur? Aliunt enim Deum cum Angelis suis presente Satana differuisse, historie autem ueritas habet, Accidisse quadam die, ut filij Dei (Angeli inquam) conuenirent, ut Iouæ astant, quum quidem Satanæ una cum eis adesset: Tum autem Iouam Satanæ dixisse, &c. Ex quo liquido apparet, Dicū, non Angelos presente Satanæ ut illi dicunt, sed Satanam presentibus Angelis alloquitum fuisse.

Præterea neque silentio inuoluendum esse uidetur, quod aiunt de integra Ecclesiæ repurgatione hic intelligi debere: quam in hoc Mundo sperare non possumus, sed hunc mundum perpetuum non fore: tempus enim quoddam à Deo constitutum esse, in quo repurgatum triticum in horreum recondatur: resecta autem Zizania exurantur: itaque integrum repugationem factem iri. Interim hac parabola nobis prædicti in hoc Mundo semper futura Zizania, malosque simul bonis admistos. Quod autem tam diu integra illa repurgatio differatur, nostro bono fieri: adeò, ut si qui aduersus Dei consilium hanc integrum repugationem Ecclesiæ aggrediantur, non modò nihil sint effecturi, sed magnum etiam Ecclesiæ allatui detrimentum. Existimari par esse Ecclesiam non ita temere exagitari, sed quod ita expediat, &c.

Hic uero animaduertere decet an ex parabolæ uerbis ea eliciantur, quæ aduersarij probare contendunt. Serui Dominum interrogant, uelutne cant lecū Ziza-

Zizania: hoc est, iuxta nostram interpretationem, hæreticos, iuxta eorum, facinorosos omnes, necatum. Quibus ille, Non: ne forte malas herbas legentes frumentum unum cum eis eradicetis. At qui ex qua horum uerborum parte colligi potest distinctio aliqua inter uniuersalem & particularem (ut uocant) Mundi purgationem, ut Domini institutum fuerit uniuersalem, & absolutam purgationem prohibere, specialia uero iudicia concedere? Præterea haud quidem melius, aut apposite magis illis responderi posse arbitror, quam si lac: Acon: uerba afferam, que huiusmodi sunt.

At uerat (ait ille) Dominus id fieri: uultq; eos Iac: Acont crescere cum tritico: neq; ab eo usq; ad messis tempus separari. Sed ait, uerat uniuersam agri per purgationem fieri, non particulares singularum Ecclesiarum. Quid ergo, si ita diligentes homines sint in particularibus illis purgationibus faciendis, ut nulla Ecclesia relinquatur non purgata? An non sic universa facta purgatio fuerit? Sed negas id posse fieri. At finge posse. Fatearis necesse est, nulla particulari Ecclesia relicta non purgata, uniuersam purgationem fore factam. Quod si accideret, ante messis tempus, contra accideret atq; Dominus mandasset: quamquam ante messis tempus fieri noluerit, tam profecto per homines fieri noluit, quam per angelos. Quod si Magistratus quilibet aggrediatur, non quidem universam purgationem, quam non possit facere, sed eam quam possit, quid aliud hoc fuerit, quam contra

## SECTIO PRIMA.

Domini uoluntatem atq; mandatum facere quantum posset? Ac certè, quantulacunq; purgatio fuerit, uniuersæ parserit: ut qui fecerit quantum potuit, per eum non stetisse dicendum sit, quominus uniuersam faceret. Haec tenus Acont:

A dde quod (ut supra diximus, expendentes eorum distinctionem inter errores qui facile, et qui difficile coerceri possunt) generalis hæc lex specialem purgationem ab uniuersa non distinguit, sed quem dicat, Zizania ne euellito, tam specialem, quam uniuersam uetare uidetur. Quod si lex non distinguit, neq; nobis (ut toties diximus) distinguere licet.

At enim ad hæc responsuros scio, si præcisè ex sententia nostra intelligatur ex parabolæ præscripto non uniuersalem solummodo Ecclesiæ repurgationē, sed particularem quoq; prohiberi, Magistratum particularia in facinorosos homines iudicia aboleri. Ad hoc tamei si per superiora abundè responsum arbitramur, noua hæc oblata occasione addimus, Magistratus in male facientes particularia iudicia non eò spectare, ut Ecclesiam à Zizanijs repurgent, sed ut scelestium hominum crimina puniant. Quod si obijciant eadem ratione ad crimina hæreticorum uindicanda particularia in eos Magistratus iudicia non prohiberi, respondeo: Magistratus, in hæreticis plectendis non eò spectare, ut eorum crimina uindicent, sed ut Ecclesiam (quod per parabolam interdici ostendimus) à Zizanijs repurgent. Argumento est, quod quum facinorosi homines, quamuis resipiscant, ac errorem

errorem fateantur, nihilominus suppicio afficiuntur, hæreticis falsam doctrinam abnegantibus poena condonatur, satisq; habent Magistratus, ac uerbi ministri, si ea Zizaniorum parte Ecclesiam purgauerint. Sed hoc argumentum inferius aptiore loco iterum tractabimus. Quia uero ad interpretationem suā roborandam inquiunt, quamuis in hoc Mundo semper futuri sint mali cum bonis admisti, sitq; ista permissio patienter usq; ad mebis tempus perferenda, minime tamen inde consequi uel ciuilem Magistratū, uel Ecclesiasticæ disciplinæ præfectos cessare ab officio debere (Nam & si semper in hoc Mundo prædones erunt, & homicidae, non est cur Magistratus prædones, & homicidas capite non plectat) hanc obiectionem satis superq; per superiora dilutam esse arbitramur; tunc nempe, quum Pauli locum de Magistratu non sine causa gladium gestante, cum Christi parabola Zizania euelli prohibente conciliantes; ostendimus locos istos inter se non dissidere: per parabolam hæreticos non occidendos decerni, per Pauli sententiam facinorosos ciuili gladio addici.

Quod autem asseuerant, si qui aduersus Dei consilium integrum illam Ecclesiæ repurgationem aggrediantur, magnum Ecclesiæ ipsi detrimentum allatum esse, uolentes admittimus. Si enim Acon: authore, qui particularem purgationem aggrediuntur, dici potest, quantum in illis est uniuersam quoq; fecisse, particularem purgationem hæreticorum morte facientes, uniuersalem quoq; Deo ipso iuinto facere di-

## SECTIO PRIMA.

cum possunt. Quod uero attinet ad Ecclesiæ detrimentum, id quoque libentissime comprobamus, tum quia Zizania euellere credentes, triticum fortasse euellunt, siue ea saltæ Zizania, quibus si parcerent iuxta Domini præceptum, in triticum fortasse conuerti poterant: tum etiam, quia Zizania, Augustino auctore, tritico non nocent, immo uero profundunt: ut proxima sectione Augustini ipsius dicta recensentes declarabimus: Id quod ne ipsis quidem aduersarij negare uidentur, dicentes, quod tamdiu integra Ecclesiæ repurgatio differatur nostro bono fieri. Nam Augustino quoque ipso testante, omnis malus, aut ideo uiuit, ut corrigatur, aut, ut per eum bonus exerceatur: siquidem per patientiam perficitur Christiana uirtus.

Ex ijs tandem, que nouam eorum interpretationem examinantes, notauiimus, omnibus, etiam mediocriter eruditis statuendum relinquimus, quam bene cum parabola cohæreat istorum allegoria, quotque partibus ab ea discrepet. Id quod tamen melius percipient, si nostram explicationem memoria reperient, quamque apposite uerba eius interpretantes nihil reliquerimus, quod sententia nostræ non optimè cohæreat. At contraria aduersarij suam agnoscentes quam ieiuna sit, multila, & parabolæ uerbis non omni ex parte congruens, non rectè facere opinari se dixerunt, qui in singulis parabolæ uerbis insistunt: Nam si curiose scrutentur, inquiunt, in alia eiusdem 13. capituli parabola de tribus satis farinæ, quemam sit illa mulier, que farina, cur trium satorum fiat mentio, ridi-

ridicula multa necesse est effuiri : ac denum con-  
cludunt , potius oportere scopum parabolæ specula-  
re , quā in uerbis omnibus recte applicandis h̄erere.

Verūm, ut hoc illis concedamus , nisi in parabola  
præcipua eius uerba spelemus, ac recta explicatiōne  
interpretēmur , qua ratione uerum illius sensum eli-  
cere poterimus ? In farinæ satorum similitudine mu-  
lieris sit mentio, quod mulierum potissimum sit cura  
conficiendi panis. Quapropter Dominus hanc panis  
conficiendi similitudinem suscepturnus, mulierem no-  
minat : quare nihil est cur de eius personæ inter-  
pretatione anxijs simus. Præcipua uero huius simili-  
tudinis capita, farina sunt, atq; fermentum. Quamo-  
brem, ostensurus Dominus Regni Dei incrementum  
breui ex Euangelij promulgatione futurum, duarum  
rerum similitudinem assūmit , quarum altera alte-  
ram augendi natura uim habet , altera uero ex  
altera incrementum capiendi: ut uidere licet ex fer-  
menti, & farinæ permissione. Nam sicut modicum  
fermenti farinæ admistum ipsam statim inflat, &  
auget, ita Dei uerbum in hominum mentes per Euan-  
gelij prædicationem à spiritu sancto infusum , à par-  
uis initijs ex alio in aliud transiens, mirificè auge-  
tur, dilatatur, ac propagatur. Non igitur hic opus est  
de farinæ ac fermenti natura aliud anxiè inquirere:  
quum satis hæc sint ad Domini institutum. Id quod  
Bucerus optimè nouit, quum dixit , Idem Dominus  
prædicere uoluit Regnum Dei breui inualitatum, &  
totum orbem occupaturum: sicut paullum fermenti  
bre-

Buc: in  
Mat: 13: 4

"

## SECTIO PRIMA.

Hieron:  
Chrysost:  
Erasmi:in  
Mat:13.

breuiſſimo tempore totam farinam peruadit, & in-  
flat. Quod autem attinet ad trium satorum numerum,  
tametsi Hieron: ad trinitatis mysterium allegoricē al-  
ludit, gaudens in numero philosophari, Chrysost: defi-  
nitum numerum pro, indefinito positum arbitra-  
tur. Cui erasm: astipulatur inquiens, Porrò tribus ad-  
didit, ut ostenderet ingentem farinæ magnitudinem:  
quæ tamen paululo fermento afficiatur. Constat igitur  
in huius parabolæ præcipuis uerbis interpretan-  
dis non tot ridicula effutienda esse, quot censebant  
aduersarij effutiri necesse fore. Iam in Zizaniorum,  
similitudine quoniam pacto Domini institutum asse-  
qui poterimus, si præcipuorum parabolæ uerborum  
ratio non habeatur? Opus est enim, quid sit semen  
bonum, quid malum cognoscere, lolij naturam, quid  
que pro eo intelligi debeat expendere: ministrorum  
bina genera, seruorum scilicet, & messorum, eorum  
que distinctionem, & munerum diuerositatem consi-  
derare: messis tempus, ac tandem euellendi significa-  
tionem accuratè perscrutari: Vnde dilucide ac uere  
statui posse, quodnam genus sit hominum, quod ser-  
uari ex hac similitudine præcipitur: ad quod tempus  
eorum supplicium differatur: ad quos spectet eos mul-  
tandi munus: quibus deniq; ab eo obeundo interdi-  
catur.

Haclenus tandem mihi uideo de parabolæ huius  
explicatione quid sentirem abunde dixisse. Quam  
præter patres, quos supra citauimus, quosq; loco suo  
alijs ciuam additis repetemus, Beda quoq; Remigius,

Et Anselmus, eodem modo interpretantur: hæreticis scilicet uim non inferendam, ad fidem deniq; non cogendos. In qua explicanda plus æquo fortassis ac fuisus quam par erat euagati sumus. Sed ad hoc nos aduersarij ipsi impulerunt, qui quidem uidentes eam potissimum opinioni sue aduersari, prolixè admordum, et anxie circa eam uersantur, totisq; viribus illius autoritatem nobis eripere conantur; ut corum argumentis expositis abunde declarauimus.

Quod autem attinet ad Euangelica alia et apostolica loca à nobis adducta, primum omnium respondent aduersarij, minimè mirari oportere, antique Ecclesiæ moris non fuisse hæreticos insectari, capitaliq; poena in eos animaduertere: et (quod consequens est) ab Apostolis ea de re præceptum non existare: toto enim, aiunt, martyrum tempore, infidelium Imperatorum insectationibus sive uenientibus, Christiana Ecclesia nunquam pium Magistratum habuit, sed semper ethnicis Magistratis dicto audiens fuit. Quapropter, ne dum hæreticos, persequi non poterat, sed ab eis etiam insectationem patiebatur. At uero demum insectationibus cessantibus, quum per Constantium Magnum Christianorum Ecclesijs uniuersalis pax data esset: iure ac merito in Christianissimum morem hunc inuectum esse, in hæreticos publicæ paucis, et tranquillitatis Ecclesiæ, fideiqt; unitatis turbatores animaduertendi, ac etiam eos morte mulctandi.

Quod si Paulus Christianum Magistratum ad manum habuisset, haud dubitate se, quin illi eos punieret  
dos

## SECTIO PRIMA.

dos esset daturus, quos aliâs tolerandos præcipiebat,  
ac permitta sibi diuinatus castigatione in ordinem co-  
gebat.

Magnum proœctò ingenij acumen, cordisq; ar-  
canorum diuinam mentem esse oportet ijs, qui, tam  
alè Apostoli animum interpretari audeant. Atqui  
nos primum quæ dicunt simpliciter negamus. Eorum  
ergo humeris, ut actoribus, incumbit probandi onus.  
Quinimò, fiderent affirmamus, Magistratum, si  
Christianus fuisset, præterquam quod Paulus id ab eo  
non exegisset, sua sponte illud acturum non fuisse:  
Quò magis enim Christiano lumine fuisset illustra-  
tus, eo magis ad doctrinam, clementiam, patientiam,  
uoluntatem deniq; Domini nostri Iesu Christi sese  
conformasset. At illud præterea operæ preium est  
considerare: nîrum proœctò esse, si doctrina hæc ex  
Deo est, etiam si Christianæ Ecclesiæ Pauli temporis  
Magistratus non habuerint, quibus hæreticos  
occidendos daren<sup>t</sup>, Paulum ipsum, ceterosq; Aposto-  
los, uoluntatis Dei publicos præcones, quibusq; ut  
Christus prædixerat, sanctus spiritus, à patre missus,  
omnia patefecit, futuraq; prænunciauit, hac de re  
præceptum non reliquiss: Imò uero Christum ipsum  
ore proprio hoc aperte non declarasse: ut uexatione  
cessante, paceq; consequuta, haud dubiè constaret,  
qua ratione in re tanti ad Dei gloriam afferendam,  
puramq; religionem conseruandam momenti, nobis  
esset agendum. Cuius rei, non Apostolis tantum, ue-  
rūm & ipsi Christo, neq; semel solū, sed sœpius com-  
modis.

Ioan:6.

modissimæ occasions oblatæ fuere. Et certè Paulus ipse in leuioribus tradendis non ita parcus uidetur. Ecce minis enim præcipit ne auro capita exornent, ne calamistrata coma incedant, tecto capite orent, uiri autem aperto. Quæ quidem omnia longè minoris momenti sunt, quam scire an liceat, nec ne homines non credentes, & falsam fidem obstinate retinentes necare. Primum omnium seruator noster de extremis temporibus uaticinans, Existet, inquit, multi falso uates, qui multos decipient; & quia tot erunt sceleræ, refuges et multorum charitas. Hic certè, ut remediu huic malo adhibendum nos edoceret, addere poterat Dominus, Tunc uero pios Magistratus habebunt, quorum partes erunt, sceleratos illos homines persequi, ciuiliq; gladio iusto suppicio afficere: Sed tantum addidit, qui ad finem perseuerauerit, is seruabitur. Paulus, quum cæteris discipulis, nunquam eos reuisurus ualediceret, ait, Nam ego compertum habeo fore, ut uos post discessum meum truces inuidant lupi, qui gregi non parcant: ulq; ex uobis ipsis existant homines, qui peruerseloquantur, quo discipulos ad se sequendos abducant. Idonea quidem Apostolo ac iusta tunc se obtulit occasio huic ueneno antidotum præbendi: & ut malum prænunciabat, ita quoque remediu edocendi: nempe Magistratus potestatem hæreticorum pesti mederi debere. Attamen nihil plus infert, quam ut uigilarent. Ad Tim: scribens, inquit, spiritus autem diserte dicit, fore ut ultimis temporibus deficiant quida à fide, spiritibus addicti fallacibus, demoniorum.

Mat: 24: 32.

Act: 20: 29.

1. Tim. 4: 1.

“

“

## SECTIO PRIMA.

que doctrinis, per simulationem hominum falsilo-  
quorum, iniustum habentium conscientiam. Hic quo-  
que poterat Apost: Christianos homines admonere,  
quomodo illis cum eiusmodi rebellibus, ueræq; fidei  
hostiis esset agendum.

- Eidem Timot: alibi dicit, illud autem scito, extre-  
mo & uo difficultia fore tempora. Erunt enim homines  
„ sibi amantes, auari, arrogantes, superbi, maledici, &c.  
„ Et inferius, Pietatis speciem habentes, sed qui eius  
um abnegauerint. Hos tu auersare. Ex his autem  
sunt, qui in domos sese insinuant, captiuasq; reddunt  
mulierculas, quæ peccatis cooperante, & uarijs cupi-  
ditibus a clæ semper discunt, & nunquam ad ueri  
cognitionem uenire possunt. Et quomodo Iannes, &  
Mambres Mosi restiterunt, ita hi ueritati resistunt: ho-  
mines mente corrupti, circa fidem improbati: Vide  
quām aptè, quamq; appositè poterat hoc loco Apost:  
Ecclesiæ præcipere, quo pacto improbi isti, sanæ do-  
ctrinae corruptores, ac ueræ fidei hostes pijs Magistra-  
tus gladio coercendi, ac puniendi forent. Attamen de  
hoc uerbum nullum. Tantum subiicit, eos nihil pro-  
futuros, eorum enim dementiam perspicuam omni-  
bus futuram. Petrus quoq; in hanc sententiam scribit,  
Fuerunt autem falsi quoq; uates in populo, ut e: iam in  
„ uobis erunt falsi magistri, qui perniciose sectas intro-  
„ ducent, uindicemq; suum herum abnegabunt, itaq; ce-  
lerem sibi perniciem conciliabunt. Poterat ne accom-  
modatius alibi Christianus populus admoneri ex lege  
Mosaica, in falsos uates animaduertente, hereticum à  
Chri-

## SECTIO PRIMA.

57

Christiano Magistratu puniendum fore? Id quod Apost: non facit; Tantum ait, eorum supplicium iam diu non ociali, neq; dormitare eorum perniciem. Ex quo colligitur, scielesorum id genus hominum supplicia. Dei arbitratui per æternum hominis interitum reseruari: ut ex Zizaniorum parabola collegimus.

Ex his tandem manifestè percipitur, Dominum nostrum, suosq; Apostolos multis locis, quibus ipsis se obtulit occasio tradendæ nobis doctrinæ de hereticis capite plectendis, siue puniendis, non solum id non fecisse, sed contrariam doctrinam potius insinuasse. At uero apostolus: præter ab eo scripta que hactenus multa citauimus, exemplum quoq; ut legere est in Actis Apostolicis) nobis reliqui, quo aperte, omniq; procul dubio testatus est, se, tametsi Christianum Magistratum (ut aduersariorum uerbis utar) ad manum habuisse, nequaquam illi hereticos necando uel suppicio afficiendos fuisse daturum. Quam quidem historiam, superius & obiter attigimus, nunc uero meliore oblata occasione latius explicabimus.

Vicerat apostolus in Cypro insula uerbi gladio impium Elymam magum Sergio proconsule præsente, Christi doctrinam uehementissime oppugnantem: Quumq; mago in ueritatis testimonium cecitate percusso Procons: miraculo motus in Christum credidisset, poterat apostolus Christianum Magistratum adeptus iniquum illum ipsi morte è medio tollendum, aliaue

## SECTIO PRIMA.

corpore a poena afficiendum tradere? At qui nihil in  
eū atrocius statuit: Satis enim habuit, quod ad Sergij  
personam, eum Euangelium recepisse: quod ad ma-  
gum, cæcitatris poena à Deo affectum esse: ut eo uati-  
cinante repente euenit. Quod si quis ex supplicio  
Elymæ irrogato colligere uelit hæreticos capitali  
poena plecti posse, respondeo, magum non ab homi-  
ne, sed à Deo supplicium illud perpeſsum esse: non  
posse Dei cuncta facta in exemplum trahi hominibus  
imitandum: id quod loco suo fuisus explicabimus.  
Ad hæc cæcitatris poenam non tam fuisse peccati mul-  
tiplam, quām Dei miraculum in Paulinæ ueritatis testi-  
monium, & confirmationem: ut Proconsul Apost:  
uorbis fide adhibita cœlestem illam doctrinam ample-  
teleretur. Hoc autem ex historiæ ipsius uerbis manife-  
stè probatur. Nam post editum miraculum hæc uerba  
sequuntur, Ea re uisa Procons: credidit. stupefactus  
Domini doctrina, Consueuerat enim Deus, ut Eu-  
angelicam doctrinam Christi filij sui ore, Apostolo-  
rumq; uerbis promulgata, firmam, ratamq; ficeret,  
signis sequentibus eam confirmare. Quocirca Euau-  
gelistæ Marcus Christi in cœlum aſſensum describens

**Mar: 16. 20.** inquit, Illi uero digredi ubiq; prædicarunt, Domino  
adiuuante, & sermonem confirmante sequentibus si-

**Ioan: 2. 23.** gnis Apud Ioan: legimus, quum in festo Paschæ Iesus  
Hierosolymæ degeret, frequentes in eius nomen cre-

**Hebr: 2. 4.** didisse, quām mira ficeret uidentes. Itcmq; Apost: ad  
Hebreos scribens: uerbaq; faciens de salute nobis per  
Christum exhibita, subdit, Eam esse confirmatam, at-  
testante

testante Domino ostensis, & miraculis, varijsq; prodigijs, & Spiritus Sancti donationibus.

Hec autem ad ea, que ab initio in hunc sensum scripsimus hic adiicienda putauimus, ut promissa prestantes ostenderemus Elymæ supplicium non Pauli opus in eius peccati ultiōem, sed Dei miraculum ad Proconsulis institutionem fuisse.

Atenim quoniam argumentum nostrum constare non posse afferunt, eò quod Sergius ante inflictam Elymæ cœcitatis penitentiam Christianus non esset, neq; idcirco posset Paulus eius (ut Christiani Magistratus) potentiam, auxiliumq; ad impietatem magi vindicandam implorare: respondeo, si ex lege diuina pseudopropheta, in Deumq; contumeliosus etiam post Christi aduentum (ut eorum fert opinio) capite plectendus est, sola Elymæ temporanea cœcitate legi Dei satisfactum non fuisse. Fuerant igitur Apostoli partes, quum primum Proconsule ad fidem conuerso Christianum Magistratum est natus, monere cum iniquum illum ex diuina legi morte mulctandum esse. Hac enim ratione certam perpetuamq; doctrinam de hereticis occidendis Ecclesiæ commendasset: Christianosq; Reges, ac Magistratus, unaq; Ecclesiæ Ministros officij sui admonuisset. Quod quum non fecerit, aduersariorū opinione uigente munere suo haud quidem satis recte functus fuisse uidetur. Ecquando, unquam obsecro, ipsi, aut Apostolorum cuiquam opportuna magis data est occasio dubia rei explicare, & controversiae huius dirimendæ? Minime pro-

## SECTIO PRIMA.

factò credendum est, electum illud Christus, sanctisq;  
spiritus organum tam idoneum sibi oblatæ opportu-  
nitati defuturum fuisse: ne dubium relinqueret tanti  
momenti articulum. Disertis enim uerbis erat hic  
hac de re decernendi locus, illustriq; exemplo capi-  
tale hæreticorum supplicium Magistratus commen-  
dandi.

Quod si ipsis quoq; detur cæcitatis de mago sum-  
ptum supplicium, Pauli opus, quod negamus, fuisse,  
minimè quidem satis efficax exemplum est, quo Chri-  
stianus Magistratus in hæreticorum uitam ciuili gla-  
dio animaduertere posset. Neq; enim probanda est  
huiusmodi consecutio, Apostolus Ecclesiæ minister  
magum temporanea cæcitate mulctauit, ergo Magi-  
stratus mundanarum rerum gubernator, hæreticum  
morte pleclere uel debet uel potest. Nā tametsi exem-  
pli se sui muneris admoneri opinaretur, ne exempli  
terminos egredeleretur, hæreticum haud quidem occi-  
dere, sed oculos ei tantum effodere, alioue modo luce  
priuare deberet.

Hac enim ratione hæreticum iuxta exemplum pu-  
niret, eiq; resipiscendi spatum ex Apostoli præscri-  
pto relinqueret. At uide, obsecro, Christiane Lector,  
quas in angustias, inextricabilesq; tricas eos impel-  
lant nouæ istæ subtileis interpretationes, & analogiæ,  
ingeniorum peruersitate potius quam acumine per-  
quisitæ. Verum quum ostenderimus non bene consta-  
re eorum argumentum, ab hoc exemplo desumptum:  
nempe, Paulus Euangeliij minister Elymam cæcitate  
per

percusit, ergo Christianus Magistratus hæreticum necare potest; uideamus si placet, an argumentum à nobis ex eodem exemplo peutum felicius currat. Sic igitur ratiocinamur: Paulus Euangelij minister (ex eorum inquam sententia, ex nostra Deus) magum execravuit, ergo Proconsulem admonuit, & in eius persona Magistratus omnes, ne in alienam messen falem immitterent: hominum in fide peccantium animaduersionem non ad eos, sed ad Deum, uerbique sui ministros pertinere: ipsi ciuili gladio in facinorosos animaduertant: pseudoprophetas autem Deo, & Ecclesiæ multando permittant.

Nemini profecto dubium fore credimus, quin ratiocinatio hæc nostra eoru consecutione tolli illi histo riae, & ipsi ratione sit magis consentanea. Sed iam prima absoluta, ad secundam sectionem transeamus.

## SECTIO SECUNDA.

**T**HESIS huius, de qua à nobis disputatur ueritatem antiqua quoque Ecclesia iam inde ab initio manifestè cognovit. Homines uidelicet religio nis causanon esse ciuili ratione puniendo. At uero non Apostolicis tantum temporibus, totaque martyrum etate uera hæc æque ac pia uiginti opinio uerum aliquot post secentibus seculis, nec pia Ecclesiæ more nostro hæreticos insectarunt, neque Christianos Reges ad eos ciuili gladio coercendos concitarunt: imò potius à sanguine fundendo & ipse ab

## SECTIO SECUNDA.

horruerunt et alios auocarunt. Id quod ex omnium  
ferè eorum scriptis , qui patrum nomine nuncupan-  
tur aperte colligitur : ut ex eorū dictis dilucide ostendemus: quæ quidem nostris his attexere placuit, tum  
in eorum sententiæ hac de re testimonium , tum uero,  
ut nostram parabolæ Zizaniorum explicationem ab  
eorum interpretatione non discrepare cernatur. Ve-  
runtamen, quia aduersarij Patrum autoritatem ex-  
pendentes dicunt, posse se exceptione uii, quam totes  
Augustinus ipse aduersus Pelagianos affert: habentus  
scilicet ualere patrum autoritatem , quatenus cum  
uerbo Dei consentiunt: deinde subiiciunt, defensionē  
hanc se querere non cogi, sed patres potius à quo-  
rundam impudentia defendere uelle, quam eos repre-  
hendere, tamquam à uerbo Dei discesserint : Patres  
tandem non ita à nobis esse, ut impudenter iaciamus;  
respondeo, nos, quanquam eorum sententias non ita  
adducimus, ac si essent Euangelica oracula, nec parē  
illis cum sacræ scripture dictis autoritatem tribuere  
contendimus, hoc tamen fidenter affirmare, eorum  
scripta adeò magis nostræ, quam illorum sententiæ  
fauere, ut, nisi ex uerbo Dei tam aperte (ut ostendi-  
mus) hæc controuersia dirempta esset, patrum ipsorum  
iudicio dirimendam libenti animo simus permis-  
suri. Quodut appareat iam ad eorum scripta deue-  
niamus.

Tertullianus uetusissimus iuxta ac doctissimus  
**Scapulam.** Theologus , ad Scapulam scribens, inquit, Humanæ  
iuris, et naturalis potestatis est, unicuique quod puta-  
uerit

## SECTIO SECUNDA. 60

uerit colere:nec alij prodest, aut obest alterius religio. Sed nec religionis est cogere religionem, quæ sponte suscipi debet, non ui: Quum ex hostia ab animo libentii expostulentur. Quæ Tertulliani uerba, tamquam aphorismum quendam hac in re veterum theologorum sententiae cæteris eorum testimonij Sect. prefigere placuit.

Augustinus, cuius ætate infidelium insectationes in Christianos penitus cessauerant, neq; solum priuati Magistratus, uerum etiam ipsi Imperatores Christo nomen dederant: Matt:13. explicans, inquit.

Quia quum ad seruos loqueretur, non ait. In tempore messis dicam uobis colligite primum Zizania, sed dicam, inquit, messoribus. Vnde intelligitur colligendorum Zizaniorum ad comburendum alia ministeria, nec quemquam Ecclesie filium debere arbitrari ad se hoc officium pertinere. Quum igitur esse quisq; spiritualis ceperit, cognoscit errores hereticorum, & omnino dijudicat, atq; discernit quicquid audierit, aut legerit abhorrire à regula ueritatis. Sed donec quis in eisdem spiritualibus perficiatur, & quodammodo mature sciat in fructum quem herba dedit, potest eum mouere: quare sub nomine Christiano tam multæ hereticorum extiterint falsitates. Inde etiam est quod serui dicunt, Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet Zizania? Deinde quum cognoverit hanc excogitasse fraudem Diabolum, quum contra tanti nominis auctoritatem nihil se ualere sentiret, ut fallacias suas cogens

## SECTIO SECUNDA.

nomine obtegeret: potest ei suboriri uoluntas, ut tales homines de rebus humanis auferat, si aliquam temporis habeat facultatem: Sed utrum facere debet iustitiam Dei consulit, utrum hoc ei præcipiat uel permittat, & hoc officium esse hominum uelit. Hinc est quod serui dicunt, uis imus, & colligimus ea. Quibus ueritas ipsa respondet, Non ita hominem constitutum esse in hoc Mundo, ut certus esse possit, qualis quisq; fuurus sit postea, cuius in præsenia cernit errorem, uel quid etiam error eius conserat ad profectum bonorum. Non esse tales auferendos de hac uita, ne, quum malos conatur interficere, bonos interficiat, quod forte futuri sunt: aut bonis obsit, quibus & iniij, forte utiles sunt. Sed tunc opportunè fieri, quia iam in fine non restat uel tempus commutandæ uite, uel proficiendi ad ueritatem ex occasione, atq; comparatione alieni erroris Tunc autem hoc, non ab hominibus, sed ab Angelis fieri. Hinc est, quod respondeat pater fam: Non:ne forte colligentes Zizania, eradicatus simul & triticum.

Cont: Ep: Contra Epist: fundam : idem August: ait. Quamq; fundam: enim Dominus per seruos suos regna subuertat erroris, ipsos tamen homines, in quantu homines sunt,  
cap:ii  
,, emendandos esse potius, quam perdendos iubet. Vbi  
,, animaduertere decet, Augustinum non latuisse uerbi  
,, ministros gladij carnalis potestatem non gerere, sed  
spiritualis solummodo: quo circa appetet, Magistratus, qui gladium gestant, non Ministros, qui eo non  
mutantur, his uerbis admonuisse.

Alibi

Alibi dixit August: Potens est ille, qui exaltauit Serm:  
 caput nostrum, eum infirma membra sanare, dum Ord:49.  
 tamen non nimis impietate precidantur, sed hereant  
 corpori donec sanentur. Quicquid enim adhuc hæ-  
 ret corpori non desperatae sanitatis est. Quod autem  
 præcissum fuerit, nec curari, nec sanari potest. Hoc  
 autem probere ipsa nouerat August: Et idcirco se  
 totum hereticis ad fidem conuertendis addixerat: atq;  
 id iuxta apostoli monita, cum omni lenitate, ac spiri-  
 tus mansuetudine, non sine lucro, ubereq; prouentu.  
 In se ipso enim expertus, sciebat quantum ualeret  
 Christiani ministri benigna tolerantia in errantes ad  
 fidem pertrahendos. Ambrosius enim Mediolancensis  
 anistes, uir fuit in administranda Ecclesia alioqui gra-  
 uis, & severus: id quod ex insigni illius eo facinere,  
 quo est ausus Imperatorē à Templi ingressione pro-  
 pulsare, facile deprehenditur. Attamen ingrediente  
 aliquando sanum Augustino, ut eum concionantem Erat tunc  
 audiret, tametsi eum Ambrosius Manichæorum hæ- Magistra-  
 resi infectum haud ignoraret, Magistrati tradendum tus Chri-  
 seu deferendum minimè curauit: sed neq; eum à tem- stianus: &  
 plo arcendum mandauit. Imò potius, occasione sum- quidē po-  
 pta, Manichæorum hæresis impugnandæ, ea modera- tentissi-  
 tione, placidisq; uerbis, sed interim firmis rationibus mus, ac  
 ualidisq; argumentis corum dogmata confutauit, ut p̄f̄simus.  
 tandem in rectam ueritatis uitam eum pertraxerit.  
 Neq; uero hic omittendum uidetur illustre huius rei  
 exemplum ætate hac nostra editum, ut author est Nu-  
 sculus.

## SECTIO SECUNDA.

Muscloct  
co:ca:de  
hæresi.

Clamabant pro suggestu Ministri aliquot, Anabaptistas gladio cædendos esse: Qum interea miseri illi in vinculis detinerentur: quos integrō quadriennio in squalore carceris detentos fastidiosissime negligebant. Cum quibus postea moderatores Ministri mansuetudine Spiritus, Christianisq; colloquijs ita egerunt, ut gratia Domini suffragante ad erroris reuocationem perducerentur. Et quibus unus, quum esset artium magister, & in sanctis scripturis haud infeliciter uersatus, in Ecclesiæ diaconum electus est: cui etiam muneri annos haud paucos præfuit: Et ad conuertendos anabaptistas diligentem operam nauavit. Hec Musculus Quod si Ecclesiæ illius Magistratus prioribus Ministris suadentibus hæreticos istos capite multo classet, eorum animæ quantum in ipsis ministris, & magistratu fuisset, illis opinionem suam retinuerit, eternam perniciem incurrisse: Ecclesia uero illa, ut crediur, tam probi pīq; uiri, optimi q; fratris iacturam fecisset, totq; animarum ubere lucro caruisset. Quemadmodum contrā de 17. illis anabaptistis accidisse ex fide dignis audiuiimus: qui (ubi locorum mihi memoria excidit) sed eodem ferè tempore, cuiusdam Ministri suasu præpostero zelo percitti, in flumen crudeliter proiecti miserè periēre: qui si earatione, qua priores illi, leniter placideq; habiti, patienterq; edocli, ac Jana doctrina conuicti fuissent erroribus, si quos habebant, cognitis resipiscere poterant: itaq; per eos qui huic rei præfuerunt non stetit, quia sempiternam mortem obierint. Notandum autem hic

hic et priores illos fuisse anabaptistas: ideoque (ut creditur) peccatosos haereticos: et propter ea (si aduersariis creditur) contra propriam conscientiam peccantes: et nihilominus teterimi isti haeretici ad tempus seruati, frugifera Ecclesiae membra evasisse credituntur, sese ex lolio in frumentum, ex ligneis ac fictilibus uasis in aurea, et argentea commutantes.

Si sanctus ille martyr Cyprianus in aduersariorum manus adhuc uiuens incideret, putasne ignem, aut restum evasurum? Evidem uix credam: Fuit enim quo dammodo (sitamen anabaptismus haeresis est) non haereticus tantum, sed haeresiarcha: quippe qui rebaptizandi morem primus in Ecclesiam inuexerit. Consilium enim Carthagine habitum 70. Episcoporum eo praesidente, et ad senatum referente, decreuit, eos, qui in haereticorum Ecclesijs baptizati fuissent ad catholicam se recipientes iterum baptismu intingi oportere. Quam opinionem omnes postea Ecclesiae reprobaverunt atque damnarunt. Neque tamen Cyprianus ipse, aut illorum Episcoporum quisquam anathemate percussus, aut haereseos damnatus fuit: quamuis nusquam legatur Cyprianum opinionem illam abnegasse. Putasne ob hoc aeternae damnationi mancipatum? Absit. Hieronymus quoque uir, tum eruditione, tum uite integritate praeditus: adeo fuit uirginitatis laudator, amator, ac uindex, ut ferre matrimonium odisse videatur: quocirca eodem deuenit, ut, quum penitus illud aboliire uideri nollet, secundas nuptias improbare, easque stupro ad eam quare non sit uerius: manifestus creditus error,

## SECTIO SECUNDA.

error, sanq; doctrinæ minimè consentaneus. Neq; uerò ob id ab Ecclesia uexatus, occisus, aut hæreses damnatus est. Nec iam ea ætate Christiani Magistratu carebant. Florebat etiam Romana Ecclesia: & iam tum aliqua fundamenta iacere uidebatur eius autoritatis, qua eam nostra ætate pollere cernimus.

Hanc in errantes, quam diximus, tolerantiam pro Musc: in bē nouit Volph: Musculus, quum ait. Dispensatio di-  
lohi, cap: 8. uineæ gratiæ, qua corda aperiuntur ad audiendam, &  
,, percipiendam ueritatem, est in manu Dei: qui suis  
,, temporibus uocat, & iustificat quos uult. Quod ideo  
,, moneo, ne temere quempiam iudicemus. Perpende  
igitur an temerè iudicetur hæreticus, cuius cōuersio,  
iudicium, & animaduersio ad Deum, non ad homi-  
nes pertinet.

Paterfam: (ut legere est apud Matt;) postremos  
Matt: 20. uineæ operarios expectauit ad ultimam dicti horam:  
qua eos non solum ad opus admisit, sed parem illis cū  
prioribus mercedem solui curauit. Hinc saniè doce-  
mur, Dominum aliquos in uitæ suæ aurora, altos in  
eius meridie, alios tandem sub uesteram ad ueritatis  
cognitionem uocare. Ita sœpe fit, ut qui primi uide-  
bantur, ulimi sint, nouissimi uerò primi.

Ad Don: Sed iam ad August: redeamus: qui ad Donat: Afri-  
Proc: Ep: ce Proconf: ait, illud quoq; prudentia tua cogitet,  
127. quòd causas Ecclesiasticas insinuare uobis nemo pre-  
ter Ecclesiasticos curat: Primum, si occidendos in his  
,, sceleribus homines putaueritis, deterrabitis nos, ne  
,, per operam nostram ad uestrum iudicium aliquid ta-  
le

le perueniat. Quo comperto, illi in nostram perniciem licentiore audacia gravabuntur : necessitate nobis impacta est indicta, ut potius occidi ab eis eligamus, quam eos occidendos uestris iudicij ingeramus. Mirum profecto Christianæ lenitatis exemplum. Interfici manult ab hereticis Augustinus, quam hereticos occidendos ad Magistratum deferre. Non sic igitur, qui uerbi ministrum accusatorem agere decere, quin et oportere opinantur:

At uero alioqui sanctus ille vir, acer adeo, ac uehemens hereticorum inseclator fuit doctrinæ in qua gladio ut hereticorum mallei nomen sortitus esse dicitur: quorum maior etate sua numerus fuit, quam ante, aut post ipsum fuerit unquam. Altamen quantum ab hominum religionis causa damnandorum morte abhorceret, preterquam quod hoc usque ex locis ctitatis perspicitur eadem Ep: ad eundem Africæ Proconf:clarè percipitur. At enim, Ex occasione terribilium iudicium, ac legum, ne in æterni iudicij poenas incident corrigi inimicos cupimus, non necari: nec disciplinam circa eos negligi uolumus, nec supplcij, quibus digni sunt exerceri. Sic ergo eorum peccata compescere, ut sint quos poeniteat peccasse? Quersumus igitur, ut quum Ecclesiæ causas audis, quamlibet nefarijs iniurijs appetitam, uel afflictam esse cognoueris, potestatem occidendi te habere obliuiscaris et petitionem nostram non obliuiscaris. Non tibi uile sit neque contemptibile, fili honorabiliter dilectisse: quod uos rogamus ne occidantur, pro quibus Domum

Ad Eve  
dem.

"

"

"

num

## SECTIO SECUNDA.

Id:ibid:

num rogamus ut corrigantur. Eadē quoq; Ep: inquit,  
Deniq; unum solum est, quod in tua iustitia pertimes-  
timus: nē forte, quoniam quicquid mali contra Chri-  
stianam societatem ab hominibus impijs ingratissq;  
committitur, profecto grauius est, & atrocius, quam  
si in alios talia committantur, tu quoq; pro immor-  
tate facinorum, ac non potius pro lenitatis Christianæ  
consideratione censcas coercendum. Quod te per  
Iesum Christum ne facias obsecramus.

Ep: 158.

Ad eundem iterum scribit, Poena sanè illorum,  
quamvis de tantis sceleribus confessorum, rogo te ut  
præter supplicium mortis sit: & propter conscientiā  
nostram, & propter Catholicam mansuetudinem  
commendandam. Et alibi, Impie Christiane iudex pīj  
patris officium. Sic succense iniquitati, ut consulere  
humanitati memineris. Nec in peccatorum atrocita-  
tibus exerceas ulciscendi libidinem: Sed peccatorum  
vulneribus curandi adhibeas uoluntatem.

Ad Dul:

Ep: 61.

Ad Dulcitium scribit, cum contra Donatistas nul-  
lis legibus ius gladij accepisse, neq; imperialibus con-  
stitutionibus, quarum executioni præcerat, ut necentur  
præceptum esse.

Contr:  
Cresc:  
Gramm:  
li: 3. cap: 50.

Alibi dicit, Nullis tamen bonis in Catholica hoe  
placet, si usq; ad mortem in quenquam, licet hæreti-  
cum, sœuiatur. Viderint igitur ut boni appellari pos-  
sint, qui uerbi Dei ministerio præpositii, non modo  
pro suggestu clamant, muneris sui esse hæreticos Ma-  
gistratus ad necem tradere, uerū Papistorum  
inquisitorum more simplicium Christianorum men-  
tes

les explorare, & callide pertinere, ut si falsa doctrina pollutos deprehendant, Magistratui denuncient, ad hoc ex officio teneri afferentes. Ex postremis his autem Augustini uerbis manifeste percipitur, ad aetatem usq; suam Ecclesiae morem non fuisse haereticos necandos curare. Sed potius pios & Catholicos omnes hanc saeuitiam horruisse. A libi dixit, Diligite homines, interficite errores: sine saeuitia pro ueritate certate, & dhaerent (queso) duo haec metalla lapidi Lydio, eiusq; attritu examinentur, utrum eorum potius sit, melioriq; fodina effossum. Lapis autem sit pia, innocens, placidaq; uita humillimi illius agnus Christi Iesu: ad cuius imitationem non discipulus tantum, sed magister quoq; tam Dominus, quam seruus: Rex non minus, quam subditus, pari obligationis nexu tenentur. At enim Hieron: Qui dicit se credere in Christum, debet ut Christus ambulare. Ipse non uenit ut uerberaret, sed ut uerbera exciperet: alapam non dedit, sed accepit: neminem cruci affixit, sed ipse crucifixus fuit: non occidit, sed fuit occisus. Qui occiditur Christum imitatur, qui uero occidit Antichristum. Hec ille. Vnusquisq; igitur conscientiam suam probè exutiat: compertumq; habeat, qui alios persequuntur carnis filios, qui uero inseftationē patiuntur spiritu natos esse. Henr: Bulling: Actor: uerba Bull: in explicans, At Iudei, quibus persuasum non erat, per Act: Apo: emulationem assumptis circumforaneis quibusdam 17. hominibus nequam, &c. ait, Ceterum in Catalogo persequitorum primas tenent hypocrite, proximas

Hieron:  
Christum  
esse imitan-  
dum.

## SECTIO SECUNDA.

circumforanei homines. Iudæi autem erant illi hypocrite : nam zelo non bono movebantur ad tumulum.

Huius generis sunt ambitiosi papistici hypocrite : qui spiritualem ignem, quem non habent, in hominum cordibus accendere non valentes, quos hereticos censent, carnalibus flammis comburunt. Hoc autem exemplum ab Evangelicis imitari nefas esse dicimus. Eos enim potius decet ex verbi Dei firmissima silice ignem elicere, quo frigida hereticorum peccora inflammat, ibique a malo sata Zizania comburant.

Cæterum hic iterum digredi, & Augustinum sequonere urget necessitas ; ut ad correspondam, quæ nobis aduersarij obiciunt, quum persequitionem detestantes, dicimus, ueram Ecclesiam neminem insectari, uerum potius infectionem pati. A iunt igitur, nos omnium ignaros distinguere nescire. Duo enim esse infectionis genera. Vnum inquam, quo mali bonos persequuntur, ut eos afflent, ac tandem pessundent : alterum uero, quo boni malos diuexant, & exagitant, ut iustis, meritisque penitentias afficiant : siue, ut aliquando emergant, ad bonamque frugem reuertantur.

Ad bonam autem infectionis speciem statuenda  
**Psal:18.39.** exemplum afferunt Davidis Regis, dicentis, Ergo meos persequens hostes, assequor : nec nisi confectis illis reuertor : & eos ita trucidio, ut surgere nequeant, mihi sub pedes collapsi. Mosis item, qui Domini populum, si quando erraret, grauioribus plagiis afflictabat.

Gre.

Græcorum quoq; qui Pauli causa (dicunt) Sosthenē uerberarunt. Paulūn ipsum deniq; qui quosdam persequutus est, eos Satanæ tradens, ut discerent nō blasphemare.

Ad prauum deinde insectationis genus statuendū, exemplum proferunt Pharaonis, Dei populum duris laboribus macerantis: tum Iudæorum, qui Paulum uerberibus cœciderunt. Sed enim iocundum est considerare, eos, cuius erroris nos arguunt, in eum incidere: nescientes uexationem, qua Rex, siue Magistratus improbos homines ciuili gladio insectantur, ut pro flagitijs dignas eis pœnas infligant, ab ea distinguere, qua Ecclesia ob falsoam doctrinam, malosue mores homines persequitur, non ut eos perdat, sed, ut in uitam unde aberrauerant reducat, Christoq; lucretur. Non nihil enim differt quod Dauidem, ac Mosen decuit, quippe ciuiles potestates, ac Magistratus, ab eo, quod Paulum, ut Ecclesiæ ministrum in religionis negocio. Per magni quoq; interest inter ferreum Magistratus gladium, & uerbi ministri spiritualia tela.

Plurimum deniq; distat quod Dauidem, Mosenq; decuit in ueteri lege, ab eo, quod in noua Euangeliū Dei Ministrum. In ueteri non permisum tantum, uerū etiam præceptum quandoq; erat Regibus, copiarumq; ductoribus, ad internacionem hostes trucidare. Adeo ut à Deo grauiter multarentur, si quem seruassent. In noua perpetuò iubemur hostes diligere, nosq; odio habentibus benè facere, persequentiibus fausta precari. Præterea longè diuersum Regis ac

## SECTIO SECUNDA.

Magistratus institutum est in hostibus insectandis, ac flagitiosis iusto supplicio plectendis, ab Ecclesiae ratione in Pseudoprophetis coercendis, maleq; moratis fratribus uexandis, & in ordinem cogendis. Etenim Rex hostes suos persequitur, ut Regnum uitamq; suam ab eorum iniurijs tutetur, Magistratus facinorosos, ut in eos animaduertat, bonosq; ab eorum iniurijs vindicet: Contrà Ecclesia male moratos, falsamq; doctrinam sectantes exagitat, atq; diuexat, non eò tantu, ut eos à bonis ad tempus segreget, ne illos inficiant, uerum etiam, ut perniciem affecti, ac uerecundiae rubore suffusi resipiscant aliquando, & ad cætera Christi membra, à quibus abscessi fuerant applicentur. Id quod Paulus aperte declarat, quum incestuose Corinthium Satanæ tradit ad corporis perniciem, ut spiritus seruetur ad diem Domini Iesu: non autem, ut cum corporali morte è medio tollat, & animam semperne addicat damnationi. Tradere enim Satanæ ad corporis perniciem, corporis mortem minimè significat, ut quidam sunt interpretati: sed sensus est, ut pars in eo corrupta, carnali cupidini obnoxia, cuius impulsu indignum illud facinus admisit (ut in plerisq; omnibus contingere solet) cohibeatur, ac retundatur, spiritus autem resurgat, eiq; imperet. Ut scilicet donorum Dei participatione se priuari cernentes, dolore affecti, in eis quodammodo moriatur caro, spiritus autem uiuat. Id quod probè annotauit hunc locum explicans glossographus Bibliorum, que Hebreo sermone Genue sunt edita. Sed hoc suo loco latius

ex.

2. Cor. 5. 5.

explicabitur. Per pulchritudinem uoti sui compositus fuit Apostolus in Corinthio Satanae tradito, ob id ad frugem reuerso, ut ex secunda ad Corinthios cernere licet. Consimili ratione quam Hymeneum, et Alexandrum Satanae traderet, non dixit id facere se, ut eorum corpora & animas damnaret, uerum, ut disserent, non blasphemare, itaque salui essent. Quod autem tale esset 2. Cor: 10.8. Apostolus institutum, ex eo colligitur, quod bis legi 13.19. mus Corinthiis scripsisse, quam potestatem a Deo accepit, ad eorum edificationem non destructionem, accepisse. Sed ut ad aduersariorum argumenta revertamur ut, ut, illis demus hanc duorum insectationis generum distinctionem, iuste uidelicet, et iniuste, qua ratione Davidico illo, ac etiam Mosaiico exemplo hereticos insectari, extremoque supplicio afficcurare fas erit Ecclesiae Ministris? David enim Regi (ut diximus) non permisum tantum, sed praeceptum fuerat hostes necare. Moysi lege statutum facinorosos punire, utique autem ferreo gladio id munera perage re: Ecclesiae uero Christi Ministris, ut hereticos tollerent, praecepitur: quod si coercendi fuerint, uerbi gladio coerceant, ad hoc enim telo isto armati sunt a Deo. Qui potest (obsecro) ex Regi, ciuiliumque potestatu gestis ueteris foederis exemplu recte peti, uerbi Ministris noui congruenter imitandum? Longe enim diuersa est utrorumque functio, quum igitur nostri insectationem coarguant, ac detestantur, non eam intelligent, quare rex David, non solum Deo uolente, sed etiam iubente, hostes suos insectabatur: neque eam: qua-

## SECTIO SECUNDA.

Moses Dei populum in officio continere satagebat,  
eorumq; scelerata ex lege uindicabat; & consequen-  
ter, nec eam intelligent, qua Christianorum Reges, ut  
Dauid, hostes suos bello persequuntur, quam quidem  
Deo iudicandam relinquimus: non eam deniq; quam  
Christianorum Magistratus iure ciuilium legum sce-  
leratos homines puniunt. Sed eam tandem qua Euani-  
geliij Ministri non solum haereticos, uerum etiam fal-  
se doctrinae nomine ipsis uel tantillum suspectos di-  
uexant, insectantur. Magistratibus denuntiant, mul-  
tiandos deum, & consulunt, & curant. Ex ueteri  
lege (ut breuiter paulo ante attigimus) licebat hostes  
& impios homines, non tantum odiisse, & persequi,  
uerum etiam execrari, infausta ipsis optare, Dei iram  
in eos imprecari. Ex quo Dauid. O si euertas, inquit,  
impios Deus. Id ibide. Nempe tuos osores odi loua,  
tibi contrarijs infensus. Et quidem odio capiuali odi  
eos, hostium numero habens.

Psalmi. q. 19  
21. 22.

Alibi quoq; hostibus suis infausta imprecans, ait.  
Eorum caput, qui me circumueniunt, obruat facinus,  
quod ipsorum labia mollicetur: Opprimantur carbo-  
nibus in ignem deturbati, in specus unde non emer-  
gant. Homo linguax ne consistat in terris. Inhumanus  
homo malo agatur in ruinam.

At contra in nouo dulcedinis, ac pietatis pleno  
födere, iubemur hostes, & impios homines diligere,  
eis bene cupere, omnia fausta precari, ubi tandem  
possimus, benefacere, ac pro eis si opus fuerit uitam  
effundere. Quapropter Christus quoq; nobis, hæc  
pre-

præcipiens, ut sui exemplo nos edoceret, sibi maledicentibus non maledicebat: quin & pro eis, qui eum cruci affigebant, precatus est patrem, deniq; pro impijs mortuus est.

Ex quo uetus Christiana Ecclesia consuetudinem introduxit, pro hæreticis & schismaticis orandi, que adhuc hodie seruatur apud Papistas, in ea Veneris die, que sancta ab illis nuncupatur: etenim uerbis pro eis precantur, re autem eos interficiunt.

Verum quid hoc mirum, cum apud nos sint pietatem profitentes, qui excidium, & interitum editis libris hæreticis imprecantur, ac Regibus fortitudinem, & constantiam, ad eos excidendos exoptent. Quum etiā (ut non ipse audiui, sed ex aliorum relatu resciui) Ecclesia sit, que non tantum hæreticorum mortem, pro concionibus, Dei populo suadeat, uerum inter publicas quoq; precatio[n]es (o nostrum indelebile dedecus) imprecaciones grauissimas in illos aliquando admiscuerit? Non ne (si hoc uerum est) rabie & sauitia Papistis ipsis uel maxime præstamus? Christiani homines pro inimicis uitam effundere debent, ad nos precibus turpiter abutentes, non solum eorum excidium, & interitum exoptamus, sed (quantum in nobis est) etiam molimus.

Extat exhortatio quædam ad Regis Galliæ consiliarios, qua ostenditur, quo pacto obuiam iri posset seditionibus, que ibi religionis causa sœuiebant: opus (ut ex ipso facile perspicitur) hominis, non minus rerum iusu prædicti, quam doctrina, & pietate. In qua

## SECTIO SECUNDA.

**Author ex hortatio-**nis ad Regis Gall: Consil.  
hæc uerba leguntur, fuit olim Priscillianus quidam, auihor hæretis cuiusdam, quæ postea ab ipso nomen sortita est. Is, sublimis, & reuerenda illius Trinitatis personas confundebat: carnem, ceu immundam abhorrebat: diuertia in Episcopatu suo ex solo alterutrius coniugum consensu fieri permittebat: & huius generis errores multos fouebat, quibus magnam hominum multitudinem deceperat. Hic primum in quodam Romano Concilio improbatus est: deinde in quodam Burdegalensi conuentu à diuo Martino, alijsq; compluribus magnis uiris hæreticus pronunciatus. Eum Itacus, & Ursatus Episcopi religionis studio (ut sibi uidebantur) moti, apud Maximum, qui tunc Imperator erat, accusarunt: qua accusatione effectum est, ut de illo sumptum fuerit supplicium, & tria, aut quatuor ciuiis gregalium millia capitis damnati fuerint. Deinde Sigibertus ordinis diuii Benedicti religiosus, author fuit, ut magnus D. Martinus, eiusq; fratrum complures, qui uniuersam illam sectam hæreticam pronuntiarant, tamen Itacum, eiusq; gregales omnes ex Ecclesia excōmunicarent: Ita, ut quemadmodum Priscilliani sectatores Priscillianistæ uocabantur, ita ex ab Itaco deinceps Itaciani, ut hæretici, dicti fuere, qui secundum Itaci opinionem errantes in religione capite plegendos censerent. Sed quid subsequutum est? Fecit illius excommunicationis metus, ut tunc nece omnium condemnatorum, qui in carcere detinebantur, supercederetur.

**Pseudoim-**perator, &  
**tyrannus**  
hic fuit, nō  
legitimus  
Imperator.  
Pseudoimperator, & tyrannus, qui uniuersam illam sectam hæreticam pronuntiarant, tamen Itacum, eiusq; gregales omnes ex Ecclesia excōmunicarent: Ita, ut quemadmodum Priscilliani sectatores Priscillianistæ uocabantur, ita ex ab Itaco deinceps Itaciani, ut hæretici, dicti fuere, qui secundum Itaci opinionem errantes in religione capite plegendos censerent. Sed quid subsequutum est? Fecit illius excommunicationis metus, ut tunc nece omnium condemnatorum, qui in carcere detinebantur, supercederetur.

Imperator Itaco, Ursatoq; fauens, D. Martinum  
sæpe

sepe solicitat, eiq; nominatum imperat, ut cum illis  
communicet. At D. Martinus recusat: nec unquam ab  
eo communionem illam impetrare potuit Imperator,  
quin prius miserum illum populum dimisisset, eiq;  
ignouisset: quem sanctus ille vir aliquando ad frugem  
rediturum sperabat. Et saneres erat omnibus maiori-  
bus nostris inaudita, de fratre aliquo suo supplicium  
sumere, etiam si in aliquibus religionis nostræ capiti-  
bus erraret. Primus in hoc genere de via declinavit,  
et horum incendiorum inuentor fuit Dominicus, au-  
thor unius ex quatuor mendicantium ordinibus: in  
eius rei monumentum fidei inquisitio semper dein-  
cepse eius ministris reseruata est. Et certe non sine gra-  
ui causa proditum est in eius legenda, matrem eius  
iam iam cum enixuram, somniasset ingentem canem se-  
parere, qui ardente torrem ore gestaret. Erat enim  
torris ille rogi, quibus rogi postea ad nostram usq;  
etatem in cineres redacta est infinita hominum mul-  
titudo: quam bene nouit Deus. Hec author ille. At  
quod atmet ad antiquæ Ecclesiæ consuetudinem in  
hæreticis, ut inquit, non occidendi, Socrates quoq;  
Ecclesiasticus historicus, qui Chrysostomi temporibus  
uixisse creditur, ait, non esse consuetudinem ortho-  
doxæ Ecclesiæ, ut quenquam persequatur. Minus er-  
go, ut quenquam interficiat, aut interficiendum uel  
suadeat uel curet.

Hoc autem illud est, quod dicimus, Ecclesiam ne-  
minem persequi: quim potius insectationem perpeti:  
eam intelligentes, que ferreо gladio, alijsq; munda-

Socr:li:7.  
cap:3.

## SECTIO SECUNDA.

Serm: de  
omnibus  
san:

nis rationibus, errectur : quibus iam inde ab initio  
Dei Ecclesia uexata fuit, nec unquam alios uexasse,  
aut uexari curasse l. gitur. Id quod Augustin: per bellè  
ostendit, quem ait Ecclesiam sub cruce semper uigilis-  
se, non resistendo, sed perseverando. Ea igitur ratione,  
qua supra aliud exemplum, siue figuram (ut vocant)  
quam nobis proponunt, ex August: petitam libenti  
animo accipimus. Ait enim August: hac foemina (Sara  
uidelicet) ancillam persequente, significari nobis li-  
beram matrem nostram cœlestem Hierosolymam, ue-  
ram scilicet Ecclesiam.

Ep: 50.

Probamus igitur eo, quo Sara ancillam persequen-  
ta est modo, Ecclesiam nostram defectors suos inse-  
clar. Quid uero Sara in famulam? Num eam occidit?  
Num uerberavit? minime. Sed nihil in eam grauius  
statuisse legimus, quam ipsam ut sibi aduersariam ej-  
cere, seu à uiro ejiciendam curare. Hoc autem exem-  
plu sancta hæc nostra Hierusalem quid grauius in ho-  
stes suos moliri potest, quam eos domo expellere? Hoc  
est, à communi sanctorum cœtu segregare, eo pacto,  
quo male ualentes oves à sano grege separantur, ne  
Morbida facta pecus totum corrumpat ouile. Neq;  
uero eodem exemplo aliquid durius à Magistratu  
quoq; in hereticos statuendum uidetur. Quod autem  
attinet ad exemplum Græcorum, qui Pauli (ut aiunt)  
gratia Softhenem uerberarunt, quod quidem exem-  
plu ad bonam insectationis speciem constituendam  
itidem afferunt : primum equidem ex eis quæro, an  
Græcorum studium bonum fuerit, nec ne : et pro-  
bandum

bandum ne sit facinus; quod ex zelo, ne dicam furore  
impulsi perpetrarunt. Haud enim video ex qua Eu-  
gelij parte colligi posset, Christianos homines decere,  
aut quenquam cædere, aut propriæ manu de fontibus  
supplicium sumere. Quòd si factum non probatur, in  
exemplum iustæ perseguitionis perperam adducitur.  
Sed ut tandem aliquando concludamus, iustum uexa-  
tionem, qua Paulus Ecclesiæ hostes persecutus est,  
libenter admittimus, neq; eam insectationis, sed iustæ  
discipline nomine nuncupamus. Alteram uero per  
Magistratum his exemplis faciendam improbamus,  
atq; ut impiam penitus reijcimus, quæ Pauline illi mi-  
num consentit, ac ratione à sua prorsus diuersa pera-  
gitur.

Nunc uero ut in uiam recurrat oratio, Augustini  
locorum seriem repetamus. Alibi enim ad Apriliū  
scribens dicit, De uobis quidem dixisse Apost: legi- Ad Apriliū  
mus, quòd non sine causa gladium gestatis, & Mini- Ep:160.  
stri Dei sitis, uindices in eos, qui male agunt. Sed alia  
est causa prouincie, alia est Ecclesiæ. Illius terribili-  
ter gerenda est administratio: huius clementer com-  
mendanda est mansuetudo. Si apud iudicem non Chri-  
stianum mihi sermo esset, aliter agerem, nec tamen  
etiam sic Ecclesiæ causam desererem. Et quantum ad-  
mittere dignaretur, instarem ne passiones seruorum  
Dei, quæ prodesse debent ad exempla patientiæ, ini-  
micorum suorum sanguine fœdarentur. Et si nollet  
acquiescere, inimico animo eum resistere suspicarer.  
Nunc uere, quando apud te res agitur, mihi alia ratio  
est

## SECTIO SECUNDA.

„ est, alia consultatio. Rectorem quidem te præcelse  
„ potestatis uidemus, sed etiam filium Christianæ pietat-  
„ tatis agnoscimus. Subdatur sublimitas tua, subdatur  
„ fides tua. Poterat ne clarius bonus iste uir mentem suā  
aperire, ac dilucidius distinguere quam distet Magis-  
tratus ratio in rebus ciuilibus administrandis, ab ea,  
qua ad religionem pertinentia sunt tractanda? Roga-  
mus autem lectorem ut totam illam epistolam, quæ nō  
adeo longa est, legere uelit. Ibi enim manifestè uidebit  
Augustinum pessimis etiam, & sceleratissimis hære-  
ticis uitā condonari debere à Christiano magistratu,  
& monere, & contestari, quin etiam ne eorum mem-  
bra multilentur apertissimè dissuadere.

Quæst: Eu: Matt: Euang: explicans, Nec tamen consequens est,  
SEC: Mat: inquit, ut omnis hæreticus, uel schismaticus corpora-  
cap: 13. q. 11. liter ab Ecclesia separetur. Multos enim tales portat  
Ecclesia, quia non ita defendunt falsitatem sententiae  
„ suæ, ut intentam multitudinem faciant. Quod si fece-  
„ rint, tunc pellantur. Agit (ut uides) de hæreticis sedi-  
tiosis: ijs inquam, qui concionibus, disputationibus, fal-  
sæq; doctrinæ defensionibus animos populi ad se per-  
trahunt. Attamen non comburendos, sed pellendos  
censet.

Notandum uero est Augustini tempore habuisse  
Christianos Magistratum: neque credendum est piu-  
hunc æq; atq; doctum uirum ignorasse, an Paulo au-  
thore sancto hoc instrumento uti deceret ad hæreti-  
cos morte mulctandos: Quin (ut puto) legem Mosa-  
icam legerat de occidendis pseudoprophetis, & in-

Deum

## SECTIO SECUNDA.

70

Deum contumeliosis: quam (quod sciam) nunquam interpretatus est de hæreticis occidendis: sicut nec ullus antiquorum hac ratione , ac sensu legem illam exposuit: recentiorum uero ex ijs qui scripserunt, pauci. Quod autem attinet ad ea Augustini uerba, MVL TOS TALES portat Ecclesia, &c. notwithstanding est, quæm bene hodie hoc seruetur ab ijs, qui non solùm manifestos hæreticos , sed eos etiam qui opinionem suam retinendo neminem docent, omnes deniq; sibi uel minimum suspectos uexant, ad confessiones adigunt, mirisq; modis exagitant, ac tandem à Magistratibus expellendos curant.

Scribens contra Ep: Fund: ait, sœuire omnino in uos non possum, quos sicut me ipsum illo tempore, Cont: Ep: ita nunc debeo sustinere, & tanta patientia uobis cum fun: agere, quanta mecum egerunt proximi mei, quum in " uestro dogmate rabiosus, & cæcus errarem. Sed ut " tandem Augustini testimonijs modum ac finem impo- nam, extrema hæc amantisima eius uerba ex eadem Epist decepta, ut terminum ac metam subijciamus. Illi in uos sœuiant (inquit) qui nesciunt cum quo labore uerum inueniatur, & quæm difficile cauean- tur errores. Illi in uos sœuiant, qui nesciunt, quæm ra- rum, & arduum sit carnalia phantasmata pie mentis serenitate superare. Illi in uos sœuiant, qui nesciunt, quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possit intueri solem suum: non istum quem uos co- litis cœlesti corpore, oculis carneis, & hominum, & pecorum, fulgentem, atq; radiantem, sed illum de quo scri-

## SECTIO SECUNDA.

scriptum est, per proph: ortus est mihi sol iustitiae: & de quo dictum est in Euangeliō, Erat lumen uerum, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc Mundum. Illi in uos sœulant, qui nesciunt quibus suspirijs, & gemitibus fiat, ut ex quantulacung; parte possit intelligi Deus. Postremo, illi in uos sœulant, qui nullo tali errore decepti sunt, quali uos deceptos uident.

Sunt etiam in Augustini scriptis eiusdem argumenti plurimi loci: quos, ne nimis crescat oratio, consultò missos facimus.

At uero aduersarij, ut August: testimoniorum auctoritatem infringant, afferunt, haud ignorare se, illiū sēpē numero pro Donatistis, & Circumcellionibus hereticis intercessisse, ne morte multarentur. Verum id agendi minime iustam causam habuisse: Nam ipse met fatetur, nihil non suppliciorum meritos esse. Fuerant enim seditionis, sicarij, & Christianorum homicidæ. Quapropter preposteram concludunt fuisse August: mansuetudinem. Quam autem afferebat intercessionis causam, ne uidelicet, quasi per martyrij similitudinem uerum sanctorum Martyrium feedaretur, nullius esse momenti. Hac enim de causa neminem unquam (inquit) licet morte dignissimum occidi oporteret, ne eius sanguine martyrum gloria, qui iniustam pro Christo mortem sunt perpetrati, detraheretur. Ad primum respondeo tot esse probi huius uiri locos, qui generaliter hereticorum mortem improbant, ut etiamsi illius specialia illa dicta, que ab aduer-

Ut tales mortem merebantur, non ut hæretici.

aduersariis ut inania rei sciuntur minime ad rem face-  
rent satis superq; testimoniorū habeamus ad eius sen-  
tentiam nostrā similem de hoc articulo probandam.  
At enim ex locis iisdem ab aduersariis reieclis multò  
clarius ostenditur animi eius affectus, ut Erasmus an-  
notauit dicens: An Augustinus, qui sicariis Donatistis  
uult parci, qui putat Dei gloriam inimicorum sangu-  
ne de honestari, sensisset simplicem hereticum, quā-  
uis pertinacem flammis exuri? Quod autem attinet  
ad intercessionis quam afferebat causam, eodem  
spectat: ad eius scilicet animi seruorem hac in re etiā  
clarius patefaciendum. Præterquam quod, haud uerū  
esse constat, eadem de causa facinoris omnibus par-  
ci oportere Nam facinorosorum sanguine iuste ipsis  
quoq; facinoris approbanibus effuso non fœdatur  
martyrum iniustè effusus, nec quicquam ex eorum  
gloria detrahitur. Illi enim non propter fidem, aut  
religionis causa, sed ob admissa manifestaria scelera  
necantur. At uero Donatistæ heretici, si occisi fuissent,  
mortem forti animo forsan tolerantes facile po-  
terant spectantibus offendiculi causam præbere; non-  
nullis enim martyres uideri poterant, atq; ita mortis  
similitudine sanguine suo martyrum sanguinem quo-  
dammodo fœdassent. Et hanc apparet August: fuisse  
sententiam. Nisi dicas satis uisum fuisse Augustino so-  
 datum iri seruorum Dei passiones, si, à quibus eas su-  
stinebat, eosdem ipsi persequuti fuissent, & quemad-  
modum ipsi ab inimicis uexabantur, & neci trade-  
bantur, ita etiam inimicos suos ipsi uicissim insecati  
fuissent,

Eras: in Su  
per et.  
Bede.

## SECTIO SECUNDA.

fuisser, & occidendos curassent, id quod aperte uidentur innuere ea uerba. Quæ prodeſſe debent ad exempla patientiæ.

Quæ consideratio nullum penitus locum habere potest, quum ciuilis magistratus citra omnem priuatæ ultionis ſuſpicionem in fontes animaduertit. Adde quod, non una tantum cauſa ab eo adducitur interceſſionis ſue: quando quidem præter hanc, quam aduersarij unicam notarunt, plurimas afferit, cur hæreticos necandoſ non eſſe ceneſeat: Primum, ut illis detur reſipiſcendi ſpacium. Nam potis eſt Dominus infirma membra ſanare, modo ne nimia impietate præcidantur. Deinde propter conſcientiam, & propter Catholicam mansuetudinem commendandam. Christianum ſiquidem Magistratum à ſeuitia abhorre, & abſtinere decet. Tum etiam quia ſi ſpirituales fuimus, potius cogitare debemus quomodo poſſimus hominem ſeruare, quam quomodo poſſimus occidere: eriores enim non homines ſunt interficiendi. Præterea quia diuerſa eſt Ecclesiæ cauſa, à cauſa prouinciæ: quum hæc terribiliter, illa uero clementer ſit admiſtranda. Poſtremo quia nullis bonis in Ecclesia placet, ſi uſq; ad mortem in quenquam, licet hæreticum, ſeuiatur. Vides igitur non eſſe unicam, & illam quidem (ut afferunt) nullius momenti cauſam Augustinianæ interceſſionis. Verum ſint hæc parerga: nos ſatis habemus ex Auguſtini dictis eius opinionem pallam feciſſe. Quam tamen aduersarij, ut nobis ē manibus extorqueant, afferunt, illum, quum primò ſenſiſet

## SECTIO SECUNDA. 72

set homines ad fidem cogi non debere, sed uim omnem  
uerbo inferri oportere, p[ro]p[ter]is disputationibus certari,  
rationibus, & argumentis deniq[ue] ex utroq[ue] f[ac]tione  
desumptis repugnantes superari, ne ui[er]e ac timore coa-  
ctos, factos Catholicos haberemus, quos prius ueros  
haereticos cognouimus: tandem mutasse senten- Hypocri-  
tiam: uictum non uerbi Dei authoritate, sed exemplo: sim à vio-  
siquidem Hippo ciuitas sua, legum imperialium timo lentia oriri  
re ad Catholicam unitatem fuerat conuersa. Putabat inf: affir-  
enim fortasse, ut ait Basilius Monfortius, bonus iste Pa- m[od]u[m] Cal-  
ter uerè Christianos esse, quicunq[ue] Christum ore pro- ui:& Luth:  
fitebantur: nec intelligebat in id malum se incidisse,  
quod prius metuerat: ne factos scilicet Catholicos ha-  
beret. Quid enim laboris est Catholicum esse simu-  
lare? Nam si Turcarum Rex (ut ait idem Monfor:) imperaret, uniuersa Turcia Euangelium statim ad-  
mitteret. At propterea essent ne omnes corde Euan-  
gelici, qui Euangelium ore profiterentur? Populus  
hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à  
me.

Viderat August: factam suorum ciuium professio-  
nem: quæ tam diu durauit, quam diu violentia, & poe-  
na metus. Sed non considerabat quam malus custos sit  
diuturnitatis metus. Videmus ipsummet August: eiusq[ue]  
Ecclesiam, imò uniuersam Africam non multò p[ro]st  
eam saevitiam subire coactam fuisse, quam in suis erg[ae]  
alios approbatione, uel dissimulatione confirmaue-  
rat. Quum enim Vandali Arriana fide per Gothoru[m]  
Episcopos imbuti, eam Africæ partem, in qua August:

L

## SECTIO SECUNDA.

agebat uiolenta manu sibi subieccissent, coegerunt Catholicos Episcopos, aut in eam religionis formam iurare, quæ illis usitata erat, aut Ecclesiæ relinquere. Imò multa dira, & infanda in Catholicos perpetrarunt: dum suo odio morem gerentes Religionis pretextu in illos sæuirent. Eadem autem nocte, qua Hippo à Vandals obsidebatur mortuus est August: ut habet Victoris Historia. Simile quiddam (pergit Monf.) testatur Socr: in Hist:trip: Nimirum eodem tempore, quo Innoc: I. Romæ cepit Nouatianos, aliasq; improbas sectas persequi, eorumq; Ecclesiæ dissipare, & diruere, Gothos Italianam inuasisse, Romanam expugnasse, omniaq; uastasse.

Socr:lib:7.  
c.9,&10.

Tanta autem erat in Rom: Episcopis, dissentientes profligandi cupido, ut Vigilius, qui tertius erat ab Agapeto, quo autore Cōstantinopoli in hæreticos primū atrox persecutio instituta est, se à Iustiniano Imp: alioqui plurimum ab Episcopis laudato, uinciri, & parum humaniter tractari permiserit, eò quòd in restitutionem quorundam profligatorum hæreticorum consentire nollet. Sed quem fructum acris illa inseclatio, & seuitia Ecclesiæ genuerit, rei euentus docuit, præsertim in Arianis: qui Catholicorum impulsu ab Imperatoribus talia perpeſsi, deinde subsequentem suæ partis Imperatorem nacti, eadem iterum intulerunt Catholicis. Ut hoc loco non commemorē quod Mahometes hunc morem à Catholicis non ita pridem usurpari ceptum, statim in nostros exercuit: adeò ut illud malum à nostris primò inductum in nostrorum

## SECTIO SECUNDA.

73

strorum capita redundarit, atq; eos oppresserit, ut  
Perillo euenit de tayro suo: Et quanta Ecclesiæ antea  
florentissimæ clade, confusione, deformatione, deua-  
statione, quo millium hominum cæde, res ipsa adhuc  
hodie loquitur.

En tibi fructus coactæ Religionis. Atqui Deus uo-  
luntarios sibi expetit populos: id quod aperte signifi-  
catur per honoraria, que Mōs præcepit ut acciperet  
ab ultrò conferentibus, non coactis, ad sibi sanctua-  
rium construendum, quo inter eos habitaret. Deniq;  
si ad fidem cogi homines possent, Christus ipse coëgis-  
set, & cogendos docuisse. Quoties uolui congrega-  
re pullos tuos, inquit, & nolui? Inuitam Hierosoly-  
mam seruare non potuit Christus: nos igitur Christum  
superabimus?

Expende igitur quicunq; legis Augustini plurima  
loca, que supra citauimus, eisq; adde, que proximè,  
ex Monf; potissimum illis attexuimus: recteq; diaudi-  
ca, utra duarum opinionum potiore, firmioreq; fun-  
damento nixa fuerit: prior scilicet, quam uerbo Dei,  
totq; rationibus fultam habuit, an posterior, quo solo  
fidei, manisq; Hipponeñsis pop; conuersionis exem-  
pto persuasus cum priore commutauit.

Hanc in animos violentiam meritò deplorat  
Erasm: inquietus, Tandem res deducta est ad Sophi-  
sticas contentiones, Articulorum myriades prorupe-  
runt. Quumq; uita nos destituat: quum fides sit in ore,  
magis quam in animo: quum solida illa sacrarum lit-  
terarum cognitio nos deficiat: tamen terroribus huic  
“ Eris: Ep:  
Sup: Op:  
Hilar: “

## SECTIO SECUND A.

adigimus homines ut credant quod non credunt, ut  
amant quod non amant, & intelligant quod non in-  
telligunt. Non potest esse syncerum quod coactum  
est, nec Christo gratum est nisi quod uoluntarium.

At uero (inquit aduersarij) tameti non raro  
cōtingit pœnæ timore simulatores nonnullos, fictosq;  
Christianos fieri: attamen aliqui magnopere inde pro-  
ficiunt: quorum salutem pluris fieri decet, quam cæ-  
teris simulandi occasionem non præbere. Quāplu-  
res enim, eti principiò pauore perciti simulatores  
efficiantur, eatamen disciplina bonum contrahunt  
habitum, probiq; tandem Christiani euadunt. Primus  
omnium euidem nō video quomodo is qui non cre-  
dit, credere simulans, credendi habitum contrahere  
possit. Hac enim ratione potius simulandi, quam cre-  
dendi contrahet habitu. Nam de actu interiore fidei,  
non de externis acibus cōtrouersia est nobis. Si quis  
à mulierū concubitu, à gulæ uitio, à latrocinijs, ab  
empuris colloquijs, à conuitijs in Deū perlongū tem-  
pus abstinuerit, nō omnino inuitus fortasse hæc eadem  
sponte faciendi contrahet habitu. Et infidelis, nō ad si-  
dem, sed ad falsam fidei confessionem: uel lingua, uel  
factis sœpius timoris tantum ui coactus, non quidem  
credendi, sed credere simulandi uitiosum contrahet  
habitum. Imo uero potius indignatione motus falsita-  
tem suam indies acrius retinebit (Natura enim nitit  
mūr in uetitum semper, cupimusq; negata) occasio-  
nem expectans sententias sue liberè propalandi: Ad  
hæc, ex istis libenter artem ediscerem, qua inter mille

ueræ

ueræ recipiſcentiæ ſpeciem pre ſe ferentes, uerè conuerſi à ſimulatoribus dignoſci poſſint. Si enim negauero quenquam mortis timore, aut humani ſupplicij formidine, falſam doctriṇam ē mente unquā funditus eieciſſe, ſanam deniq; amplexum fuſſe, quaratione, quibusue exemplis id mihi probaturi ſint ignoro. In facta Hippoñenſium conuerſione ex ipſa hiſtoria id diſcriminis agnoscere certè non poſſumus. Neq; hic (ut faciunt) in medium afferre oportet patrum in filios, præceptorum in diſcipulos exempla; neq; etiam predonum, ac ſicariorum comparationes, qui mortis pauore diu à uitijs abſtinentes, paullatim uirtutis habitum contrahant.

Nam præterquam quod longè aliud eſt ad uitium amplexendam à uitijs quomodo cunq; abſtincere, & ad ueritatē agnoscendam mendacium ore tenus detestari, neq; enim intellectus perinde ac uoluntas continuatis quibusdam aetlibus reformati potest, ſi quis huiusmodi exempla dari negauerit, & id quod in hiſce comparationibus ab aduersariis ſumitur, falſum eſſe dixerit, quanam ratione ipſi contrarium nobis persuadere poterunt. Ego uero potius credide rim, quo timore eiusmodi homines à uitijs declinarent, eodem ſemper uirtutis ſpeciem pre ſe ferre. Ut enim boni peccatum oderunt uirtutis amore, ita mali poene formidine, non dicam oderunt, ſed potius cauent. Itaq; non uirtutis, ſed uirtutem simulandi abſtinentio contrahabunt habitum.

Quare uel numquā, uel raro admodum uidebis ſi

## SECTIO SECUNDA.

lium, aut discipulum uerberibus & minis, ne dum probitatem, sed ne probitatis quidem speciem, que recte intuentē fallere possit, uere consequi: at contraria, plerosq; se piissime sub patrum, ac præceptorum acri disciplina probitatem, ac uirtutem utcumq; stimulantes, solutis compedibus, fractaq; (ut nostrates aiunt) ferula, formidine cessante deteriores evasisse. Præterea, quid est speciosius, & plausibilis his humanis exemplis, ac rationibus affinitatis cum Dei lege, qua

Exod: 25. 2. disertè pronunciat, se uoluntarias hostias à suis  
Psal: no. 3. exigere? Atqui, quo pacto uoluntarius appellari poterit, qui formidine impulsus, quod corde non sentit, ore profiteatur? & ex alieno prescripto, non ex animi sui instituto Deum colere cogatur? Inseruant igitur humana hæc exempla ad externos mores emendandos, & malos coercendos, ut boni quietè, ac tutò uitam degant. Interioris autem hominis reformatio uerbi Dei documentis, non violentia, ac poenarum metu instituatur: ac tandem spiritui sancto per uim amoris permittatur: ipse namq; solus nolentes in uolentes commutare potest. Præclarè quidem Athanasius hanc candè nostram de hominibus ad Religionem non cogendis sententiam professus in Epistola ad solitar. uitam agentes ita scriptum reliquit. Quod si im honestum est aliquot episcopos metu coactos sententiam immutasse, quanto grauius, fœdiusq; illorum facinus, qui quod hominum est minimè suæ causæ confidentium inuitos ad mutationem sententiæ coegerunt? Ita quoq; Diabolus, quia nihil ucri habet in securi-

curi et ascia inuidens, concutit fores eorum, à quibus recipitur. Saluator contra mansuetus est. Si quis, inquit, uelit me sequi, & esse discipulus meus. Docetq; sc; cum ad quempiam uenit, non instare, sed potius pulsare, ac dicere. Aperi mihi soror, mea sponsa. Quod si aperiant, intrat. Sin grauentur, aut nolint aperire, abscedit. Non enim gladiis, aut iaculis, aut militari manu ueritas prædicatur, sed suadendo, et consulendo. Quæ autem ibi suadendi libertas, aut consulendi ratio, ubi qui contradicit, pro mercede aut exilium, aut mortem reportat? Hæc Athanasius, quibus etiam ex Davidis exemplum & alia subiicit, que per te uidere poteris.

Neq; uero hic iterum cauillari oportet, ac Dei uim prætexere, qua homines ad se trahere consueuit, ut ex his Christi uerbis aduersarij colligunt, NEMO potest ad me uenire, nisi pater, qui me misit, cum trahat; Et alibi, Si à terra euectus fuero omnes ad me traham. Volunt enim ab interiore ui, qua Deus, eiusq; filius Christus Iesus mentes nostras immutant, suiq; amore, & æternæ mortis pauore ad fidem pertrahunt, argumentari, posse Ecclesiam ac Magistratum, Deum imitando, ad fidem ac uerum ipsius cultū corporeæ mortis pauore non recè credentes adigere. At uero quam longè distat Dei opus in hominum mentibus ad fidem pertrahendis, suis inquam illis arcans, soliq; sibi benè cognitis rationibus, ab hominū munere, ac potestate in fontibus puniendis, ac poenarum timore flagitiosis coercendis, & in ordinem cogendis? Quamuis enim ut diximus, hac ratione mali

Ioan: 6. 64  
12. 32.

## SECTIO SECUNDA.

à sceleribus deterreantur, boni ab eorum iniurijs vindicentur, uis tamen illa, quæ corpori adhibetur, animum minimè cogit. Externa cessant, interna manent. Os, & lingua cogitur, ut resipuisse simuleat, cor autem ex instituto suo libere agit. Verum non sic spiritualis Dei uis, qua mentes nostras, etiam interdum nolentes ad se conuerit, & rapit. Ea enim, si Deus sic prorsus uelit, nunquam non cogit, & immutat, quos cogenitos, & immutandos decreuerit: & exinde ab interiorre mutatione, exterior statim consequitur, quæ uerbo, & opere ostenditur. Magistratus autem carnalis violentia nullum alium sortitur euentum, quam ut improborum scelera vindicet, probos ab eorum sceleribus tutetur. At malam doctrinam, aut mala patrandi cupidinem, ex hominum cordibus extirpare, sanamque mentem uiciissim ingerere, minimè potest. Non igitur congruit diuinam Dei uim, qua hominum mentes, si quando ipsi placuerit, ad se colendum amanter cogit, in exemplum Magistratibus proponere: nam quantumlibet insaniant, diuino spiritu cessante, quem nequicquam impartiri conantur, humanam uoluntatem nunquam immutabunt. Quid ergo est cur speciosam quoque suam distinctionem afferant inter simplicem & tyrannicam violentiam, & iustum ac legitimam animaduersiōnē? Repetant enim, s'ilibet, & inculcent, Augustino etiam (ut faciunt) auctore, hominū conscientias cogi posse: ad malam certè hominis mentem in bonam conuertendam tam ualebit legitima posturas, et iusta animaduersio, quam simplex, & tyran-

nica uiolentia. Apost: Paul. non dixit quum doctrinæ uerbo egrius quo ad ualueris, mortis postmodum aut paenarum timore eius uoluntatem cogito, sed deuitato: hoc idem est, quod, eum non cogito. Sciebat enim Apost: hanc in humanam uolentatem uiolentiam ad Deum, non ad homines pertinere. Atcum iterum insurgunt, & inquiunt, Christianum populum, tamē si uoluntariè Deum colere oportet, quamdudum tanen in carne uersatur aliquo seueritatis rigore indigere, ut ex non uoluntario uoluntarius efficiatur. Ad hoc autem probandum iterum affirunt, Magistratum, præceptorum, ac patrum exemplum, qui filios, discipulos, sibiq; subditos populos iusta adhibita disciplina ex improbis probos efficiunt. Sed iam ostendimus, quanti sint ponderis huiusmodi exempla ad eorum sententiā probandam: nunc uero addimus, nos iustam Ecclesiæ, seueramq; disciplinam, ubi ea opus fuerit, haudquam reijcere. Verum, spiritualem Ecclesiæ functionem esse hanc non ciuilis potestatis affirmamus, neq; aliquo supplicio capitali præsertim, in fontes de quibus agimus animaduerti posse contendimus. Ea enim ratione nec pater filios, nec Magister discipulos, nec Magistratus sibi subiectos, neq; demum uerbi minister hereticos ex non uoluntarijs uoluntarios reddere possunt: humanæ enim cunctæ operationes morte interueniente terminâtur. Ad summan ex prædictis satis constat, & non uoluntarium uoluntariū uifieri non posse, & quod consequens est aduersariorum similitudines ad propositam

## SECTIO SECUNDA.

materiam minime facere? Hactenus quod attinet ad Augustini sententiæ mutationem, à non cogendis ad cogēdos homines ad fidē dixisse sufficiat. Sed sunt præterea qui dicant, quam etiam olim habuit de non occidendis hæreticis opinionem, retractasse, ac repudiisse. Ast ego quum libellum suum, qui Retractat: inscribitur nuper perlegerim, nihil aliud huius argumenti in eo reperi, quam uerba infra scripta.

**Retract:** Sunt duo libri mei quorum titulus est, *Contra par-*  
*lib:2.ca:50.* tem Donati: In quorum primo libro dixi non mihi  
„ placere ullius secularis potestatis impetu schismati-  
„ cos ad communionem uiolenter arclari. Et uerè tunc  
„ mihi non placebat. Quia nondum expertus eram  
uel quantum mali eorum auderet impunitas: uel quan-  
tum eis in melius mutandis conferre posset diligentia  
disciplinae.

Sed uerbis istis retractantur ne, ac repudiantur 15.  
loci quos supra notauius, alijq; quos breuitatis cau-  
sa omisiimus, quibus tanto animu seruore se ab hæreti-  
corum morte abhorrente manifestè declarat? Minimè  
sane. Sed ut clarius intelligamus, quam opinionem  
uerbis illis detestetur, & abneget, expendenda nobis  
occurrit schismatis uocabuli notio. Est igitur *χίσμα*  
Latinis separatio, siue diuisio. Quapropter, ut non

**Schisma**  
**quid.**  
**Quæst:Eu:**  
*lib:3.* semper schisma hæresim habet, ita nec semper hære-  
ses cum Schismate coniunguntur.

Id quod apertè demonstrat idem August: quum ait,  
Schismatici autem ab hæreticis distant: Quum Schis-  
maticos non fides diuersa faciat, sed communis dis-

rupta

## SECTIO SECUNDA. 77

rupta societas. Et alibi, Hæresis est diuersa sequentia Cont:Cre:  
sæcia: Schisma vero eadem sequentium separatio. lib:2.  
Hanc differentiam probè notauit Io:Calu:dicens, un-  
de inter hæreticum, & Schismaticum hoc discrimi- Calu: Inst:  
nis ponit August: quod illi quidem falsis dogmatibus lib:4. cap.2  
fidei sinceritatem corruptant, hi autem interdum Sect:5.  
etiam in fidei similitudine societatis vinculum dis-  
rumpant.

Accidit igitur (ut sc̄epe uisum est) in aliqua Ec-  
clesia hæreses esse, sed in Schismata non erumpere;  
hodieq; non raro uidemus in eadem Ecclesia senten-  
tiarum diuersitatem esse, neq; propterea societatis  
vinculum disrumpi. At rursus evenit aliquando, ut  
Ecclesia aliqua doctrinæ unitatem retineat, alijs vero  
de causis, bifariam interdum consindatur; ut de Ec-  
clesiæ Rom: historicis Ecclesiasticis authoribus legi-  
tur, quam trifariam quoq; aliquando scissam esse, ter-  
nosq; Pont: habuisse comperitur est. Non raro etiā su-  
perioribus seculis contigit, hæreses cū Schismate iun-  
ctas fuisse: ut uidere est in Donatistis, qui suæ doctrinæ  
à Catholica diuerae diabolicum Schisma coiunxerant,  
à Catholicis descidentes, specialesq; sibi Ecclesias, et Hæc verè  
Episcopos instituentes, Catholicosq; omnes non do- hæreticos  
strina solum uexantes, sed armis insectantes, omnusq; civili gla-  
iniuriarum genere affidentes. Hoc autem Schismatis dio obno-  
genus illud est, de quo August: dixit, sacrilegium xios faciunt.  
Schismatis omnia scelerâ supergreditur. Contr:  
Epist:  
Parm:lib:2

Pius igitur vir iste perpetuò censuit hæreticos, tu-  
multus, ac seditiones non mouentes, nec Schismata  
facientes,

## SECTIO SECUNDA.

facientes, tolerandos esse, docendos, ac monendos, nec  
ullo modo morte mulctandos: tum ut resipiscendi spa-  
tium illis daretur, tum uero, ne ad schismata provo-  
carentur: à quibus quantum abhorret: his uerbis  
ostendit.

De Bapt:  
cont: Do-  
nar: lib: 2.  
cap: 4. & 5.

Hoc autem facit sanitas pacis, ut quum diutius ali-  
qua obscuriora queruntur, et propter inueniendi  
difficultatem diuersas pariunt in fraterna disceptatio-  
ne sententias, donec ad uerum liquidum peruenia-  
tur, uinculum permaneat unitatis, ne in parte pre-  
cisa remaneat insanabile uulnus erroris. Et ideo  
plerumq; doctoribus minus aliquid reuelatur, ut  
corum patiens et humilis Charitas, in qua fru-  
ctus maior est, comprobetur: uel quomodo teneant  
unitatem, quum in rebus obscurioribus diuersa sen-  
tiunt: uel quomodo accipiunt ueritatem, quum contra  
id quod sentiebant declaratum esse cognoscunt. Ve-  
rū tametsi adeo acriter schismata detestabatur, ni-  
hilominus olim sensit, non solum puros hereticos esse  
ferendos, sed ne Schismaticos quidem ipsos secularis  
potestatis impetu ad communionem uiolenter arclan-  
dos. Et haec opinio est, quam loco illo retractat, non  
autem, de hereticis non occidendis sententiam. Quā  
quidem si Retractare, ac refellere uoluisset, locutiq;  
omnia ibi recenseret, quibus suam hanc sententiam  
patefecerat: quemadmodum toto illo Retractionū li-  
bro semper diligentissime facit, uel disertis saltem uer-  
bis pronuntiaret, se multis scriptorum suorum locis  
olim hereticos non occidendos censuisse, Nunc autē  
hac,

hac, aut illaratione persuasum, aliter sentire. Retra-  
 ctitigitur non de hæreticis non occidendis opinionē,  
 sed de Schismaticis ad unionem non cogendis senten-  
 tiā. Quam ad rem cum impulerat, tum falso, ac ficto  
 Hippōnenſium conuerſionis ſuperius narratū exem-  
 plum, tum uero infiſta, immanisq; Donatiſtarum ra-  
 bies: qui non ſolum doctrina ſua uniuersam Africam  
 implebant, ſed etiam (ut diximus) ſceleratē faciliſ  
 Catholicos diuexabant, omnifariam contumelijs,  
 iniurijs, ac cædibus infectantes: ut in historijs habetur.  
 At etiam ſi retractatio illa hæreticos quoq; ne dum  
 Schismaticos amplecteretur, quænam, obſecro, ciuſ  
 uerba ibi leguntur, quæ uim hæretico inferendam ad  
 mortem uſq; extendi poſſe declarent? Duobus nomi-  
 nibus mouetur August: (ut ipſem teſtatur) ad pri-  
 mam ſententiā repudiandam. Primum, quia nondū  
 expertus fuerat, inquit, quantum mali afferre poſſet  
 eorum audax impunitus: (hic autem uidetur auda-  
 ciam eorum impunem eſſe nolle; attamen de morte  
 uerbum nullum) Deinde, quod neq; etiam expertus  
 fuerat, quantum eis mutandis conſerre poſſet diligen-  
 tia discipline. Sed quænam disciplina adhiberi po-  
 terat ad eos immutandos? Mors fortasse? Mutasset eos  
 hec ſanè, ſed ē uiuis in mortuos: & non ſolū ad Ec-  
 cleſiam non aggregasset, ſed à Mundo penitus ſegre-  
 gasset. Si igitur animaduertio, ac disciplina, quam in  
 Schismaticos adhiberi cupiebat August: eò ſpecta-  
 bat, ut ad Ecclesiæ communionem cogerentur, oport-  
 ebat animaduertionem, ac disciplinam tam eſſe,

que

## SECTIO SECUNDA

que à uitio eis non separaret. Alioqui adhibita uiolentia Augustini optatis non respondisset. Neq; uero in eius scriptis unicum uerbum inuenies , quo post mutatam etiam de non cogendo sententiam, hæretici mortem probare contendat; sed coërtionem tantum. Id quod probè animaduertit Erasmus. afferens, Augustinum multis usum argumentis fuisse, quibus uideatur cum sentire, Turcas, & Iudeos ad fidem mortis terrore cogi debere, si de supplicio capitis interpretetur. Verum hoc non sentire August: arguit, quod ait, dociles esse reuocandos, indociles primum metu cogendos, mox docendos. Exemplumq; addit: Pauli prostrati, mox ad Ananiam ire iussi. Et subdit, quis docet imperfectos? quis erigit occisos? Sed si quis Augustinum sententiam suam de hæreticis morte non mulctandis loco illo minime retraclassé manifestè apprehendere uelit, legat eius Epistolam. L. ad Bonifacium conscriptam post prioris instituti sui mutationē: in qua ex professo agit de hæreticorum correctione: rationem reddens consilij sui in posterioris sententiae assertione. Ibi autem de morte uerbum nullum. Quin imò ab ea abhorrende aperte perspicitur , quum ait, Hæreses enim, & scandala futura prædicta sunt, ut inter inimicos erudiamur, ac sic & fides, & dilectio nostra possit esse probatior. Fides utiq; ne ab eis decipiamur, dilectio autem, ut etiam ipsis corrigendis quantum possumus consulamus: non solum instantes, ne infirmis noceant, atq; ut ab errore nefario liberentur, sed etiam orantes pro eis, ut aperiat Dominus illis sensum.

sensum, & intelligent scripturas. Sed multò apertius quum eadem Epistola scribit, post horrendam c. edem Maximiani cuiusdam Episcopi Vagiensis legem contra Donatistas fuisse promulgatam: hoc inquiens facilius esse, ut tantæ immanitatis hæresis Donatistarū, cui crudelius parcii uidebatur, quam ipsa sœviebat, non tantum uiolenta esse, sed omnino esse non sineretur impunè: non tamen supplicio capitali, propter seruandam etiam circa indignos mansuetudinē Christianam: sed pecuniarijs damnis propositis, & in Episcopos, uel Ministros eorum exilio constituto. Hanc uero legem & priori suæ opinioni contrariam, & posteriori consentaneam fuisse ex ipso contextu liquidò appetet.

Ad Vinc: quoq; scribens, cum quo post primæ sententiæ mutationem agit de hæreticorum correctio-  
ne, capititis supplicium aperte uidetur detestari: Quis  
enim nostrū, inquit, quis uestrū non laudat leges  
ab Imperatoribus latas aduersus sacrificia pagano-  
rum? Et certè longè ibi pœna severior constituta est.  
Illi quippe impietatis capitale supplicium est. De  
uobis autem corripiendis atq; coercendis habita-  
tio est, quo potius admoneremini ab errore discede-  
re, quam pro scelere puniremini. Et ad eundem, Alij  
dicunt, inquit, Nesciebamus hic esse ueritatem, nec ea  
discere uolebamus: sed nos ad eam cognoscendam  
metus fecit intentos, quo timuimus ne forte sine ulla  
rerum æternarum lucris, danno rerum temporaliū  
feriremur. Ceterum adeò nihil tunc temporis tenta-

tum

Ad Vin-  
centi: ep: 48.

## SECTIO SECUNDA.

um est de occidendis tam immanibus bellis, ut quum primum edictum Macedonij (ut Eras: putat) præsidis uerbis adeo ambiguis esset propositum, ut hæreuiis uideretur mortem minutari, nisi resipiscerent, Augusti illum diligenter admonuerit, ne quenquam interficeret: quum hoc ius ne ex Cæsareis constitutionibus quidem haberet: laudatq; eum quod postiore edicto uerborum ambiguitatem explicuisset.

Iam ex prædictis satis constat, ac perspicuum esse potest, an Augusti scripta ab aduersarijs, an potius à nobis faciant, quum manifestè appareat, cum mutata etiam priore sententia, & uim hæreticis schismaticis faciendam probante, nihilominus capitilis in eos supplicium improbase. Ex cuius etiam dictis aperte colligitur Cæsareas leges, quarum formidine Donatistæ eo non improbante ad fidem cogebantur, non capiales, sed pecuniarias, & exilijs fuisse. Eant nunc, & Augustinum (si opus est) à nostris calumnijs defensdat.

Qui tamen non cōrespicimus, ut disciplinam omnē ab Ecclesia expellere, & excommunicationem quoque ipsam abolere moliamur: neq; etiam, ut confusam doctrinæ, falsorumq; dogmatum libertatem fanaticorumq; spirituū licentiam, & impunitatem in eam introducere statuamus; nec tandem, ut magistrati legitimam religionis curam, iustumq; in malos animaduerzionem extorqueamus; quæ omnia nobis non minus impudenter, quam falso adscribere non obscure sunt ausi: sed cō tantum ut sciuiae modū imponamus,

san-

sanguinemq; sistamus, religionem deniq; igne, ferroq;  
 minimè tractandam, quò ad per nos fieri posse, pijs  
 omnibus persuadamus. Modò tamen hæreticorum  
 facta à religione in seditiones non prorumpant: in-  
 deq; inter populos oriantur nouarum rerum motus,  
 dominatum mutationes, hominum cædes, uulnera,  
 uerbera, stupra, latrocinia, incendia, iniuria, contu-  
 meliae, atq; id genus alia, publicam pacem, ac tran-  
 quillitatem perturbantia: quibus in rebus, publicam  
 maiestatem ledentibus, hominumq; uitam, dignitate,  
 aut substantias potentibus, ciuilis gladij severitatem  
 exerci decet, corruptæ mentis errore in corruptæ uo-  
 luntatis facinus erumpente.

Sed iam ad Chrysost: ueniamus: qui primum, sermone de Anath: Dogmata impia, inquit, & que ab hereticis profecta sunt, arguere, & anathematizare oportet. Hominibus autem parcendum, et pro salute corum orandum. Sed ne grauetur, quæso, pius lector sermonem illum percurrere. Videbit enim nihil aliud in eo agere Chrysostomum, quam ut uerbi Dei ministros ab hereticis licet præfracte ueritati resistentibus ultimo anathemate feriendis, & à Christo penitus separandis deterreat: quanto igitur magis ab eisdem occidendis homines deterrere uoluit. Ait enim inter cætera. Eradi sicut alienum ab Apostolica traditione, & si quidem hoc boni consulere uoluerit homo, qui pius errore inuestus erat, iuxta uocem prophetæ & ille uiuet uitæ, et tu animam tuam liberabis. Si autem respuit sermonem, ut pote contentiosus, tu

## SECTIO SECUNDA.

contestare, ne reus sis, tantum cum longanimitate &  
suavitate, ut ne animam eius de manu tua iudex requi-  
rat. Ne odio habeas, ne auferaris, ne persequaris, sed  
sinceram & ueram erga eum ostende Charitatem.

**Hom:in**  
**Mat:47.ca:**  
**13.**

At idem alibi, vis igitur abeuntes colligamus ea? Do-  
minus autem prohibet, ne forte simul cum zizanijs  
herbam tritici euellant: Quod dicebat, ut bella, &  
effusionem sanguinis prohiberet. Nam si trucidaren-  
tur heretici, absq; fôdere pacis, atq; inducij bellum  
orbi inferretur. Duabus igitur rationibus prohibuit.  
Altera quia frumentis non nihil nocerent: altera, quia  
nisi sanarentur extrema supplicia non euaderent.  
Quare si puniri eos uultis, & frumentis nequaquam  
officere, opportunitas temporis congrua expectanda  
uobis est. Quid autem est, quod eradicabitis simul cù  
ipsis etiam frumenta? Certe, aut quia, si arma capie-  
tis, inquit, necesse est, quum hereticos trucidatis, mul-  
tos sanctorum interimere: aut quia ab ipsis zizanijs  
multa commutata, in frumenti conditionem se ipsa  
conuerterent. Si ergo præuenientes euellitis, ea fru-  
menta deperibunt, que à commutatis zizanijs proue-  
nirent. Non prohibet autem conciliabula hereticorum  
dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi conci-  
dere: uerum interficere, ac trucidare.

En, ut simpliciter pius iste uir, & scripturarum pe-  
ritissimus Domini parabolam zizaniorum interpre-  
tans, ait, eam hereticos non trucidandos edocere:  
huiusq; sententiae uarias causas affert. Verum ne quis  
suspiciatur hereticis prorsus impunem libertatem

con-

concedi, sententiam quodammodo moderatur, inquietus, non prohiberi eorum conciliabula dissipari, ora obstrui, audaciam, & loquendi libertatem concidi; sed interfici tantum, ac trucidari. Hic locus est, quem prima sectione citauimus, quum ostendimus aduersarios obijcere, Chrysostomum, & Theophilus hereticos bello necandos, non autem iusto iudicio capite multando prohibere. Quia uero ibi dilucide declarauimus quid fuerit in causa, cur sanctus ille uir, de bello tantum, non de ordinariis iudiciis mentione fecerit, nihil est cur eadem sc̄pius inculcemus. Solum autem lectorē monemus, ut quae ibi adduximus cum Christo: uerbis prudenter conseruat: ac proinde iudicet, an eius interdictum de non trucidandis hereticis generaliter, aut specialiter accipi debeat: id quod ex postremis huius loci uerbis manifeste percipiet: quibus asserit, eos occidi à Domino omnino uetari. Sed alibi quoq; de hereticis uerba faciens dixit. Similimodo affec̄ti, sicut hi qui morbo laborant, & corporalibus oculis cæcutiunt. Illi enim ob oculorum suorum infirmitatem solis lucem & grē ferunt, & ob aduersam corporis ualitudinem etiam optimos saluberrimosq; cibos auersantur. Ita & hi anima & grotantes, & mentis oculis capti, lumen ueritatis intenti aspicere non possunt. Idcirco nostro fungentes muncere, manus eis porrigamus: magnaq; eis mansuetudine loquamur. Nam & beatus Paulus ita nos admonuit, dicens, ut in mansuetudine erudiantur aduersarij, si forte det eis Deus pœnitentiam in agnitionem uerita-

Homil:8.  
in Gen:c.1.

## SECTIO SECUNDA.

tis, & emergant è laqueo Diaboli, capti ab ipso in il-  
lius uoluntatem. Vides quomodo uerbis declarauit,  
quòd quasi ebrietate obruti sint? Nam quòd dicit,  
Emergent, ostendit quòd in profundo aliquo mersi  
sint. Et iterum, Capti, inquit, à Diabolo: quasi dice-  
ret, laqueis irretiti sunt. Vnde & gemina nobis man-  
suetudine opus est, & longanimitate, ut possimus eos  
cripere, & educere è laqueis Diaboli. Dicamus igi-  
tur eis, Emergite, & resipiscite paulisper. Aspice  
lumen iustitiae, &c.

At postremus hic Chrysost: locus, ob compara-

Cont:Ep: tione ab eo allatam hæretici cum cæco, impellit me,  
Parm:lib:z ut alium August: locum eiusdem argumenti subij-  
Non dicit, cjm: qui quidem de quibusdam hæreticis ait: Nonne  
Nolunt, isti palpant in meridie, quasi in media nocte? Quod  
sed Non quidem omnium hæreticorum est, qui rem manifestis-  
possunt. simā in luce omnium gentium constitutam uidere nō  
Non ergo possunt. Itaq; uide quām diuersa sit ab aduersariorū  
volunta- opinione Chrysost: et August: sententia. Illi enim cen-  
rī, sed . sent, imò asseuerant, hæreticos scienter ac uoluntarie  
ignari. peccare, hi autem eos ægrotis, cæcis, ac ebrijs com-  
parant, ex quo ignaros, ac deceptos à Diabolo consti-  
tuunt.

Hilar:lib: Sediam quid Hilarius hac de re sentiat audiamus.

ad Const: Et hoc, inquit ille, obsecramus pietatem tuam, ut  
August: eos, qui adhuc (egregij uidelicet sacerdotes, qui tanti  
nominis præpollent dignitate) aut exilio, aut desertis  
locis tenentur, iubeas ad sedes suas reuerti: ut ubiq;

cogni-

cognitionem sui docuit potius, quam exegit, & operationem coelestium admiratione præceptis suis concilians autoritatem, coactam confitendi se aspernatus est uoluntatem. Si ad fidem ueram istiusmodi ius adhiberetur. episcopalis doctrina obuiam pergeret, diceretq; Deus uniuersitatis Deus est: obsequio non eget necessario: non requirit coactam confessionem. Non fallendus est, sed promerendus. Nostra potius, quam sua causa uenerandus est. Non possum nisi uolentem accipere, nisi orantem audire, nisi profitentem signare. Et paullo post, Quid istud est, inquit, quod sacerdotes timere Deum uinculis coguntur, pœnis iubentur, carceribus continentur, plebs in custodiam catenati ordinis constricta disponitur, uirgines uidentur ad pœnam, &c. Et alibi, Ac primum misericordia licet, ait, nostræ ætatis laborem, & praesentium temporum stultas opiniones congemiscere, quibus patrocinari Deo humana creduntur: & ad tuendam Christi Ecclesiam ambitione seculari laboratur. Oro uos Hil: contra Auxenc: Arianum. Episcopi (qui hoc uose esse creditis) quibus nam suffragijs ad prædicandum Euangelium Apostoli usi sunt? Quibus adiuti potestatibus Christum prædicarunt? An ne aliquam sibi assumpserunt è palatio dignitatem? hymnum Deo in carcere inter catenas, & post flagella cantantes: Edictisq; regijs Paulus, quem in Theatro spectaculum ipse esset, Christo Ecclesiam congregabat? Nerone (credo) se, aut Vespasiano, aut Decio patrocinantibus tuebatur: quorum in nos odijis confessio diuine prædicationis floruit. Illi ma-

## SECTIO SECUNDA.

nu, atq; opere se aleutes, intra coenacula, secretaq;  
coemuntes, uicos, & castella, gentesq; ferè omnes terra,  
ac mari, contra senatus consulta, & Regum edicta  
peragrantes, claves (credo) cœlorum non habebant?  
At non se tum Dei uirtus contra odia humana por-

rexit, quum tanto magis Christus prædicaretur, quan-  
to magis prædicari inhiberetur? At nunc (proh do-  
mos inole-  
verat in Ec-  
clesia civi-  
lis potesta-  
tis in rebus  
fidei im-  
plorandæ.  
Ea ætate iā  
inopsq; uirtutis sue Christus, dum ambitio nomini suo  
conciliatur, arguitur. Terret exilijs, & carceribus  
Ecclesia, crediq; sibi cogit, quæ exilijs, & carceribus  
est credita. Pendet ad dignationem communicantium,  
quæ persequentiem est consecrata terrore. Fugat  
sacerdotes, quæ fugatis est sacerdotibus propagata.  
Id quod Diligi se gloriatur à mundo, quæ Christi esse non po-  
deplorat, nisi eam mundus odiasset.

Hilarius.

Verum aduersarij non minus Hilarij autoritatē,  
quam Augustini nobis infringere conantur: aiuntq;  
instituti sui non fuisse, uim in hereticos inferendam  
prohibere: sed sui temporis Episcopos obiurgare:  
qui sui officij obliuii, solis principum armis aduersus  
hereticos certarent: & in hoc unum quod agebat in-  
tentum, zelo pietatis abruptū, longius quam par erat  
progressum fuisse. At piget me tam friuolis refallen-  
dis tempus terere. Nam primum oportuerat, quod di-  
cunt Hilarij institutum fuisse, testimonij ex Historia  
ipsa petitus comprobare. Præterea, effutij ne ille for-  
tassis ex tempore, & inconsulte uerba illa disputandi  
oblata occasione, quo sœpe fit, ut ira, uincendiq; cu-  
pidine

pidine inflammati inania uerba, ac sententias ueritatis non cohaerentes effutiamus? An non potius calamo, sedatoq; animo ea edidit, manente sibi temporis spatio, antequam ea in publicum daret castigandi, que eq; parum scite scripsisset expurgandi? Minime credendum est, egregium hunc iurum, relicta sibi sua relegendi, ac diligenter examinandi commoditate, corrupta fuisse editurum, ijsq; uerbis sordidatas, que sibi indignatione, preposteroq; zelo impulso e cerebro erupissent, saneq; doctrinæ prorsus aduersarentur. Sed quid ego in his longius haereo? Ad eius deniq; scripta lectorem allego: ex eis iudicaturum, an apertere, nullaq; adhibita distinctione statuat, Deum uoluntariam, non coactam confessionem a nobis exigere: & an uiolentiam omnem generaliter detestetur, nulla prorsus adhibita distinctione, aut exceptione, que hominibus ad fidem adigendis inscratur. Quocirca ex eorum propositione, qua statuunt Hilarium Episcopos obiurgandi gratia ea scripsisse, qui quidem uerbi gladio posthabito solis principum armis cum hereticis decertarent: non concluditur eum non uetare, ac detestari uim omnem, que ad hominum conscientias ad fidem cogendas afferatur: ciuilisq; potestatis uim in religione non implorandam affirmare. Que quidem tam manifesta in eius scriptis apparent, quam que manifestissima.

Nunc uero Hieronymi testimonia aggrediamur: Hier: in qui Matth: uerba explicans, S I N I T E ea crescere Mat: 13. usq; ad messem, hereticos quod eorum crimen non

## SECTIO SECUNDA.

perinde ac adulterorum, et fornicatorum manifestū sit ferendos, non occidendos aperte interpretari uidetur, et in parabola illa explicanda cum Augusto Chrysostomus ac Theophilus consentire, non autem cum noua aduersariorū interpretatione: libro autē tertio aduersus Pelagianos sub Attici persona ait se hæreticos non accusare: quia Apostolus eum doceat hæreticum post unam, et secundam correptionem uitare non accusare. Videantigitur nostri hæreticorum ad magistratum delatores quid agant, et ad hanc Pauli admonitionem, Hieronymiq; interpretationem aliquando resipiscant.

Id. in Osee. cap: 2.

Idem ipse in Oseeam 2. cap: inquit: qui in Christum creditis et estis tam ex Iudeis quam ex gentibus, dicit te fractis ramis, et priori populo qui proiectus est, populus meus quia frater tuus est, et misericordiam consecuta, quia soror tua est. Quum enim intrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israel saluus fiet. Hoc idem nobis præcipitur, ne hæreticos penitus desperemus, sed prouocemus ad pœnitentiam, et illorum salutem germanitatis optemus affectu. Verum quomo-  
do dici poterit de hæretici salute non desperare? quo pacto ad pœnitentiam cum prouocabit? qua tandem ratione eius salutem optare ostendet is, qui Magistra-  
tui necandum tradet, seu quouis deniq; modo mortem illi machinabitur?

At uero qua ratione occidendos esse hæreticos Hieronymus censuerit, probè explicat in commentario Esaiam cap: 13. ad finem his uerbis. Atq; utinam et nos

*nos suscitemur à Domino, & hæc nobis detur potestas, ut nec aurum, nec argentum uelimus eloquentia, & sapientia secularis, sed filios hæreticorum, & omnium qui decepti sunt, interficiamus sagittis spiritualibus id est testimonijs scripturarum, & qui lacte nutruntur erroris absq; ulla misericordia trucidentur, ut clementi crudelitate pereant, &c.*

Cyprianus autem sanctissimus Martyr dixit, Nam et si uidentur in Ecclesia esse Zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut charitas nostra, ut quoniam lib: 3. Ep: 1. Zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Nobis immo laborandum est, ut frumentum esse possumus: ut quem ceperit frumentum dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro, & labore capiamus. Apost: in Epist: sua dicit, in domo autem magna non solum uasa sunt aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & quedam quidem honorata, quedam uero in honorata. Nos operam demus, & quantum possumus laboremus, ut uas aureum, aut argenteum simus. Cæterum fictilia uasa confringere Domino soli concessum est: cui ex uirga ferrea data est. Esse non potest maior Domino suo seruus: nec quisquam sibi quod soli filio Pater tribuit uendicare se putet. Sed quid Lactantius?

Non est opus, ait ille, ui, & iniuria: quia religio cogi non potest: uerbis potius, quam uerberibus res agenda est: ut sit uoluntas. Distringant aciem ingnorum suorum. Si ratio eorum uera est, afferatur: Parati sumus audire, si doceat. Tacentibus certe nihil

Lact: lib: 5.  
cap: 20.

## SECTIO SECUNDA.

credimus, sicut ne sequentibus quidem cedimus. Intentur nos, aut rationem rei totius exponant. Nos enim non illicimus (ut ipsi obiectant) sed docemus, probamus, ostendimus. Ita; nemo a nobis retinetur inuitus. Inutilis est enim Deo, qui deuotione ac fide caret. Et tamen nemo discedit ipsa ueritate retinente. Et inferius, Sciant igitur uel ex hoc ipso quantum interficit inter uerum, & falsum: quando ipsi, qui sunt cloquentes, persuadere non possunt: imperiti ac rudes possunt: quia res ipsa, & ueritas loquitur. Quid ergo sequuntur: ut stultitiam suam, dum minuere uolunt, augent? Longè diuersa sunt carnificina, & pietas. Nec potest aut ueritas cum ui, aut iustitia cum crudelitate coniungi. Item paullò post, Sentiunt enim nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamq; summa ui oportere defendi. Sed ut in ipsa religione, sic in defensionis genere falluntur. Defendenda enim religio est, non occidendo, sed monendo. Sic habent quidam codices moriendo: non scelitia, sed patientia: non scelere, sed fide. Illa enim malorum sunt, hæc bonorum. Et necesse est bonum in religione uersari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere uelis, iam non defendetur illa, sed polluetur, atq; uiolabitur. Nihil est enim tam uoluntarium, quam religio, in qua si animus sacrificantis auersus est, iam sublata, iam nulla est. Recta igitur ratio est, ut religionem patientia, uel morte defendas, in qua fides conseruata, & ipsi Deo grata est, & religioni addit authoritatem.

At

## SECTIO SECUNDA. 85

Atenim ad Lactantij authoritatem eadem ferè ob-  
ijciunt nobis aduersarij, quæ ad Hilarij scripta obie-  
cere. Dicunt enim, quam Lact. agit causam longe à  
nostra esse diuersam: quandoquidem ille in eos inue-  
hitur, qui religionem nostram igne, ferroq; insecta-  
bantur, non in eos, qui ueros hæreticos iusto iudicio  
duexarent. Quòd si eorum argumentandi rationem  
rectè percipio, eorum institutum est, inferre ex La-  
ctantij uerbis significari, non decere infideles, aut hæ-  
reticos, ueros Catholicos urgere, & ad eorum falsam  
fidem uiolenter adigere: at uero ex eo non euinci Ca-  
tholicis interdici ijsdem rationibus hæreticos punire,  
& ad ueram religionem inuitos cogere.

Sed bone Deus, quando erit unquam tergiueran-  
di, & nugandi finis? Hoc idem est quod aiunt, Pa-  
pam nos ut hæreticos cremare iure non posse: at con-  
trà, Arrianos, & Anabaptistas à nobis iuste necari.  
Quid autem multis opus est? Ipsamet Firmiani uerba  
bac de re iudicium proferant: quibus rectè perpen-  
sis persicile iudicatu fiet, an instituti sui fuerit, et si oc-  
casione sibi præbita in infidelium erga fideles seui-  
tiam, ac uiolentiam inuehebatur, hanc tantum specia-  
tim execrari, an potius generatim uim omnem dete-  
stari, quæ hominibus ad fidem cogendis adhibeatur.  
Quocirca eadem ratione ad hanc eorum oppositio-  
nem respondemus, qua supra ad ea, quæ aduersus  
Chrysostomi locum obiecerunt, quum hæreticos bel-  
lo necandos non esse censebat. Nam si Lactantij tem-  
pore mos fuisset Christianis, religionis causa homines  
interfu-

## SECTIO SECUNDA.

interficere, nemo quidem dubitare potest ijsdem generalibus uerbis, quibus in infideles, Christianos ad fidem suam cogere uolentes inuechitur, nostrorum quoq; uiolentiam in hæreticos fuisse execraturum. Agit enim de religione in genere, non autem specia-  
tim de hac, aut illa. Nam primum inquit, quia religio cogi non potest: uerbis potius quam uerberibus res agenda est. Et paullò post: Itaq; nemo à nobis retine-  
tur iniuitus. Inutilis est enim Deo qui deuotione ac fide caret. Et tamen nemo discedit, ipsa ueritate retinente.  
Et inferius subdit: longè diuersa sunt carnificina, et pietas: nec potest, aut ueritas cum ui, aut iustitia cum crudelitate coniungi. Item paullò post, Defendenda enim religio est non occidendo, sed moriendo (seu monendo) non seuitia, sed patientia: non scelere, sed fide. Illa enim malorum sunt, haec bonorum. Ac tandem concludit, Nihil tam uoluntarium, quā religio: Quid amplius? Non ne clarè appetit Laclantij uerba gene-  
rale, non speciale aliquid sonare? et è religione uiol-  
entiam omnem penitus exigere?

Theophilactus Matth: Euang: explicans, Ziza-  
nia hæreses esse exponit, disertè enuncians hæreticos  
necandos non esse.

Theph: in Matt: 13. Sever Sul:  
Seuerus Sulpitius, Martini Episcopi sanctissimi ui-  
tam describens, ostendit, cum in hæreticorum morte  
consentire noluisse. Quod lib: sui uoluminis tertio  
his uerbis declarat, Maximus Imperator pridie ex  
Episcoporum sententia, decreuerat Tribunos sum-  
ma potestate ad Hispanias mittere, qui hæreticos in-  
quire-

quirerent: deprehensis uitam, & bona adimerent. Nec dubium erat, quin sanctorum etiam maximam turbam tempestas ista depopulatura esset. Sed Martinus præcipua erat cura, ne Tribuni cum potestate gladiorum ad Hispanias mitterentur: pia enim erat sollicitudo, ut non solum Christianos, qui sub illa occasione erant uexandi, sed ipsos etiam hereticos liberaret.

Clamabat Petilianus, Absit, absit à conscientia nostra, ut ad nostram fidem aliquem compellamus. Petili:

Minutius de Christianis uerba faciens, dixit, eis non tantum non licere hominum cœdes uidere, sed nec etiam audire. Licebitne igitur eorum mortelætari, diuersisq; modis necandos curare?

Damascenus tradit, Euangelium toto orbe fuisse prædicatum, sed nullis telis, aut armis, aut bello suos aduersarios uicisse: sed à paucis nudis, pauperibus, indoctis, & flagellatis confusos fuisse sapientes mundi. Quomodo enim posset Ecclesia martyres habere, si ipsa martyres faceret?

Bernardus (et si doctor Papista) Apostoli uerba enarrans, fides ex auditu, auditus autem per uerbum Dei, scripsit fidem suadendam esse, non imperandam. Bernar:

Quum igitur optimos quosq; veterum patrum à nobis esse ostenderimus (omnes enim uno ore, & hereticorum mortem, & in conscientiae violentiam detestari uidentur) non est cur fauorem eorum iactent aduersarij: seq; eos à calumnijs nostris defensuros profiteantur.

RE

SECTIO SECUNDA.

RECENTIQRVM  
TESTIMONIA?

Erasm:

**M**Agnes ille, nec unquam satis laudatus Erasmus, in supput:err: Bede, & in respons: de inquisit: hoc argumentum fusè lateq; per tractat. Sed ne longius quam par sit producatur oratio, eius scripta tibi lector percurrenda relinquam: aliqua tantum pertingens, quatenus scriptoris huius ab aduersariorum calumnijs defendendi studio necessariò impellar. Qui quidem, quum hæc Erasmi testimonia à quodam olim pro hac asserenda sententia citarentur, dixerunt scriptorem hunc tamuarium, & inconstantem esse, ut, quid in eo potissimum sequantur, prorsus ignorant: cumq; satis appareat quod crediderit dissimulare, quam dicere maluisse. En ut ab ipsis habetur vir egregius, cui ne dum prosanæ, sed sacræ quoq; literæ tantum debent, ut (quod omnium pace, multorum citra inuidiam dixerim) pauci ætate sua eum adæquarint, nemo fortasse superarit. Sed facile factu est in mortuos inuchi, quibus respondendi est adempta facultas. Primum igitur omnium affirmant, ex omnibus eius scriptis nihil aliud colligi posse, quam hæreticorum iudicia perperam, & crudeliter à Pontificijs exerceri: quia scilicet Episcoporum munus est, non exurere, & perdere, sed docere, & mederi. Ut autem ostendant (ut arbitror) cum non uetare hæreticos à Magistratu, ne dum puniti,

niti, sed etiam, summo affici suppicio, eius uerba in  
medium afferunt, quum inquit, Quid autem uetat ne  
Principes hæreticos turbantes publicam tranquilli-  
tatem & medio tollant? Et paullo post, Hæc nequaquam  
in fauorem loquor hæreticorum: neque me patrono  
quisquam habebit melius, si modo uerum cognouero  
hæreticum: Id est malitiosè errantem, factiosum, &  
immedicabilem. Quod ad primum attinet, nemo insi-  
cias ibit, Erasmus in Papatum inuehi. Quomodo  
enim in Evangelicas Ecclesias inuchi poterat, si eius  
ætate impius ille homines falsa doctrina imbutos com-  
burendi mos in eas adhuc inuectus non erat? Iam er-  
ror ubi non est reprehendi non potest. Verum quis  
sanæ mentis ambigat, Erasmus hodie si uiueret, ius-  
dem uerbis, quibus Papatum obiurgat, eius quoque hac  
in re imitatores obiurgaturum fuisse? Quocirca ea-  
dem ad hoc iam tertio respondebimus, que ad obie-  
ctionem in locum Chrysost: factam superius respon-  
dimus. Nam quemadmodum ostendimus, cum de hæ-  
reticis bello, non autem ordinario iudicio non occi-  
dendis eò egisse, quod ætate sua aliquis Principum  
hæreticos bello, non autem ordinario iudicio perse-  
qui tentauerat (quem tandem iudicij morem Papatus  
in Ecclesiam inuexit) eadem inquam ratione Eras-  
mi uerba pontificios petunt, non autem Ecclesias no-  
stras, eò quod ætate sua huius erroris argui non po-  
terant. At uero, quis neget eius uerba hæretici mor-  
tem uetantia generalia esse? Quod tamen inferius  
dilucidè patebit.

Quod

## SECTIO SECUNDA.

Quod deinde tacitè inferre uidentur, Erasmus non uetare hæreticos à Principibus è medio tolli, ani-  
maduertendum est, illum priore loco eos hæreticos tantū nominare, qui publicam tranquillitatē per-  
turbant: factiosos scilicet, ac seditiones excitantes, id  
quod neq; nos prorsus negamus, nec ueterum, aut  
neotericorum scriptorum ullum negantem me legis-  
se memini. Quis enim neget, hæreticum, qui (ut Au-  
gust: scripsit, quem hoc loco citat Erasm:) ambitio-  
ne ductus, uel alicuius temporalis commodi gratia,  
religionis prætextu falsas, ac nouas opiniones uel gi-  
gnit, uel sequitur, seq; sectantium turmas parat coer-  
ceri debere? Ac etiam, si in ea facinora prorumpant  
huiusmodi sectarij, ut publicam maiestatem lèdant,  
priuatosq; homines offendant, uita, dignitate, aut fa-  
cilitatibus ademtis, aut quoquis modo corpore læso,  
corporali supplicio à Magistratu affici posse? Hinc tan-  
dem hæretici illi sunt, quos Erasmo assentientes à  
Principe tollendos concedimus: hi enim uerè sunt pu-  
blicæ tranquillitatis perturbatores: non autem ij, qui  
simpliciter hæretici seditiones uolentes non exci-  
tant, neminem lèdunt; sed pacatè, ac placidè differen-  
tes nemini uim inferunt, sententiam suam defendunt,  
ac docent, reclamq; esse autemantes, etiam mordicus  
reutinent: adeò, ut à Diabolo decepti, igne quoq; cre-  
mari constanissime perferant. Qum igitur Erasm:  
posteriore loco inquit se hæreticis non sauere, neq;  
se patrono quenquam mitius habiturum, modo uerū  
cognouerit hæreticum: hoc est, inquit, malitiose pec-  
cantem,

Tales fue-  
runt Do-  
natistæ.

tantem, factiosum, & immedicabilem: nos quoq; eius  
sententiæ subscribimus. Nam quis est hæreticus fa-  
ctiosus & malitiosè peccans, si is non est, quem supra  
descripsimus? Quamquā & quod attinet ad peccandi  
malitiā, iam superius ostendimus humanæ mentis  
cognitionem soli Deo uerè competere, & quantum  
ad reliquam illam tertiam conditionem, neq; huic no-  
stro, neq; cuiquam alij hæretico eam inesse, nobis un-  
quam liquidò constare poterit. Soli enim prorsus Deo  
patet, an morbus hæretici sit immedicabilis, nec ne.  
Id quod Paulus probè declarat, quum hæreticum fe-  
rendum p̄cipit, si quando Deo iuuante Diaboli la-  
queos euadat. Itaq; si artem ab istis docebō (ueriū  
caueant, ne nos, seq; unā decipiānt) qua, non coniect-  
ris sed certa scientia (nunquam enim ex conjecturis  
hominē morti addicam) hæreticum aliquem ma-  
litiosè peccare, eiusq; ægritudini mederi impossibile  
esse, & ad h̄ec tandem factiosum, seditiosum, pacem-  
que publ: perturbantem uidero: tunc demum in eo-  
rum sententiam, Erasmo etiam duce, pedibus ibo. Cæ-  
terū bonus ille uir, tres illas conditiones enumerans  
hæretici suo iudicio ciuili gladio pleclendi, quarum  
primam cognitu difficultem, tertiam uero plane im-  
possibilem demonstrauimus, satis aperte declarat sen-  
tentiam bac de re suam. Quas omnes conditiones  
quum ipsi quoq; aduersarij in hæretico puniendo re-  
quirant, mirum profecto est qua ratione hæreticum  
uel ausi sint, uel audeant unquam morti addiccre, nisi  
quod Dei est proprium, sibi quoq; impie arrogare

## SECTIO SECUNDA

uelint, & non solum ea, quae in hominis corde latent, sed etiam quae in eius animo, dum uixerit, futura sunt, se probè nosse confidant. Eorum uerba ex quibus manifestè probatur, eos tres illas Erasmi conditiones admittere hæc sunt. Nos autem de hæreticis agimus, id est malitiose errantibus, factiosis, & desperatis. Erasmus tamen clarius etiam opinionem suam patefacit, quum ait, serui, qui uolunt ante tempus colligere Z.

In Paraphrzanìa, iij sunt, qui pseudo apostolos, & hæresiarcas gla  
in Matt: 13. dijs, & mortibus existimant è medio tollendos: quum  
Etad Alfo: Paterfamilias nolit eos extingui, sed tolerari, si forte  
Mau: Epit: resipiscant, & è Zizanijs uertantur in triticum.  
Sibil: Quòd si non resipiscant seruentur suo iudici, cui pœ-  
nas dabunt aliquando. Petunt ne hæc uerba speciali-  
ter Papanos, an potius generaliter cunctos, hæreticos  
necandos statuentes? Item quum Chrysostomi uerba  
producit, eiusq; sententiam approbat, inquiens, cum  
Respon: de simpliciter Zizaniorum parab: interpretari ne tru-  
Inquis: cidentur hæretici: quid aliud, quam idem affirmat?

Quid uero, quum inquit, An leges Ecclesiastū sunt,  
quenquam ultricibus tradere flammis? quid inquam?  
Præsertim subiiciens: quis unquam audiuit orthodo-  
xos Episcopos concitatasse Reges ad trucidandos hære-  
ticos, qui nihil aliud essent, quam hæretici? Ac deinde  
Homines subdit, hæreticum non ferendum, augustin: attestante,  
pro servis eum esse, quem supra eius uerbis descripsimus: qui  
Erasm: quidem longè alius est, quam simplex hæreticus. At-  
quoque qui, quum paullò post interrogat, Cur, uetet ne ante  
interpretar tempus id serui faciant, redditq; causam cur id nolit  
tur. fieri?

fieri? ac statim subiicit, quid autem facient Angeli, si interim per seruos tolluntur hæretici? Videtur ne hic Pontificios petere, an potius omnes, qui præpostero zelo perciti ueros hæreticos delere satagant? At inferius quoq; dixit. Iam omnibus uerbis, que Bedda selegit ex August: libris prætermis, quæ faciunt pro diversa sententia, nulla est mentio de occidendo, sed de puniendo. Quæ uerba non uideo, cur potius Papistis impingantur, quam cæteris hæreticorum sanguini audie inhiabitibus. Perbellè quoq; sententiam suam declarat Erasm: quum locum Pauli ad Tit: explicans, inquit, Ambrosianam lectionem hodie sequimur, qui hæreticos semel conuictum, si relabatur, non deuitamus, sed incendimus. Inferius quoq; idem probè ostendit, quum Theologum quandam deludit, qui in quodam concilio, quum quereretur, an in sacris literis locus reperiatur, quo iuberetur hæreticum capit is affici suppicio, DEVITA, DE VITA inquit: putans deuitare Latinis esse de uita tollere.

Iam uero ex supra scriptis Roterodami locis satis constat, an in sententia sua explicanda ancipitem, ac uarium se gesserit, an potius eam constanter produxerit: & an in lolij similitudine interpretanda cum antiquis Patribus consenserit, nec ne.

Quòd si alicubi Erasmus simpliciter hæretici mortem nō improbasse deprehenditur, id quod sub inuolucro uerborum dixit, et fortassis, ne pontificiorum animos penitus exasperaret (siquidem hac ratione semper in religionis negocio sibi agendum putauit)

Annotation  
Tit: cap: 3.

## SECTIO SECUNDA.

uel ut quorundam Euangelicorum audaciam reprimere, id inquam per explicatōrē eius uerba declarandū est, in quibus de quonam hæreticorum genere intellexerit manifeste apparet.

Musc: in  
Psalm.

Sed Musculi quoq; mansuetissimi spiritus uiri auctoritatē nobis eripere, et ad se trahere conantur, eiusq; uerba in medium afferunt, quæ in Psalm: 2. scripsit, super uerbis illis, Seruite Domino in timore: quibus ille nihil Magistratui attribuit, quod ei à nobis itidem citra omnem controversiam non concedatur. Statuit enim Musc: Principes Ecclesiæ curam gerere debere, uerbiq; doctrinam in ea retinendam curare: Idolatriam, falsosq; cultus tolli, Ecclesiæ Ministros commode ali, aduersarios reprimi, conuictis in Deum, eiusq; nomen uocare, piè uiuentes tutari, impios et irrequietos punire, et cohibere: quæ omnia, et si quæ sunt similia uolentes accipimus. Verum, ut in cura à Magistratu gerenda cum ipsis consentimus, sic in curæ genere penitus dissentimus. Volunt enim Reges hæreticorum uel punitione, uel et morte Ecclesiā à falsis dogmatib; purgare debere: hoc autem nos negamus, nec Musculus censet: in eius enim, quæ afferunt, uerbis, nulla de hæretico uel occidendo, uel etiam puniendo sit mentio, nam aduersariorum, et impiorum nomine non quidem, ut ex sententia totius loci patet, simplices hæreticos, sed eos intelligit, qui diuinu uerbi prædicationem impedire conantur, et impiè uiuentes pios quiete uiuere non sinunt: Imo uero alibi, quod attinet ad hæretici mortem diuersum,

omnino

## SECTIO SECUNDA. 90

omnino statuit: ut per eius testimonia mox patet: Cuius authoritas ab aduersariis reiici non deberet: quum magnis elogis fide dignum declararint: Appellant enim cum & clarissimum uirum, & sacrarum scripturarum diligentissimum interpretem.

Is igitur, tametsi libris suo loc: comm: hæreticos ad fidem ui cogendos ostendere uideatur (id quod nos supra multis adductis rationibus abunde confutauimus) nulla tamen ab eo mentio sit capitalis supplicij. At potius, si quis legere perrexerit, hoc eum diserte negare perspiciet. Ait enim, Cum primis autem Christianum Magistratum hæc moderatio docet, ut à fœnitia, & crudelitate abstineat. Omnino citra dissimulationem, inter eos esse me fateor, quibus admodum displicet, quod ubi interficiendi sunt errores, interficiantur homines. Nullis bonis, inquit August: in Catholicâ hoc placet, si usq; ad mortem in quenquam, licet hæreticum, fœniatur.

Eodem loco: quum August: uerba citasset, ILLI IN VOS fœniant, &c. statim subdit, Ergo fœnire in hæreticos, etiam admodum detestabiles, quales erant Manichei, quibus August: ista scribit, non est cordatorum hominum: qui sciunt quanto cum labore uerum inueniatur, & quam errores difficulter caueantur. At mox Imperatorum nixus auctoritate, Pri- mi, inquit, Imperatores, ex ijs qui Christi sunt fidem amplexi, magna quidem cura, ac diligentia in eo fuerunt, ut hæreticos in ordinem cogerent: eò tamen usq; progressi non sunt, ut in sanguinem illorum se-

Musc: Loc:  
comm: ca:  
de hæresi.

## SECTIO SECUNDA.

uirent. De illis loquor, qui ueræ fidei patrocinabantur: nam qui Arrianam hæresim defendebant in Catholicos satis crudeliter seuererunt. Ut re ipsa uideamus spiritum crudelitatis esse non uerorum Christianorum, sed hæreticorum. Et inferius: Christianus Magistratus animaduertit quidem in hæreticos: uerum sic moderatè, ut sint qui resipiscere possint. Non permittit ut de fide doceant, nec patitur ut Ecclesiæ colligant, Episcopos, aut alios Ministros ordinent. Alios priuat honoribus, alijs adimit ciuitatis communicacionem, alios proscribit, alios mulcta pecuniaria punit:

Incorrigit  
biles quo-  
que non  
necando  
censet.  
  
Hæresiar-  
cas quo-  
que scien-  
tes volen-  
tesque pec-  
cantes à  
morte im-  
munes fa-  
cit.

quod August: temporibus factum esse legimus. Ipsos impostores, & seductores, ne illi, postquam incorrigibiles apparent, ultrà quenquam seducant, carceribus inclusos tamdiu coercet, ac detinet, donec in se reuersi resipiscant. Et statim (subdit) Hac poenarum moderatione ad scopum pertingi potest, ad quem colimare debet Magistratus: Is est, ut conuertantur hæretici ab erroribus suis, & conuersi saluentur: Qui errantem in errore suo occidit, aut non credit quod perniciose, & damnabiliter peccet, aut si hoc credit, parum est de salute eius sollicitus. Præterea eodem cap. de seductoribus uerba faciens, qui etiam scientes prudentesq; imperitos seducant, inquit, Hoc genus hominum uel carceribus coercendum, uel longius proscribendum est, quo & multitudini à seductionibus illorum caueatur, & simul fieri querat, ut aliquando resipiscant. In quibus notandum est, neq; hæresiarcas quidem scienter ac uoluntarie peccantes

à Mu-

## SECTIO SECUND A. 91

à Musculo morte multari, sed illis quoq; resipiscendi spatium concedi: carceribus tantum coerceri, aut proscribi. Hoc autem non pœnæ nomine, sed ne sanæ doctrinam corruptentes, pios inficiant. Differens autem de pœnis, quibus Canonistæ, ac Iurisperiti papani hæreticos puniendos decernunt (igne uidelicet) quod consuetudinis esse afferunt, queri posset, inquit, quando ceperit ea consuetudo, quum Patrum temporibus non fuerit: quamvis illis multum negotijs fuerit in reuincendis teterrimis hæresibus. De antichristo iam olim dici cepit, quod non obttemperantes sibi combusturus sit igne. Huic ergo deputari potest consuetudo hæc comburendi hæreticos, quos ipse cū suis hæresecos damnat. Et paulò post: Si consuetudo hæc Patrum temporibus fuissest in Ecclesia, quid facilius fuissest cum August: tam insigni organo Dei: Antoni & ipse aliquot annos Manichæorum hæresi infensus, adeoq; hæreticus fuit? Si Magistratus hæreticum hunc igni comburendum tradidisset, quanto, queso, detimento Christi Ecclesiam affecisset? Mea igitur sententia sic habet, Cogantur hæretici ad bonum, postquam admonitionibus acquiescere nolunt. Cogantur inquam, & puniantur: sed citra seuitiam, & crudelitatem: & ad eum finem, ut sint qui resipiscere ualeant, & cum fidelibus seruari, & aliquando prodesse Ecclesijs Christi, quibus in errore nocere ceperant. Hic autem Musculus exemplum afferit Anabaptistarum illorum (ut prima sectione narravimus) qui post 4. annorum captiuitatem ad fidem se

## SECTIO SECUNDA.

conuertere. Ac tandem Augustini Zizaniorum parabolæ explicationem approbans, ait, Hec Augustinus: quibus contra occisores hæreticorum, parabolā Zizaniorum conuenientissimè meo iudicio exponit. At

In Io: cap: 8. Ioannis quoq; Euangeliū enarrans maiorem inter illuminatos, & errantes humanitatem exoptat, utq; Christiani Principes induerent Constant: Magni clementiam pariter, & prudentiam: qui pacem dabat (inquit) tam errantibus, quam non errantibus communem. Atq; hic Imperatoris uerba recitat: uideli-

Eus:li: 2. de cet, Parem cum fidelibus iij qui errant, pacis, & quiete vita const: tis fruitionem gaudentes accipiant. Ipsa siquidem communicationis, & societatis restitutio ad rectam etiam ueritatis uiam perducere potest. Nemo cuiquam molestus sit: quisq; quod animo destinat hoc etiam faciat. Debent autem recte sapientes persuasi esse, eos solos sancte, & pure uiicturos, quos ipse (Deum intelligit) ad hoc uocas, ut in sanctis tuis legibus recreentur. Si uero ipsi se uolentes abstrahunt, false doctrinæ delubris adhaerentes, habemus nos illustrissimam ueritatis tuæ domum: quandoquidem secundum naturam dediti. Haclenus Imperator: cui Musculus subiicit: Deinde (optarim scilicet) ut iij filij lucis sunt, si alios illuminare nequeunt, & ad lucem Christum perdere, ita se tamen gerant, ut nihil caliginis ad se pertrahant.

Otho  
Brunfels:

Otho Brunfelsius, quum hæreticos non occidentes ostendere uellet, infra scripta utriusq; foederis loca in unum congesit, uidelicet.

Con-

SECTIO SECUNDA. 92

Conflabunt gladios suos in uomeres, & lanceas Iesa:12, 4.  
suas in falces.

Non occident, & non noccebunt in uniuerso mon- Iesa:11.9.  
te sancto tuo.

Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et Matt:18.17.  
publicanus.

Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis, non ue- Luc:9.55.  
nit perdere, sed saluare animas.

Caute à fermento Pharisæorum. Non inquit, oc- Matt:16. 6.  
cidite hæreticos Pharisæos, &c. Præterea, Christus Matt: 7. 15.  
neminem gladio, aut igne coègit ad fidem.

Christus item tolerauit Pharisæos, dicens caute à  
falsis prophetis. Non ait, occidite falsos Prophe-  
tas.

Huc sp̄ctat parabola Zizaniorum.

Paulus blasphemus erat, & tamen misericordiam Matt:13.24.  
est consequutus. Tim:1.13.  
Tit:3.10.

Hæreticum hominem deuita: Non dicit, occide.  
Hæc Brunf?

Conradus Pellici: in Matt:13.212; Parab; explicans,  
Porro triticum, inquit, quod enatum est bonum ex  
bono semine iij sunt, qui ex institutione euangelica sece-  
dignos præbent regno cœlorum, profissioni sue uita,  
factisq; respondentes. His admista ex malo semine Zi-  
za: sunt improbi, qui non sincerè profitentur Euangeli-  
cam doctrinam. Inimicus autem ille, qui nocte  
clam ad miscuit suum semen, est Diabolus. Serui, qui  
uolunt ante tempus colligere Zizania: sunt iij, qui Pseuda  
postolos et hæresiarchas gladijs, ac mortibus existi-

Servos ho-  
mines esse  
censem.

## SECTIO SECUNDA.

Zizaniorū mantē medio tollendos : quum Paterfam: nolit eos in triticum extingui, sed tolerari, si forte resipiscant, & à Zizaversionem nijs uertantur in triticum , quòd si non resipiscant, approbat. seruentur suo iudici, cui pœnas dabunt aliquando.

Vrban: Vrbanus Regius quid de hoc articulo sentiret probe declarauit, in suis locis Theologicis: ubi ait, Christianorum spiritus clemēs est: comburit tantum igne charitatis.

Luc:9.55. Nescitis cuius spiritus estis, &c. Non querit uindictam, sed resipiscentiam peccatoris. Et non disputant prij animo pertinaci, sed ueritatis cupido, & humiliuxta formam Actor:17. scrutantur scripturas propter ueritatem. Non querunt nisi uictoriā ueritatis, non suam.

Ezechi: 34\* Deus non docet comburere errantes ouiculas, sed sanare infirmas, macilentas pascere, &c.

Postremo Hieron: in Oseam adducit, quem supra citauimus, dicens, uide Hieron: in Hoseam cap:2. quomodo sint tractandi Hæretici.

P. Martyr in 10.ad Rom: edifferens, necesse esse in Rom:10. Euangelium gentibus, non minus quam Iudeis prædicari, eosq; obiurgans, qui ob id Apostolis succensebant, inquit, Nos quoq; admonemur quum fides possit concedi à Deo quibuscumq; uoluerit, neq; præfatio eius nota sit, ut de nemine desp̄eremus: uerum sat agamus docendo, monendo, et prædicando, omnes trahere ad Christum. Et paullò post, nullus, quum aliquod in peccatum labitur, aut à nobis aliqua in re dissentit, statim est abiiciendus. Adhuc potest credere,

atq;

atq; Deum inuocare: & inde iustitiam, & salutem Iuxta Pau-  
consequi. Dissentientium ergo misercamur: fidem eo- li senten-  
rum, qua à Deo donari possunt expectemus: de eis nō tiam.  
desperemus: Dei uerbum sanamq; doctrinam pro-  
mulgemus, hæreticos quoq; (quos Deus non exce-  
pit) moneamus, doceamus, instituamus: neminem de-  
niq; reiiciamus: omnibus tandem omnia sumus, ut omnes  
Christo lucremur.

Ad eiusdem Epist: explicationem persequens P. Rom: 12, p.  
Martyr: Sed quid iudicabimus, inquit, de hominibus 603.  
ab Ecclesia expulsis, quos uocant excommunicatos?  
Quid item de illis, qui doctrinam ueritati contrariam  
circumferunt? Cum illis iubemur ne cibum quidem  
sumere: iussis autem ne quidem aue dicere Iisus, si necce-  
sitas exigat, cibum, & alia necessaria exhibere debe-  
mus: non quidem comitatis, familiaritatis, aut oble-  
flationis nostræ causa, sed ne desimus officio charita-  
tis. Quod si res non postulabit, nec alloqui eos debe-  
mus, nec cum illis una cibum capere. At si uel animi,  
uel corporis necessitas id requiret, hæc omnia que  
Paulus scribit à nobis erga eos sunt obseruanda. Hæc  
ille: At Paulus necandos, aut Magistratu tradendos  
non docet.

In 1. Corint: 5. ait idem Pet. Martyr, Et dum in-  
terrogamur quonam depellendi sunt excommunica-  
ti, respondemus, non certè eò, ut desperent, aut se de-  
sparatæ salutis existiment. Dum enim sumus in hac  
uita, nunquam salutis spes est deponenda, nisi pecca-  
tum in spiritum sanctum inciderit: quod quum non  
in-

1. Cor: 5, p.  
127.

## SECTIO SECUNDA.

intelligatur, nisi quadam priuata reuelatione demon-  
stretur, spes non est ab iacienda. Habuit enim antiqui-  
tus Ecclesia donum probandi spiritus; unde hoc pec-  
cati genus fortassis agnoscebatur. Sed hodie, quum no  
habeamus compertum quando eo aliquis detineatur,  
de omnibus oportet bene sperare. Et quanquam ex-  
communicatus, quod attinet ad id quod ab Ecclesia sit  
diuisus: nihilominus Ecclesiae non decet quod erga il-  
lum agat. Nam eum adhortabitur, consolabitur, at-  
que orabit pro eius conuersione. Et deniq; ut cupida  
salutis ipsius, summa charitate adhuc eum prosequer-  
tur. Idem in commentarijs suis in primum cap. lib.  
Iud. in extremis uerbis ait, haud aliter agendum esse  
cum hereticis quam cum infidelibus, et Iudeis. Su-  
pra autem dixerat Iudeos esse ferendos, dummodo  
caueatur, ne homines nostros corrumpant eos ad lu-  
dismum seducendo. Neq; ferendos solum censuerat,  
sed etiam synagogas illis concedendas, in quibus ta-  
men omnibus modis obseruetur, ne Christum maledi-  
ctis proscindant, neve aliud agant, quam id cuius gra-  
tia se congregari profitentur. Quare P. Martyris  
sententia hereticis quoq; malitiis licet, et pertina-  
cibus, (de his enim ibi aperte loquitur) dummodo or-  
thodoxos seducere non aggrediantur, non tantum  
parcendum est, uerum etiam loca coedenda, in qui-  
bus sacras literas interpretari, et Deum, Christumq;  
laudare, et inuocare queant. Vide locum, et ex eius  
uerbis hanc sententiam colligi manifestissime depre-  
hendes.

Barth:

Barth: Vestrherus aperte dicit bæreticos cremarc contra spiritus voluntatem esse. Et ad hoc probandum præter plurima ueteris ac nouæ scripturæ loca, omnia penè Patrum testimonia à nobis superius citata copiose producit. Quin & Hieronymi uerba in Matth: citans, quum Hieronymus ipse ea scripture uerba explicet, ARVNDINEM communiatam non confringet, &c. Subdit Vestrhm: Virius iam sint imitatores Christi ne, an Antichristi, qui flamas, igne, mortem spirant, clamant, inferunt, Hieronymus explicuit. Quoniam ergo parum est Christianum feritate plusquam militari, rabie plusquam canina, inclemencia plusquam tyrannica in palabundam ouem grassari, inter miserum deseuire, & in deploratum & reiectum à Deo hominem irruere: Dominus de hoc cum pastoribus, qui pascere debuerant, non interimere, expostulat apud Ezechielem cap:34. Væ pastoribus, qui pascabant se metipos, &c. Quod contractum est non alligatis, &c.

Andr: Althmerus piam hanc opinionem sequutus in hanc sententiam ratiocinatur, Principem scilicet, in ijs, quæ ad fidem attinent: ubi tamen non sit ciuiliū legum manifesta transgressio, furtum scilicet, homicidium, seditio, latrocinium, stuprum, peculatus, periuarium, proditio, cæteraque eiusmodi crimina, que non diuina modò, sed ciuili quoque lege prohibentur: neminem condemnare debere.

Sed si quis fusius uidere optat quid doctor iste hac de re sentiat, eius Conciliat: 135. legit. Ibi enim pro-

And: Alth:  
Conc: 116.  
pag: 110.

## SECTIO SECUNDA.

lixè hoc argumentum pertraçlat. Conciliatio:etiam  
169.pag;176. propè calcem legit: ubi disertè ostendit noluisse Deum quenquam ad fidei obedientiam mundana potentia cogi: at potius, inquit, Euangeliū liberè, & aperte prædicetur: quod quidem multos ad cœnam coget, neq; unquam uacuum reuertetur.

• Ad fidei  
obedien-  
tiam nemo  
cogendus.  
Evangelii  
ad fidem  
cogit.

Vnio Bo-  
dij p. 618.

Thom:  
Naog:

Quid autem de hoc articulo censuerit Herm: Bodius tractatu suo de Antichristo clarè perspicitur. Ibi enim, hac sententia proposita, Dominus prohibet hæreticos interfici: ad eam probandam Chrysost: interpretationem in Zizaniorum similitudinem adducit. Cui etiam adiicit alia eiusdem testimonia.

Thomas Naogeorgus in 1. Ioan:cap: 5. Animaduertendum quoq; inquit, quia Ioan: sope dicit, & assuerat, omnes esse filios Dei, qui credunt Iesum esse Christum, sequitur hanc fidem & confessionem notā esse uerè credentium, & Catholicæ Ecclesiæ: nec esse necessū ut in omnibus opinionibus huc nihil pertinet tibus consentire: quod nunc quidam uolunt, Christianam Ecclesiam nimis in arclum cogentes. Mihi sane erit filius Dei, & Christianus quisquis crediderit, & confessus fuerit, Iesum esse Christum: etiamsi in quibusdam à me opinionibus dissentiat. Ita ego multos patior esse in Ecclesia, quos alij ciuiunt: quam bono iure nescio.

Cyprianus fuit, si his temporibus iudicetur, Anabaptista, quia senserit, & docuerit, ab hæreticis baptizatos esse rebaptizandos. Mihi autem est Christianus, exq; Deo natus: quia confitetur Iesum esse Christum.

flum. Similiter & de alijs existimo, tam antiquis, quā modernis; tametsi aut errent, aut errarint in multis opinionibus: dummodo credant, crediderintq; Iesum esse Christum, &c.

Hec autem Naog: uerba me cogunt, ut Pomerani sententiam adijciam, quae uerbi Ministros admonet, ne tot articulis, Symbolis, & fidei confessionibus Christianorum mentes confundant; sed fidei summam paucis capitibus perstringant. Ait igitur, Discant Pomer. in prædicatores, ut Euangelij summam in paucos articulos contrahant. Hi autem possunt esse mors, & resurrectio Christi. Nec sanè parum in Euangelio proficerit, qui scit Christum propter eius peccata mortuum esse, & propter iustitiam eius resurrexisse. Sed ad Naog: redeo: qui paullò inferius inquit, Hinc uideamus an nobis sit charus pater, cuius filios odimus, persequimur, & affligimus. Hoc uero erit impossibile. Dicet aliquis, quomodo diligam, quum incertum sit quisnam credat, etiamsi credere dicat? Omnes diligendi sunt, qui confidentur Iesum esse Christum, ut maximè incertum sit. Verum simpliciter sic ambulandum est: quandoquidem scrutari hominum corda nostrum non est. Nos autem si falsi fuerimus in diligendo: puta, ut si pro filio Dei diligatur qui filius Dei non est, non fraudabimur tamen nostra mercede ab eo, cuius gratia dileximus. Agnoscet Deus nos sua causa dilexisse, quotquot confessi fuerint Iesum esse Christum, & remunerabitur ut sibi factum.

At Idem Naog. in eiusdem Ep: cap: 4. ita far-

tur

## SECTIO SECUNDA.

tur. Notandum ab apostolis, ipsoq; Christo omnibus Christianis esse concessum, immo mandatum, ne quid uis credant & recipiant, sed probent doctrinas, quod est contra plagiarios quosdam, qui homines, uelint, nolint in suam fidem, & doctrinam cogunt, qua: coactio cum hac, quam Apostoli concesserunt libertate minime conuenit. Non licet de quibusdam dubitare, nec a quibusdam dissentire, nec quædam rei scere, sed quidquid proponunt est fidei articulus, cogimur deuorare, credere, docere, & defendere etiā. Ita tene- dia securi simul & cautio noua recipiendi, & iudicium de propositis præcisa sunt. Mala profecto & iniqua fidei & Christianæ libertatis conditio. Vnusquisq; captat discipulos, quos si in nassam aliqua esca pertraxerit, & illexerit, tum eos pro captiuis habere, & ad nutum renutumq; suum uult sentire, & credere. Quis hoc unquam ex prophanarum doctrinarū Magistris postulauit? Aut quis fuit tam demens, qui morem gesserit postulanti. Quaniū autē hoc in fidei rebus postulare iniquius est, quum in his summa cautione propter summum periculum opus sit? Ad finem autem eiusdem capititis hæc scribit. Haud scio quomo- do fiat, ut nemo ferè sit quin uelit, putet, dicatq; se Deum diligere, nemo tamen propemodum fratres di- ligat. Deo seruire uolunt omnes, & benefacere: nemo fratri suo, quasi Deus sine fratribus nostris aut possit, aut uelit diligi. In causa autem esse arbitror, quod ar- bitrio nostro in Dei delectione cōtentii esse uolumus, nihilq; opere, & ueritate ad præscriptum facere.

Odimus,

## SECTIO SECUNDA. 96

Odimus, mordemus, persequimur, contemnimus, de-  
 serimus, atq; nos iris excludimus beneficijs fratres, in  
 quibus præscripsit Deus se uelle diligi. Et interim exi-  
 miè Deum dilexisse nobis uide mur, si Theologi si-  
 mus, si scribimus, si oramus, si docemus, si ieunamus,  
 & similia quædam facimus, que nobis non Deus qui-  
 dem, sed nosmet ipsi nobis persuasimus ad Dei dile-  
 ctionem pertinere. Mihi Theologus mendax, fratrum  
 sanguinem sibiens, ad mortem fratrem exposcens, in-  
 faniens præira in eos, qui paulum modò diuersa ab  
 ipso sentiunt, cuiusmodi multos Papatus tulit, non  
 plus Deum diligere uidetur, quam Turca, aut Tarta-  
 rus, aut aliis aliquis planè Deum ignorans: Neq; pro-  
 fectò diligunt Deum, neq; fratrem, sed semetipso. Sed  
 enim querunt non fratrum, nec Dei. Verentur ne  
 quid sue decadat glorie, ne quid existimationi, nequid  
 questui, ne quid Tyrannidi: deniq; quid fratribus fiat  
 parum curantes, mundus ruat bellis: & cedibus, tu-  
 multuetur ubiq; modò ipsi sint egregij, quos suspice-  
 re, ac uenerari omnes debeat, contra quos ne hiscere  
 quidem audeas. Quorum tribunitia dogmata ne di-  
 gitulo quodam summo attingere, nedum refellere,  
 aut mouere tentes. Iстis frater non est, qui credit in Ie-  
 sum Christum: sed is qui conceptis uerbis iurauerit se  
 ipsorum omnia dogmata usq; ad mortem defensurū,  
 & ne latum quidem unguem ab eis discessurum. Si-  
 quis discedit, aut non defendit, aliud forte, aut diuer-  
 sum sentiens, exploditur, eiicitur, ad mortē queritur,  
 in carcerem truditur, in exilium agitur, dignitate aut

## SECTIO SECUNDA.

functione spoliatur, scriptis per orbem terrarum spar sis laniatur: libenter illi Christi etiam beneficia adempturi, si possent. Hos ego furiosos Theologos credam Deum diligere e quod Turcis, et Iudeis facere deberent, id creditibus in Iesum Christum faciunt.

At fortassis obijciet aliquis, Naog: uerba à nobis adducta opinioni nostrae non suffragari. Ex eis enim hæreticum non occidendum uel puniendum probari non posse, sed tantum, non omnes qui à nobis in aliqua religionis parte dissentunt insectandos esse. Ad hoc primum dicimus, si non expresse saltem tacite hanc sententiam ex eo colligi. Nam, quum dicat, omnes Iesum esse Christum confitentes uexandos non esse: hæreticus autem, de quo nobis est sermo, hoc egregie fateatur, quis non ex eius uerbis aperte colligat, huiusmodi hæreticum non occidendum nec puniendum? Præterea Cypriani exemplū citans, ait, Si nostris temporibus iudicetur, fuisse anabaptistam, sibi autem Christianum: quia confitebatur Iesum esse Christum. At quis ex his uerbis non eliceat, Anabaptistas Christum confitentes Christianos esse, ergo non diuexandos. Sed ut ut illis detur ex Naog: uerbis hæretici mortis interdictum aperte elici non posse, satis tamen & appositè, ad causam nostram illud facit, insectationem scilicet in omnes qui à fana doctrina in aliquibus articulis recedunt, ab eo manifeste improbari. At si quis probè Naogeorgi hac de re sententiam percipere cupiat, legat epitomen suum Ecclesiasticorum dogmatum, ubi de hæreticis ita cum scri-

## SECTIO SECUNDA.

97

Scripsisse reperiet.

Si quibus in ceto prava est sententia uerbo,

In rebusq; sacris praefratè errare uidentur.

Scripturis primum sunt uincendi atq; monendi.

Qui si conuicti nolint audire monentes

Publico ab officio remouentur iure docendi.

E grege pellunturq; Dei, deduntur &amp; orco,

Carnis ad interitum, quod resipiscere nolunt,

Et reliquis pergunt, doctrinam obtrudere praua,

Exilium subeant, temere sed tradere letho,

Non est Christigenum, furui sed regis auerni.

Potuit ne ille apertius partibus nostris fauere? H.e  
 heretico non solum rite admonito, sed etiam post legitimam  
 excommunicationem, perlinaciter dogmata sua  
 & retinenti & docenti, nullam poenam statuit, sed in  
 exilium tantummodo mitti debere censet, quod huius-  
 modi hominibus non poene quidem nomine, sed ne  
 ceteros inficere possint, imperari palam est. Morti  
 autem eum tradere Diabolicum inuentum esse affir-  
 mat. Nec quem moueat dictio illa, Temere, quasi  
 Naogeorgus mortem illam non improbet, que non  
 temere, sed iusta adhibita ratione heretico infertur.  
 Nam quenam iustior ratio adhiberi potest, quam si  
 prius ritè ille moneatur, & cum non resipiscat ana-  
 themate feriatur antequam neci tradatur? & tamen,  
 ne si tum quidem resipuerit, occidendum iudicat, sed  
 tantum exilio afficiendum.

Quamobrem dicendum omnino est, Naogeorgum  
 noluisse dictione illa mortem heretico temere illata,

## SECTIO SECUNDA.

ab ea quæ eidem haud temerè illata est, distinguere, et separare, quasi de illa non de hac loqueretur, sed potius satis apertè innuere uoluisse omne consilium de hæretico necando, inconsultum & temerarium esse.

Vehementer aliquando obiurgatus fuit, et contumelijs affectus quidam insectationis hostis, eò quod Caluini testimonium pro sententia sua asserenda in medium attulisset: longoq; sermone obiurgator eius ratiocinabatur, ut detegret, qua ratione motus is quasi callide & uersutè uiri illius autoritate abutere tur. At equidem ignoror ueræ ne sint, an falsæ, quæ illi huius rei impinguntur causæ. Hoc unum certò scio, me, qui eosdem Caluini locos, unaq; eiusdem alios citare constitui, ad id solum animum appulisse, ut ostendam egregium hunc uirum multis nominibus de Ecclesia optimè meritum, olim sensisse religionem ui traxiandam non esse.

Quid postea in causa fuerit, cur sententiam mutavit, hoc prorsus ignoro, Deus scit.

Calu: præt: Hæc igitur primum eius sunt uerba. Hæc deniq; in Act: meditatio sola efficiet, ne nobis unquam accidat, Apost: quod de maiori parte ab Ennio uerè esse dictum nimirum multa experimenta probant: pelli è medio sa Dan: pientiam quoties uires agitur. Nā si in summo, & a Sapientia cerrimo præliorū feruore tantum potuit apud Lacedæmonios tibiarum concentus, ut ingenitam bellico ergo filij Dei eva- ciatur si vi so populo ferociam leniret, impetuq; qui uel in mi cogimur tibus alioqui ingenij tunc supra modum exultat, tem ad fidem. peraret, quanto id melius, & efficacius cœlestis spiri- tus

ius sancti modulatione præstabit Christi Regnum?  
 Quod non modo truculentas bestias cicurat, sed ex  
 lupis, leonibus, & ursis agnos facit? quod lanceas  
 in falces, & gladios in uomeres format? Et alibi ali-  
 quando scripscrat.

Itaq; tametsi familiarius uersari, aut interiorem  
 consuetudinem habere cum excommunicatis per Ec-  
 clesiasticam disciplinam non liceat: debemus tamen  
 contendere, quibus possumus modis, siue exhortatio- Hic locus  
 nibus, & doctrina, siue clementia, ac mansuetudine, nunc aliter  
 siue nostris ad Deum precibus, ut ad meliorem frugē legitur lib;  
 conuersi, in societatem, ac unitatem Ecclesiæ se reci- 4. suę Inst:  
cap. 12. sec.  
 piant. Neq; ij modò sic sunt tractandi, sed Turcæ quo-  
 que, & Saraceni, ceteriq; ueræ religionis hostes 10. Videni-  
 tantum abest, ut probandæ sint rationes, quibus eos hilomi-  
 ad fidem nostram adigere multi haftenus moliti sunt: nus.  
 dum aqua, & igni, communibusq; elementis illis in- Ergo & hæ  
 terdicunt: cum omnia illis humanitatis officia dene- retici veræ  
 gant, cum ferro, & armis persequuntur. religionis  
hostes cer-

Itemq; alibi: Quemadmodum autem in toto Ecclesiastissimi.  
 siue corpore hæc mansuetudo requiritur, ut clemen- Inst: L. 4.c.  
 ter, nec usq; ad summum rigorem animaduertat in 12. sect: 9.  
 lapsos; sed potius secundum Pauli præceptum Cha- An sum-  
 ritatem in eos confirmet, ita pro se quisq; priuatus ad mus rigor  
 hanc clementiam, & humanitatem attemperare se fit homi-  
 debet. Non ergo nostrum est, tales, qui ab Ecclesia nes Magi-  
 sunt expulsi expungere ex electorum numero, aut strati ad  
 desperare, quasi iam perditos. Alienos quidem ab Ec- necem tra-  
 clesia iudicare fas est, & proinde à Christo: sed pro eo deres?

## SECTIO SECUNDA.

• Obstina-  
tos quoque  
toleran-  
dos prae-  
cipit.

Nō igitur  
iudicio  
gladij.

Loln in tri-  
ticum ver-  
sio hic com-  
mendatur.  
Ea enim iu-  
dicat quæ  
Dei iudi-  
cio permit-  
ti debent.

tempore, quo in diuortio manent. Quod si tunc quoque maiorem peruvicaciæ, quam humanitatis speciem præferunt, eos tamen iudicio Domini commendemus: meliora de ijs in posterum sperantes, quam uidemus in presens: nec propterea desinamus pro ijs Deum precari. Et (ut uno uerbo complectar) non personam ipsam, que in manu, & arbitrio Dei solius est, in mortem addicamus, sed tantum qualia sint cuiusque opera estimemus ex lege Domini. Quam regulam dum sequimur: statim potius diuino iudicio, quam nostrum proferimus. Plus licentie ne nobis in iudicando arrogemus: nisi uolumus Dei uirtutem limitare, ac misericordie eius legem dicere: cui quoties uisum est, peccatum in optimos mutantur, alieni inferuntur, extranei cooptantur in Ecclesiam. Idque Dominus agit, ut sic hominum opinionem eludat & temeritatem retunda, que nisi coercentur, sibi iudicandi ius supra quam decet usurpare audet.

In a&t: Apost: Pauli uictoriam contra Iudeos ditans enarrans, unde hæc, inquit, Paulo uictoria, nisi quia illi scriptura gladius fuit?

Magistratus ergo gladio non est usus: & nihilominus uictoriam reportauit. At pergit Calu: Promde, quoties ad oppugnandam reclam fidem insurgunt heretici, quoties impij conuellere totam pietatem moliuntur, quoties obstinate resistunt impij, hinc pertenda esse arma meminerimus. Papistæ, quia nihil armorum in scriptura reperiunt, imo ipsam sibi totam aduersam esse uident, configunt ad miserū hoc asylum,

## SECTIO SECUNDA.

99

Ium. Non esse disputandum cum hæreticis, & ex  
scriptura nihil certi posse statui.

Poterat ne magis pie, & ad sententiam nostram  
asserendam magis apposite aliquid dicere? Cur igitur,  
si arma inde sunt petenda, Magistratus tela implorantur?  
Cur ad Papatus asylum configimus, igniferroq[ue] disputantes?  
Cur Principum fortitudinem, &  
constantiam à Deo precamur, ad hæreticos penitus  
excindendos, si bellum hoc uerbo, non ferro gerendum  
esse constat? Sequitur deinde Calu: Atqui si uerbi gla-  
dio conficitur Satan ipse, cur non ad profigandos  
hæreticos ualebit? Non quod manus daturi sint, uel  
obstrependi finem facturi; sed quia in se ipsis conuicti  
iacebunt.

O ueré aurea uerba. Sed si spiritus gladius ad hæ-  
reticos profigandos sufficit; quare utimur carnali?  
Verbi igitur gladio utamur: ne uideamur, ut uicti, ad  
ferreum penitus inane configere. At tandem pero-  
rans concludit Calu: Quod si hanc perturbationem  
cupimus effugere, né moueanus ipsi turbas contra  
Deum: sed mansueto, & placido spiritu recipiamus,  
quam nobis scriptura pacem affert. Ex quibus euincitur,  
in Deum turbas mouere, qui mansuetudine, &  
placiditate spiritus posthabita, pacem à scriptura no-  
bis oblatam repudiat, & ad bellum se parat à Satana  
indictum.

Alibi quoq[ue] authoritatem Ecclesiæ circa discipli-  
nam enarrans, inquit, Deinde non hoc agit (Eccle- Inst:libo 4.  
sia intelligit) ut qui peccarit iniuitus plectatur: sed ut cap:12.sec.3.

## SECTIO SECUNDA.

uoluntaria castigatione pœnitentiam profiteatur.

Qui igitur fit, ut santes parua etiam de causa carceribus includantur, ac solo pane cibati, frigidaq; tan tum poti, per triduum macerentur? Est ne hæc uoluntaria pœnitentia? Præterea quo iure, nisi Papistico, adiunguntur homines falsa dogmata abnegantes ad eas dedecore plenas palinodias, nudis pedibus, aperto capite, cerea funeralia manu tenentes, urbemq; turpi spectaculo, Romano more perlusirates, publicè cantandas? Perbellè quidem Caluini præceptum hoc modo seruamus, dicentis, talem seueritatem decere Ecclesiam, quæ cum spiritu mansuetudinis coniuncta

**Inst:lib:4. cap:12. sect: 8.** sit: quiq; ueterum Episcoporum immodecam austritatē improbans, inexcusabilemq; appellans, quæq; prorsus à Domini præcepto disideret, neq; aliud parere posset, quam magnam hypocrisim, aut maximā desperationem, disertè assuerat, peccatorem, ubi pœnitentiae sue testimonium Ecclesiæ præbet, ex hoc testimonio scandalum, quantum in se est, obliterat, ne quaquam ultra urgendum esse.

**Lib:4. cap: 11. sect:5.** Idem alijs inquit, Neq; enim uel multis, uel carceribus, uel alijs ciuilibus pœnis potestatem suam exercuerunt sancti Episcopi: sed solo Domini uerbo (ut decebat) usi sunt.

At nostri temporis Episcopi, præter uerbum Dei, quas multas lapsis impingere nequeunt, à Magistratu (quod idem per diuersa est) irrogandas curant. Sed pergit Caluinus, seuerissima enim Ecclesiæ uincula, & quasi ultimum fulmen, est excommunicatio:

que

quæ non nisi in necessitate adhibetur.

Nos uero alio fulmine lapsos percutiendos curamus. Igne nimurum. At demum concludit, illa porro, nec uim, nec manū desiderat, sed uerbi Dei potentia contenta est. Nos uero excommunicatos ui, ac manu ciuilis etiam potestatis plectendos dicimus, & curamus.

At enim obijciet aliquis, oportere Calu: scopum considerare. Quocunq; enim ille in locis à nobis adductis differuit, in pontificiam tyrannidem scripsisse: quapropter, non posse ea ad Ecclesias nostras accommodari. Fruola nimurum obiectio, tametsi ab erudito quodam mihi opposita. Nam si quis eius uerba, Caluinum inquam, mediocri etiam attentione expenderit, perspiciet, omnia generatim, & indistinctè, non autem speciatim personare. Quemadmodum enim supra ostendimus Laclantij uerba in Paganos prolatā, itemque Chrysost: hæreticos bello necari uetantis, generalia esse, & hæretici mortem, & in religione uiolentiam generaliter detestari: ita quoque eximijs huius uiri uerba omnem sœ uitiam, & violentiam hominum mentibus inferendam prohibere uidentur.

Quum enim primum inquit, Hæc deniq; meditatio sola efficit, ne unquam nobis accidat, quod, &c. uocabulum, nobis, generaliter sonat, non autem specialiter in Papistas. Quum subdit, sapientiam è medio tolli, quoties uires agitur: quis est, qui uideat hoc nihil minus ad Ecclesias nostras, quam ad pontificias pertinere? Quum ait, Debemus tamen contendere

## SECTIO SECUNDA.

quibus possumus modis, siue exhortationibus, & doctrina, siue clementia, &c. Quis dicat Ecclesias nostras excipi, solos autem Papistas admoneri? Quum dicit, in toto Ecclesiæ corpore hæc mansuetudo requiritur, ut clementer, nec usq; ad summum rigorem animaduertat in lapsos, quæro, an corpus Ecclesiæ de papistico intelligat, an potius de ueræ Ecclesiæ corpore. Quum subiicit, Obstinatos, & peruvicaces iudicio Dei commendandos, & de eis meliora speranda, quæro an intelligat de fidelibus, qui Papona supplicia fortiter tollerant, an potius de ueris hereticis, qui apud nos ciuilem gladium & ignes obstinate perse- runt, sanctis admonitionibus peruvicaciter resistentes. Ac tandem, quum inquit, plus licentiae ne nobis in iudicando arrogemus, lectori statuendum relinquo, pertant ne hæc uerba pontificios, an potius Ecclesias nostras.

Prius autem quam cætera recentiorum testimonia aggrediamur considerandum occurrit, cur potius heretici, quā defectores astotatæ supra narratis probrosis poenis afficiantur. A postatas uoco, qui mortis, aut suppliciorum pauore, siue malitia, seu deniq; ob mundana commoda ab Euangelio deficientes, Christumque abnegantes ad falsa idola reuertuntur. Hi profectò uerè sunt idololatriæ, certissimi apostatae, propriæ, non allegoricæ, aut analogicæ in Deum blasphemæ, ac uerè tandem aduersus propriam conscientiam peccantes, ex quibus consequitur in eos, nō autem in hereticos Mosaicam legem, si modò in quenquam ualeat,

## SECTIO SECUNDA.

103

leat, competere. Et nihilominus nō raro uidimus eius generis homines, si quando resipuerint, uenia imperata, simplici erroris confessione impunè in Ecclesiam recipi. Contra hæreticum, etiam si resipiscat, falsaq; dogmata abneget, scueris unā & dedecore plenis affici pœnis.

Bucerus quoq; cuius uerba, quæ aduersarij pro sua sententia ascenda citant, inferius expendemus, quam laudaret ac expeteret Christianus Ecclesijs errantium tolerantia, ex eo patet, quod in tertium Sophonie scriptum reliquit. Vbi ait, certè si uitam eternam habet, qui in Christum credit, qui ipsum suum agnoscit saluatorem, ut certè habet, cur talem reiijicit homo, eò quod non in omnibus agnoscit, quod sibi uidetur agnoscere ille: quam in muliis, et graubus errabant Apostoli, quamq; benignè et indulgenter tamen habuit illos Christus. Hæc cùm monemus, quidam, qui nunc regnum in Ecclesia sanctorum, imprudentes tamen (quod credo) uidentur affectare, interpretantur esse Satanæ insidias, qui sub hoc pacis pretextu totum querat Euangelion euertere, tum & nostræ doctrinæ circa Sacraenta diffidentiam. Utinā probè animaduerterent astum, atq; insidias Satanæ, qui certò hinc Euangelion abstulit, quum animos concordie studiosos, et errantium tollerantes abstulit. Non continuò contra Dei uerbum pugnatur, quum non recipitur cuiuslibet interpretatio. Quam multa illi ipsi perperā in scripturis interpretati sunt quod etiam ex corum scriptis conuinci potest. Ab ieiunio

## SECTIO SECUNDA.

ciemus propterea eos? Absit: dum quidem in Deum fidem, et proximos dilectionem sincriter docuerint. In epistola quoque, quam eidem libro praefixit, haec uerba leguntur. Dum hi ergo, de quorum hostili nostri insectatione nil tale ab eis meriti, querimur, aliud in presenti nequeunt, alij quos Erynnis ista nondum adeo occupauit, sanior i omnia iudicio expendant, uidebunt indubie ista, quam aduersarij hac in re infatuunt, ratione, nihil aliud, quam Ecclesiam scindi, infirmos offendit, Euangelion reddi abominabile, et Christi nomen blasphemari, eoque nihil minus Christianos, quam ad istum agere modum decere.

Consideret quis Ecclesiam ab initio sui, quando unquam bene adeo habuit, ut non sicut peccatis sancti, ita et erroribus fuerint obnoxii omnes. Semper autem qui spiritu Christi recte instituti fuerunt, non minus errantes, quam peccantes tulerunt, qui modo in Christo salutis anchoram figerent, et Ecclesiam non scinderent: unus Deus siquidem docere sua potest, nos plantare quidem, et rigare, sed quod utrumque nihil sit, si ipse non adjiciat incrementum. Par igitur erit, si quem errare deprehenderimus, ut primum illum docendum Deo precibus offeramus, deinde ita moneamus, ut Dei nos ministros queat agnoscere, quod praestabimus, si summa id lenitate et humanitate fecerimus, nequam animum despondentes, si non illico succedat, quod Deus suum tempus in omnibus obseruet, neque deserere possit, qui ipsum timent. Huc nos prouocare debet, quod et nos labi possumus, quin  
sope,

## SECTIO SECUNDA.

102

sœpe, tum etiam, quum de fratribus errore nobis vide-  
mur quam certissimi, ipsi fœdè hallucinamur, illo ue-  
ritatem seculante. Ex quibus omnibus Buceri uerbis  
aperte patet eum non solum sœvitiam omnem in re-  
ligionis negotio improbase, sed etiam censuisse ne-  
minem esse abiiciendum, quidquid is in cæteris do-  
ceat, dummodo sinceriter doceat fidem in Deum, &  
in proximos dilectionem : imo omnes antiquarum  
etiam Ecclesiarū exemplo esse ferendos, qui in Chri-  
sto salutis anchoram figant, & Ecclesiam non scin-  
dant, præterea non omnino abhorruisse illum ab ea,  
quam isti uocant, nouorum academicorū seclam, qui  
dicat nos sœpe fœdè hallucinari alijs ueritatem se-  
ctantibus, de quorum errore nobis quam certissimi  
esse uidemur.

Wolfgangus Fabricius Capito, quem aduersarij  
inter præcipuos sue cause patronos nominant, præ-  
ter quam quod eius uerba, que ad stabiliendam sen-  
tentiam suam afferunt, illam labefactant, potius quam  
ulla ex parte confirmant, ut suo loco uidebimus, aper-  
tissima mentis sue testimonia reliquit, ab hac, quam  
ipse tyrannidem appellare non dubitauit, abhorrentis,  
ac palam professus est se certò credere, Euangelij lu-  
cem illam ueram, & perspicuam adhuc latere, &  
multiò maiora ijs, que iam patefacta essent, hac no-  
stra ætate Dominum reuelaturum, tantù abest, ut cen-  
suerit homines simpliciter ob dissidium in interpre-  
tandis diuinis oraculis à communi externalium Ec-  
clesiarum sententia, ciuili gladio puniri aut occidi  
posse.

## SECTIO SECUNDA.

posse. Videat lector ea, quæ scripsit in præfatione ad reginam Nauarræ in prophetam Hoseam, et in præfatione lib. Martini Cellarij de operibus Dei, & manifestè deprehendet, quid doctissimus ille vir hac de re senserit. Cuius auctoritatem, quia non parui facienda duximus, libuit hoc loco non multa ex prædictis duobus locis excerpta recitare, quæ scilicet lectorem ad cetera apud auctorem ipsum perlegenda accendere possint. Is igitur in præfatione in Hoseam sic ait. verbum Dei omnes quidem habemus, nam de uocatis Euangelistis loquor, sed scientiam non item, quando iuxta suum quisq; captum complitudinē spiritus moderatur, neq; quicquam patitur quod intelligentia sua mediocritatem superat. Et mox. His cuniculis noua subrepit Ecclesiastica tyrannis. ueteri adhuc superfite. Paullò autem inferius, Prouidendum est publicæ tranquillitatì, sed sic, ne prohibeamus prophetas, ne spiritus extinguumus, ne dona Dei in utilitate communem collata uituperemus. A lio qui cautio nostra inanis erit, & noxia sollicitudo carnis. Et paucis quasi per parenthesim interieclis, subdit. Quæ gignit orbi scilicet nouas conciliabulorum constitutiones, quæ noua episcoporum decreta, nouasq; leges Ecclesiasticas edicit, quæq; strictioribus cancellis ingenitæ Dei ueritatem concludere, atq; imperiosam in uerba magistrorum nostrorum coniurationem extorquere molitur. Ac postmodum. Nam, quia pastoris curam pertinaciter emulamur, damus operam, ut humano aliquo concilio, uaficieq; pericula longè præuertamus,

mus, ut uiam offendiculis uenturis undiq; obsepiamus, ut omnem dissidiorum materiam aliorum spirituum, intra modulu nostrae revelationis concludentes præscindamus. Hæc omnia, ut sunt prorsus humana, ita in contrarium sc̄pius uergunt, quia unitatem præpostere affectando odia inter electos grauiſſima confirmantur. Ac statim ferè. Et nos conseruatores ac patronos pictatis, quamquam aliò spectantes, argutè facimus, qui id existimationis magnis Cæsaribus, et pontificibus etiamnum inuidemus, atq; iure detrahimus: à solo enim Deo fides dependet. In altera autem Præfatione hæc leguntur de quibusdam magni nominis theologis. In quoru fidem (electorum) imperium modo sibi perperam uindicant, præiudicarcq; moliuntur spiritui sancto, quasi in ipsis energiam docendi totam exhaustisset. In eā iniquitatē intruduntur, tam à more sui, quam falsa illa persuasionē, qua putani summā se consecutos, quam Paulus tamen ingenuè fatetur se nondum esse consecutum, suaves scilicet homines scintillam ueritatis uix dum subgliscentem absolutam lucem revelationis esse asseuerant.

Et inferius de se ipso. Pleraq; partim cognosco tenuiter, partim prorsus ignoro, partim secus, quod peius est, accipio, doccoq; alios, quæ sint à spiritu sancto dictata. Mox autem. Quid igitur? Insaniam ne, propterea quod puer aliquis prodit me Rabbino tanto scientia spiritus instructior, qui quidem et possit et soleat omnia sincerius quā ego discernere atq; componere? Profecto haud seram inique. Et post non pau-

## SECTIO SECUNDA.

ea. Ergo et nostrum nomen, si quod est, et aliorum,  
quicunq; in pretio habentur, Dominus citò perdat,  
quò Christi sui gloriam, per quem, et in quo omnia  
reparantur, in apertum celerius perducat: quod, ut  
properè fiat, opto, Imò scio propediem fore, aut po-  
tius coram iam nunc uidere uideor, quam sint inglorij  
futuri omnes, quos uulgi uanitas laudibus uebit: et  
postremò ait. Hoc scimus, et scribimus tamen in præ-  
sentem duntaxat usum, dum usq; maiora Dominus re-  
uelabit, sicut hac ætate omnino reuelaturus est. Vbi  
ipse suos pascet, ac ducet depositis planè umbris in  
lucidissima ueritate: scientia enim Domini, sicut aqua  
opplebit terram, haec tenus parcus, et paucis ea con-  
tingit. Quid hic dicent nostri diuinæ glorie noui Ze-  
latores, et uindices, qui nihil se ignorare arbitrantur,  
et nouos academicos uocant eos, qui adhuc de multis  
dubitant, seu potius alios dubitare debere cōtendunt,  
eatenus saltē, ut ab ipsis dissidentes ferro et flam-  
mis non persequantur. Quidnam illis reuelatum est,  
quod tantus uir ignorauerit: Imò quid nam uniuersi-  
tæ Ecclesiæ, à quibus qui aperte dissident, hereticos  
censemus, in sua doctrina habent, quod Capitonis æ-  
tate, quum etiam hæc scriberet, esset incognitum.  
Quia igitur ratione, qua confidentia poterunt illæ di-  
uersum sentiētes inseclari, si huius præstantissimi uiiri  
prophetico, ut ego quidem arbitror, testimonio, per-  
multa illis adhuc desunt, ad eam diuinarum rerum co-  
gnitionem, quam Dominus in hac uita, et hac nostra  
ætate hominibus largitus est?

Sed

## SECTIO SECUNDA. 104.

Sed ad Lutherum uenimus, cuius omnia, quæ ex libello suo, de sublimiore mundi Potestate, ad sententiā nostram asserendā colliguntur, nihil ad rem pertinere contendunt aduersarij. Aiunt enim Lutherum non aliò spectasse, quam ut ostenderet cum à Magistris, tum à tyrannicis pseudoepiscopis grauiter in causa religionis peccari, neutros enim eorum ius babere condendas conscientie legum. At uero nos aliò etiam Lutherum spectasse censemus: nimirum ut conscientias hominum nulla ratione, nec quavis de causa ad fidem cogendas, neq; homines religionis causa nec andos doceret: quod quanquam librum illū legentibus aperte patere potest, (ad quem lectores remittimus) attamen quæ inde excerptissimus, inferius annotabimus: ex quibus tanti uiri sententia facile percipi poterit. Hoc unū dico, me in hac controuersia dirimenda, libenter Lutherum Palæmonis uice habiturum. Quem & ab aduersarijs minime reisciendum putarem, quū appellant eum, fortissimum Heros & (ut uere est) Christianæ religionis restauratorem.

Sed antequam eius, quæ nobiscum faciunt, dicta aggrediamur, expendendus est nobis eiusdem locus, quem secum facere putant aduersarij. Is igitur talis est: Oblatos hæreticos, & in uerum numen contumeliosos, atq; alios eas blasphemias docentes coercet. Praefactiores, atq; in errore contexendo contumaciores, ut certissimo plurium exitio, pro maleficijs puniendos suscipit. Hic primum de coercendis & puniendis fit mentio, de morte autem uerbum nullum,

## SECTIO SECUNDA.

namet si eos hæreticos appellat, in Deum contumeliosos, blasphemias dicentes, obstinatos deniq; quibus omnia in aduersariorum hæretici declaratione comprehensa contineri uidentur. Deinde neq; etiam de simplici hæretici punitione hic uerba fiunt, ad quam statuendam locum istum citant aduersarij. Lutherus enim in prima parte, ubi de simplici hæretico intelligere uidetur, licet id quoq; propter rationem, quam adducit, dubium sit, coercendi uerbo utitur, quod uerbum non raro puniendi significatione usurpatur, hic tamen propriam notionem, qua reprimendi, et prohibendi est, retinere uel ex eo apparent, quod in altera parte punitionis meminit, in qua de simplici hæretico minime intellexit, id quod manifestum faciunt illa uerba. Pro maleficijs. Lutheri igitur sensus est, ut iij hæretici, qui in Deum sunt contumeliosi, et alios easdem blasphemias docent, si in aliud uitium non prorumpunt, cohibeantur tantummodo, et reprimantur. Sin uero præfractione aut contumacia sua aliquod præterea scelus, uel perpetrauerint, uel ausi fuerint, pro delicti qualitate puniantur, quod, ne longiores simus, nisi eum sibi ipsi aduersari uelimus, ex infra scriptis locis, quos ex eius scriptis ad sententiā nostram corroborandam decerpsumus, luce clarius omnibus patet, reliquis omisissis, quæ ex hoc eodem loco pro interpretationis nostræ confirmatione elici potuisset. Primum igitur inquit, postquam enim sublimiorem mundi potestatem in hoc terrestri seculo necessariā esse ostendimus, mundanumq; Magistratum:

## SECTIO SECUNDA. 105

tum: & quo pacto Christianè, & rectè, eo utendum sit: continuò docendum est, quoduscq; eius potestas extendatur, quamq; latè patet, ne forte plus aequo pro-grediatur, atq; in Dei regnum & principatum imperium faciat. Sed illud primum sciendum est, quoniam utring; periculum imminet, & detrimentum, si uel latius se effuderit, uel arctius, quam par est, contrahatur. Tametsi tolerabilius sit, si minus diffundatur, quam si nimis, præstat enim solum impunitum dimittere, quam insontem punire: quando mundus improbis prorsus sciat, quibus carere non potest: honorū autem copia destituitur.

Et inferius, Animis enim, nemo aut debet, aut potest aliquid precipere, qui uitam, quæ dicit ad uitam, eis commonistrare non nouerit. Id uero nemo præstare potest, præter solum Deum: Vnde in ijs quæ pertinent ad animam, nihil docendum est, aut suscipiendum, præter Dei uerbum purum & æternum. At paulò post: quid, inquit, quod potestas quævis ibitantū agere debet & potest, ubi uidere, agnoscere, iudicare, sententiam ferre, addere, & mutare potest? Nihil enim debet esse certius iudicio: in quo omnia clara, explorata, meditata esse debent. Animu uero, & cor dis recessus, & arcana solus Deus nouit: qui solus, Act: 10. leprosus appellatur: cui uates ad stipula tur multis in locis. Ex quo sequitur, uanum, & arrogans esse imperare, aut uelle ui cogere quenquam, ut sic, uel sic credat, aut teneat. Quando uiolentia nihil proficitur, est alia via tentanda. Horum stultam inse-

Non sunt  
ergo susci-  
piendæ mi-  
næ terro-  
res, gla-  
dius deni-  
que.

## SECTIO SECUNDA.

Tertull: *Opinione tangit.* Lentiam non satis mirari possum, qui, quum omnes fateantur Ecclesiam nihil iudicare de occultis, ipsi tamē conantur tam arcana, tam diuina, qualis est fidēs, iudicare, statuereq; iam, & cuius suum discrimē est quomodo credat: sibi enim uidendum est ut recte credat. Ut nemo enim uenire potest pro te uel in cœlum, uel in orcum, sic nemo credere potest pro te, aut

*Idem Laet:* non credere. Et ut in nullius est potestate tibi coelum, superius. aut Inferos aperire, uel claudere, sic nemo te ad fidem, uel infidelitatem cogere potest. Itaq;, quum positum

Nō sicut occidi de benē non credentes. *Lactantij dictum.* sit in sua cuiuslibet conscientia quomodo credat, uel non credat, ut nihil detrahatur mundanæ potestati, ipsamē esse pacata, & suarum rerum curam gerere debet, ac cuiilibet simul permettere, ut credat quomodo uelit, aut possit: neq; ad credendum quenquam impellere. Nihil debet esse tam liberum, quam fides, & religio: ad quam nemo potest ui adigi: utpote quæ sit opus diuinum in spiritu sancto: tantum abest ut humana uis illo modo possit efficere, aut exprimere.

Hinc illud uulgatum Augustini, *Ad fidem nemo nec debet, nec potest cogi.* Ad hæc miseri, cæciq;, quam etum confirmat, *violentia hypocrisia pariat.* uani, & irriti sint eorum conatus non uident. Quantum enim, siue præcipiant, siue insaniant, non tandem ultra cogere possunt mortales, quam ut eos ore manuue sequantur. Cor enim nequeunt impellere, etiam si rumpantur: ut uerum sit quod uulgo iactatur, liberas esse à uectigali cogitationes. Quid ergo cogunt homines, ut corde credant, quum ipsi perspiciente non posse fieri? Et paullò post his uerbis concludit,

multò

multò facilius erat finere subditos simpliciter à sco-  
po aberrare, quām impellere ad mendacium, & ad  
istas coactas confessiones.

Hic nō fallor palam fiet, an Luth: hoc libello tantū  
obiurgare uoluerit aliquot Principum interdictum,  
quo suę noui foederis uersio[n]is lectionē inhibuerant,  
(ita enim dixerunt aliqui) an potius conscientiae quo-  
que libertatem asserere, & fidem, & religionē nul-  
lomodo cogendam assuerare. Sed inferius ait, Rur-  
sum obijcias, Neminem secularis Magistratus com-  
pellit ad fidem, & religionem; sed curat tantum, pro-  
hibetq; ne homines à uero praua doctrina abducantur.  
Respondeo, non principes, sed Episcopi, quibus  
demandatum est à Deo huic rei debent inuigilare. Nā  
heretici non possunt cohiberi ulla externa ui: quare  
alia ratione cum eis agendum est, quām gladij seue-  
ritate. Dei uerbo hic res est gerenda. Quo si nihil  
proficias, frustra mundana uis adhibebitur, etiamsi  
omnia crux repleas. Hæresis est quiddam spirituale,  
quod nullo ferro dissecari, nullo igni consumi, nulla  
mundana aqua elici, aut submergi potest. Vno Dei  
uerbo potest secari, exuri, & submergi; D. Paulo te-  
stante, Arma militie nostræ non carnalia sunt, sed po-  
tentia Dei, &c. Et paulò p[ro]st, uide igitur, inquit, quā  
bellè Domini isti prudentiam suam produnt. Hæresim  
propulsare uolunt, nec tamen quicquam tentant, quā,  
ut aduersarios corroborent, se suspectos reddant, illos  
uero iustificant. Quod si hæresim cupis abigere, opor-  
tet te eo stratagemate esse instructum, ut primum

## SECTIO SECUNDA

omnium eam è corde diuillas, & redditis causis uoluntariam amoliaris. Violentia uero tantum abest ut propulses, ut etiam magis corrobores. Quid ergo prodest, si hæresim in corde confirmes intus, in lingua uero solum debilitates, & ad mentiendum cogas?

Idē Brent: inferius.  
Ies:11.4\*

Quod si aggrediaris Dei uerbo, eo cor illuminabitur: ex quo deinceps sua sponte elabitur quicquid est uel hæreseos, uel eroris. De hac uia hæreseos amoliendæ intellexit Iesaias, quum ait, Percutiet terram uirga oris sui. Hic enim docet impij controversiant absolui uerbo, & spiritus energia. Atq; (ut omnia semel complectantur) Principes, & tyranni huius mundi ignorant, pugnare aduersus hæresim, nihil aliud esse, quam configere cum Satana: qui tenet corda obfessa, ut testatur Paulus, inquiens, non est nobis lucta aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principatus, potestates, dominationes seculi huius, aduersus spiritualem nequitiam in cœlestibus. Quamdiu ergo è corde non euellitur, & abiicitur Satan, perinde est illi, si uasa eius ferro, aut igni perdam, ac si fulgur culmo impugnarem: quemadmodum lobus testatur, quum ait, ferrum instar straminis à Satana reputari: utpote cuius violentiam nihil pertimescat. Etsi necarentur omnes Iudæi, & hæretici, aut affligerentur, nemo tamen ideo uincitur, aut ad Deum conuertetur. Hæc Luth: in lib: supra notato, De subl: Mun: potest: Quod si cui ex ijs, que inde excerpsumus, nō satis compertū fuerit pius hunc Doctorem hæretici mortem improbare, & ex uerbo Dei penitus ejuscere, ea legat, que in

Eph:6.12.

Iob:4.18.

Ziza.

Zizaniorum parabolam scripta reliquit. Ait enim: Luth: Zizaniorum  
 proximum docemur quomodo habere nos debeamus erga illos hæreticos falsos doctores: non enim eos extingueret, & excindere oportet. Aperte enim hic Christus ait, finite crescere utraq; : solo Dei uerbo Nō igitur contra eos agendum. Ita enim hac in re eueniare solet, igni ferro ut qui hodie erret, cras poscitredire in viam. Quis enim nouit, quando Dei uerbum cor cuiusquam tracturum sit ? Si autem exuratur, uel alias tollatur, impeditur ne poscit in viam reduci: uerboq; Dei subducitur, ut perire cum necesse sit, qui alias potuisset ab errore liberari. Tunc euenit quod Christus hic uult caueri: nempe triticum simul cum Zizanijs euellitur: id quod horrendum peccatum est coram Dgo, neq; unquam poterit excusari. Hinc uero uide, ut male sanii hactenus fuerimus, qui Turcas bello, hæreticos igni, iudeos necis metu, & alijs iniurijs uoluimus ad fidem compellere, & Zizania nostris uiribus euellere: ac si nos ij essemus, quibus potestas esset in corda, & spiritus: & in nostra manu esset ad iustitiam, & pietatem hominem reuocare. Quod si Deus non facit, manet perpetuo infectum. Nos isto pacio potius homines à uerbo auellimus, eos perimendo, ne possit in eos aliquid operari. Et duplicit necis, quantum in nobis est, nos reos constituimus: corporis, quod perdimus morte temporaria, & animæ, quam in gehennam detrudimus, morte afficientes æterna. Postea iactamus obsequium nos præstissime Deo, ac peculiare nobis pollicemur in cœlo præmium. Iure igitur de-

## SECTIO SECUNDA.

bebat hic locus inquisitores hereticorum, & homi-  
cidas, qui ob errorem quemlibet, qui ipsis uidetur,  
homines adeò facile mactant (si non eſſet illis frons  
ferrea) etiamſi quando ueros hæreticos in manibus  
haberent, planè perterrefacere. Et inferius de seruis  
Patris fam: uerba faciens, inquit, uerum antea id que-  
runt à Domino per ardentes preces, spiritu seruent.  
Is iunc respondet, Zizania illa non eſſe euellenda:  
hoc eſt & equanumiter falsos doctores illos ferendos. &  
blasphemias illorum tolerandas: causamq; ueritatis,  
& sincerae fidei: horum deniq; iudicium sibi per-  
mittendum.

At Brentium quoq; in partes suas arripere conan-  
tes, cuius tantummodo uerba citant, quibus Magistratū  
religionis curam gerere debere ostendit: quibus con-  
cludit, Magistratui maximoper huic rei eſſe incum-  
bendum, ut uerbum pacis, & non seditionis, summa  
qua fieri poſſit diligentia annuncietur. Id quod (ut  
diximus) à nobis nō negatur. Sed mirum proſecto eſt,  
ut aduersarij, ſi modo syllabam ex quo uis scriptore ex  
cerpere poſſunt, que ſententiam ſuam roborare po-  
ſſe confidant, diligenter, ac magnificè quidē eam pro-  
ducunt, obolum pro talento erogantes. Quod si idem  
ſcriptor, non syllabam modò, aut uerbum, ſed longos  
ſermones habuerit, quibus eorum ſententia infirme-  
tur, noſtra aſſeratur, oſcitantes conuent, aliasq; res  
agcre uidentur. Hoc autem ut in Musc: Erasm: &  
Luth: probè fecerunt, eorum ſcripta citantes, ita in  
Brentio appellando optimè prefliterunt: Nam ciuſ  
uerbis

uerbis quorum modò sententiam retulimus adductis,  
 in quibus neq; de occidendis, neq; de puniendis hæ-  
 reticis aliquid dicitur, totum id præteriēre, quodde  
 fide non cogenda, deq; hæreticis non necandis neq;  
 puniendis latè fuseq; scriptū reliquit, in eo libello, de Eras: ad  
 quo mentionem faciens Erasmus ait: cur ex me uno fra Ger.  
 citauit aliquid, quum Io: Brentius toto libello nihil inf.  
 aliud agat quam de non occidendis hæreticis? Cuius  
 magnam partem ideo his nostris attexere uoluimus  
 (quod & quo animo ferant pij Lectores) quia tam am-  
 plè, tam appositè locum hunc pertractat, ut omnium,  
 quæ supra scripsimus quasi argumentum, aut epilo-  
 gus uideatur. Is igitur excutiens an Magistratus iure  
 Nabaplistas aliosue hæreticos occidere posse, ita  
 fatur: Principiò duplicita sunt peccata, siue scelera ani-  
 maduersione digna. Et primum quidem peccata sunt  
 spiritualia: deinde, quæ uocant secularia. Inter spiri-  
 tualia numerantur, incredulitas, desperatio, pusilla-  
 minitas, peruersus sacræ scripturæ intellectus, hære-  
 ses, occultum odium, & inuidentia, alienorum bono-  
 rum concupiscentia, aut etiam proximi thorii appe-  
 titus: præterea omnia alia, quæ coram Deo peccata  
 censemur: quæ quanquam fieri solent, nihil tamen  
 communi, & civili tranquillitati officiunt. Seculari-  
 bus peccatis hæc adnumerantur, proditio, homicidium,  
 latrocinium, furtum, adulterium: adhæc quecunq;  
 alia flagitorum reliqua sunt, pacem, & communem  
 tranquillitatem perturbantia. His duplicitibus pecca-  
 tis puniendis duplē quoq; Deus instituit & pos-

Brentius.

## SECTIO SECUNDA.

nam, & gladium: uidelicet spiritualibus spiritualem:  
quod est Dei uerbum; secularibus uero, & externis  
secularem, nempe Cæsar is gladium. Etenim unum-  
quodq; peccatum eo instrumento puniendum est, quo  
coerceri potest. Iam spirituale peccatum subtile est,  
& gladius Magistratus adeò crassus, & carnalis, ut  
multò uehementius eo corroboretur heres is, quam  
debilitetur. Neq; spirituale peccatum adeò malam fa-  
ciem præ se fert, ac homicidium, & latrocinium: sed  
incedit quadā pulchra honestate, & prudentia exor-  
natum. Quippe nulla incredulitas est adeò mala, qua  
non suas causas habeat, & honestum aliquem præ-  
textum, & faciem. Neq; ulla heres in tantum falsa  
est, quæ semet non studiosissime sacrarum literarum  
subsidijs, atq; testimonio comat. Quapropter si gla-  
dio incredulitatem, & nudas hereses coercere ueli-  
mus, nihil aliud agemus, quam Diaboli conatum iu-  
uerimus, ut subinde maiori tragediæ rem deteriorem  
faciat. Ad hunc enim modum de illo in Hiob memo-  
rie proditum est: cap: 41. Qum apprehendet eum  
gladius, sustinere non poterit, neq; hasta, neq; thorax:  
reputabit quasi paleas ferrum, & quasi lignum pu-  
tridum æs, non fugabit eum uir sagittarius. Porro  
tum demum uiclus in fugam uertitur, quando uerbo  
Dei impeditus fuerit, ac eius imposture, ac mendacia  
reteguntur, & propalam confutantur: & sic non  
amplius potest consistere. Nam quando cumq; Diabo-  
lus per suos concitato bello ueritatem impugnauerit,  
sicut fieri solet incredulitate, & heresisibus, nullare  
pugna.

pugnatione, & reluctancee opus est, quam ut pro-  
 palam eius insidiosæ fraudes, & malitiosæ seditiones  
 detectæ indicentur. Et enim pater mendacij, & luci  
 inimicus. Quocirca quamprimum lux ueritatis addu-  
 eta fuerit, tenebrarum principi fuga arripienda est,  
 non ualenti subsistere. Iam uero mundano gladio non  
 eduis est & potentia, ut quantum ad uim suam atti-  
 net, occultum aliquod malum, aut uitium, uelut aper-  
 tum coarguere, & planum facere possit. Neq; occul-  
 ta iniquitati suam apertam, & formosam honestatis  
 faciem detrahere potest. Sed quo fortius eam impu-  
 gnauerit, tanto magis crescit honesti facies. Ex hoc  
 fit, ut increduli, et heretici externa, & nuda inseclati-  
 one tantum uchementius in errore suo confirmen-  
 tur. Nam, quum eorum opinio ratione, & causis ca-  
 rere non uideatur, sitq; sacris litteris, ueruntamen fal-  
 so intellectis exornata, nec illorum prauus & male  
 sanus intellectus diuinæ gratiæ inopia satis clare con-  
 uinci potest, fit, ut in eam sententiam ueniant, & ani-  
 mū persuasionem, ut putent se iustitiae, & uerbi Dei  
 nomine inseclationem perpeti. Ex quo deinceps ori-  
 tur quedam infrausta pertinacia, & in omnibus cru-  
 ciatibus, & tormentis constans perduratio: quæ qui-  
 dem sibi ipsis est exitio, alijs uero eorundum constan-  
 tiā uidentibus, aut audientibus seductioni.

Neq; uero est hic silentio prætereundum buius rei  
 illustre exemplum. Nam superioribus annis, ad hereti-  
 ci cuiusdam in flammis constantiam (ut ex fide di-  
 gnis accepit) plures ex astantibus sane doctrinae uiri,

## SECTIO SECUNDA.

non posse id sine Dei spiritu fieri persuasum habentes, ac propterea hæreticum martyre esse planè credentes, eius hæresim pro ueritate amplexi, in fide naufragium fecerunt. Nam quemadmodum ad martyris spectaculū etate nostra soepe uidimus, infideles exemplo monitos Euāngelium recepisse, ita plerumq; fit, ut ad hæretici in morte constantiam & hæretici in errore confirmentur, & Orthodoxi hæresim amplectantur. Hoc scilicet Ecclesiæ (si Dcō placet) ex hæretici morte lucro apponitur. At pergit subinde Brennius.

Quapropter hæc compendiosissima, & optima uia est hæreticos impugnandi, ut tantum Euāngelio, & lacræ scripture hoc duellum aduersus hæreticos committatur: per quod adeò solum hæreticorum honesti prætextus produntur, & illius manifestatione submoventur. Præterea æquè promptum est incredulis, & hæreticis coram mundo uirum probum, & integrum referre, atq; reclē credentes. Quare, si non uacant homicidio, si non latrocinantur, non furantur, nullo se contaminent adulterio, nemini uim inferunt, sed pacatè uiuunt in ciuilibus, & externis ordinationibus, soluunt quod cuiq; debuerunt, censum cui census reddendus est, timorem cui timor, honorem cui honor habendus est, sicut Paulus ad Rom: scribit: tum nihil iuris aduersus illos Magistrati relinquitur. Paulus enim dicit, Magistratum ministrum esse Dei, et uindicem in iram ei, qui male agit. Quæ uerba de malis & externis hominum actibus, & non de spiri-  
tuali

tuali incredulitate sunt intelligenda. Homicide, latrones, & aperte facinorosi Magistratus poenis plectendi sunt.

Hic autem notandum est, Brentio, si quis hereticus errorem suum publicè profiteatur, si doccat, si scribat, si obstinate opinionem suam retineat, non censi inter externa acta, ac facinora à Magistratu gladio vindicanda, alioquin hoc loco cum alijs externis actibus ea quoq; adnumerasset: Satis enim superq;, non semel tantum, sed bis declarauit, quæ sint mala hominum externa facta, quæ eos ciuili gladio obnoxios reddant, sedulò ea sigillatim enumerans, & inter duo errorum genera distinguens. Atqui iterum pergit, & inquit, Porro increduli, & heretici, qui alioqui honestè, & inculpatè uitam exigunt, Euangelij supplicio, & Dei, post hanc uitam destinati sunt. Inde Christus Matt: 13. suis discipulis præcepit, ne Zizania eradicarent, sed sinerent utraq; simul excrescere usq; ad messem, &c. Quibus uerbis illud innuere uoluit, ne Christiani incredulos, & hereticos qui hoc loco uocantur Zizania carnali gladio conarentur è medio tollere: sed aduersus eosdem spirituali pugnarent, donec appetat messis tempus, & tunc iustum poenam, si non conuersi à prava sententia discesserint, inuenient. Nam si quis ob incredulitatem, & heresim statim morte multandus esset, ille non corporali solùm uita priuaretur, sed de animæ quoq; salu Loli in tri- te in discrimen ueniret. Potuisse enim fortasse in item verpore, repudiata incredulitate, et errore pristino abie-

Servos ho-  
mines, Zi-  
zania hæ-  
reticos esse  
intelligit.

De animæ  
discrimine  
Musculo,  
& Lutheru-  
adstipula-  
tur.

Loli in tri-  
ticum ver-

## SECTIO SECUNDA.

Magistratus haereticorum resipuisse, & adueram fidem conueriti: qua in rebus tyranneis necantibus, post unam, atque alteram correptionem deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit, qui sit proprio iudicio condemnatus. Hic non dicit Paulus: hominem haereticum flammis concremandum, aut gladio occidendum: sed quum noluerit cum alijs recte, & sane sentire deuitandum esse. Sed dicet aliquis, Christus, & Paulus etiam homicidam, & adulterum resipiscientem recipiunt, nec quenquam sui officij nomine morte puniunt: quodcumque tandem facinus, seu grande, seu modicum admiserit. Respondeo, uerum esse: Euangelium nullum peccatorem morte afficit. Verum quamdiu aperte peccant, uitiosis operibus indulgentes, excommunicati rejiciuntur ab Ecclesia, ac pro Ethnicis, & publicanis reputantur. Vita uero per poenitentiam emendata, iterum in Christianam communionem recipiuntur, atque pro Christianis agnoscuntur. Interim tamen Euangelium Magistratibus suum permittit officium, quatenus sui munericis terminos non excedat, sed in ordine legitimo permanferit, & puniat quicquid illi puniendum iure concessum, permissionemque est.

Ceterum si gladius extra sui iuris terminos fertur, & latius quam a Deo ordinatum est puniendo progressitur, uolens id quoque irrogata pena corripiere, quod solo Euangilio, & uerbo Dei corripiendum est: cuius generis est incredulitas, & haeresis: Sane hic plus

SECTIO SECUNDA. iii

plus malorum dare potest, quam pacem, et tranquilitatem retinere: Seq; tantummodo per hoc facit habetorem, dum uidenter alieni operis, et officij executionem sibi uendicat, in alterius meſsem falcam suam (quod aiunt) mittendo. Et quantum ego conieclura auguror, Anabaptistarum hæresis nulla alia re perinde corroborata est, atq; promota, quam Magistratus: qui actulum citra uerbum Dei, et sacrae scripturæ expositionem tyrannice aduersus eos sævierunt. Nam dum spirituali uitio iniusta poena occurrere co[n]ati sunt, et ius gladij latius, quam par, aut concessum erat pretendere, propter abusum, et tyrannide gladij Dominus Deus noster exarsit iracundia, atq; in supplicium hominum Diabolo subinde magis atq; magis sæuire permisit, semperq; efficacius suum terrorē excitare, et constabilire. Adeò ut corporalis illa poena, et correptio parum fructus uulgo attulerit, paucis, aut potius nullis ad animi resipiscientiam pertractis, sed multò uehementius errorem auxerit, et promouerit: quando Anabaptismi negocium nullum externum, aut mundanum flagitium esse constat, uerum saltem internum, et occultum errorem scripture testimonijs suffultum. Ex his iam dictis clarè li- deret, scri- quet, et abundè demonstratum est, incredulitatem, et pturæ testi hæresim, quamdiu citra aliorum facinorum accessionem nuda permanserit, solo Dei uerbo puniendam es- fultū. Sed se. At si in opus aliquod malum, et perniciosum cru- perit, aut certè alicuius seditionis concitatæ, aut spiritalis homicidij perpetrandi causam præbuerit, aut alioqui est error.

sc.

Occultum non ita ac-  
cipiendū  
est, ut extra  
non appa-  
reat. Nam  
frustra ad-  
deret, scri-  
quet, et abundè demonstratum est, incredulitatem, et pturæ testi hæresim, quamdiu citra aliorum facinorum accessionem nuda permanserit, solo Dei uerbo puniendam es- fultū. Sed se. At si in opus aliquod malum, et perniciosum cru- perit, aut certè alicuius seditionis concitatæ, aut spiritalis homicidij perpetrandi causam præbuerit, aut alioqui est error.

## SECTIO SECUNDA.

En tibi ve- sceleratæ et uitiosæ uitæ, occasionem induxerint; stes quibus tum primum in gladij potestatem punienda incidentur. nuda hære- de quibus non alta ratione sumendum est supplicium. tis indui- quam de seditionum authoribus, aut homicidis, aut a- tur. Non lijs facinorosis sumi solet: posteaquam per incredu- autem oris los, et hæreticos in leges ciuiles flagitiose peccatum confessio, est. Imò non secus ac alius quispiam priuatus homo, prædica- qui sub praetextu fidei incedens, seditionis, aut cædis, tio, pro- aut aliorum puniendorum facinorum caput extiterit, mulgatio. supplicio afficitur. Breuiter, incredulitas, et hæresis non ciuilis, sed spiritualis gladij poenis subiecta sunt. Et inferius inquit, Ad hec, si hæreui ciuilem uolentia essent exterminandi, aut possenti ui profligari, quorsum opus esset sacris literis nauare operam, quum hac in re constaret, carnificem doctorem esse omnium litteratiuum?

Lex Mo- His opponitur lex mosaica Deut:13. Si surrexerit taica Deut: in medio uui Prophetae, aut qui somnium uidisse di- 13 à Bren- cat, &c. Et mox in eodem capite, si tibi uoluerit per- tio expen- suadere frater tuus, &c. Hæ sunt due leges Mosi, qui ditur.

Idem ait Althme- rius infe- rius: idem quod Acont. eius, ad alienum Deum, et mendacia, simplicium ani- mos adducere. Verum longè alia ratio est puniendo hæreticos in Christianismo, atq; olim fuerit in Iudaismō. In Iudaismo erant externæ et corporales pro- missiones, corporales benedictiones, corporalis ter- ra, corporale Regnum, et sacerdotium. Erant etiam externæ

## SECTIO SECUNDA.

112

externæ & corporales hostium cædes: quæ res signa  
erant & figura rectæ uirtutis in Christianismo mani-  
festandæ. Quamobrem, quemadmodum corporalis  
illa iudeorum benedictio figura fuit Christianis spiri-  
tualis benedictionis, & corporale Regnum spiritua-  
lis Regni fuit Symbolum: ita quoq; externa illa Cha-  
nanæorum, & Iebusæorum cædes, seu internatio, &  
pseudodoctorū monstrat, & significat, ut Christiani  
ratione spirituali hostes suos, nempe peccata, prete-  
rea falsos doctores, & seductores occidant: uidelicet,  
ut peccatum in corpore spiritu dei opprimant, et se-  
ductoribus in fide sua non adhærent: Sed, quemad-  
modum Paul: inquit, eosdem deuident. Hoc idem in-  
nuit quoq; Christus, ubi Matt: 18. sic loquitur, Ab-  
scinde cum, & proifice abs te. Quæ uerba nendum ad  
corporalem pedem, & manum, sed spiritualem quo-  
que, nempe doctores, amicos, socios respiciunt, &  
referenda sunt. Neq; de externa membrorum ampu-  
tatione, sed spirituali loquitur: ut hic uerborum sen-  
sus sit, quod si tibi prædictor, aut amicus, aut adiutor  
fuerit, & ille tibi erronea doctrina erit offendiculo,  
aut perdita, & mala uita te seduxerit, non adhibebis  
illi mentem, sed illum amputato: hoc est, eius consor-  
tium deuita, ac temet ab eo segregato. Quin etiam sit  
tibi perinde ut Ethnicus, & publicanus. Et hæc spi-  
ritualis deuitatio, aut nos offendentis abdicatio, per  
corporalem pseudoprophetarum interfectionem in  
lege indicata est. Fuere quoq; in lege Mosaica coactæ  
quædam corporales cæmoniæ, & cultus Dei, quo-

Q

## SECTIO SECUNDA.

rum negligentia certis poenis puniebatur: ueluti legitur Gen: 17. Masculus, cuius præputij caro circumcisæ nō fuerit, delebitur anima illius a populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Et Num: cap: 4. Moses quendam populo lapidandum obijciebat, qui Sabato ligna collegerat. Porrò in Euangelio libertas quedam poenarum, siue utilitatis proposita est fidei, seu incredulitati: cuius loco successit spiritualis utilitas, seu poena: ueluti Christus inquit, qui crediderit, saluus erit, qui non crediderit condemnabitur. Sed dicet aliquis, Esto, ut Euangelico, siue prædicandi officio demandatum non sit, hæreticos corporali supplicio afficer. quū ei officio non nisi spiritualiter punire concrediuum sit: Magistratus tamen interest poenam hæreticis infligere. Responsio, Cuiusq; Magistratus officium (ut iam dictum est) non latius protenditur, quam à Deo ordinatum est. Quare si quis incredulorum, aut hæreticorum externa conuersatione uitam integrè, & honestè coram mundo traducit, nihil peccans in ciuiles constitutiones, nihil iuris puniendi in illum habebit gladius. Quid enim ad Magistratum attinet incredulitas, aut hærcsis? Curet potius, ut pacem in mundo conseruet, & externam morum honestatem; nec se ci rei admisceat, que nihil ad se pertinet. Estq; res periculoæ (quod aiunt) aleæ, quando Magistratus assueuerit ferro, aut igne ullam aliquam fidem insectari. Nam tameisi nonnunquam prauam fidem perseguitus fuerit, attamen sic fieri posset, ut illorum successores insectationibus iam assueti, uera fidem

## SECTIO SECUNDA.

113

fidem pro falsa insectarentur : quemadmodum cum  
Arrianis hæreticis actum esse accepimus. Siquidem  
eo tempore Episcopi suis suasionibus hic induxe-  
runt Rom: Imperatorem, ut passim Arrianos perse-  
quitionibus premeret, atq; extingueret. Tandem quie  
aliquot Imperatores insectandi rationem multa assue-  
tudine sibi peculiarem fecissent, ac nonnulli ex corū  
successoribus ab Arrianis fuissent persuasi suam opi-  
nionem ueram esse, incipiebant rectè credentes, &  
rectè docentes Episcopos insectari, hæreticos summo  
studio tueri. Quamobrem longè tutissimum est, &  
certissimum, ut ciuilis Magistratus suo fungatur offi-  
cio, si natq; spiritualia peccata, etiam spirituali sup-  
plicio plecti. Multò enim tutius est, & præstabilis,  
ut quater, aut decies falsa fides toleretur, quam ut se-  
mel uera fides insectationem patiatur. Iam, ut ab hæ-  
reticis in genere iterum orationem meam ad Anaba-  
ptistas conuertam, dicunt pleriq; Anabaptistarum se-  
ctam non esse simpliciter malam hæresim, sed habere  
multa adiuncta, ex quibus in Magistratus supplicium  
labatur. Docere enim eos quomodo facultates omnium  
communes habende sint: qua ex re fortasse originem  
trahere possit seditio, &c. Ceterum huius doctrinae  
gratia nullo iure de Anabaptistis potest sumi suppli-  
cium. Nam quamdiu non docent, homines ad rerum  
communionem, & aequalm distributionem adigen-  
dos esse, neq; ipsi alios uiolenter ad id compellunt,  
neq; cum illis uiolenter agendum est.  
Et paulo post ait, quo circa ad hanc erroneam Ana-

Q 2

## SECTIO SECUND A.

baptistarum intelligentiam amica, & Christiana per-  
tinet institutio, & admonitio, & nullius gladij sae-  
tia. iam si persuasi institutionem nostram receperint,  
nos aliquot Christianos lucrati sumus, estq; noster nu-  
merus auctior factus. Sin nostram admonitionem con-  
teperint, relinquendi sunt suæ uestanie, et pro Ethni-  
cis, & publicanis reputandi. Verum ne sic quidem  
Magistratus interest cuiquam inferre manus, donec  
errantes non in fide solum errauerint, uerum capi-  
talia flagitia externe designauerint.

En iterum  
vestes nu-  
dam hære-  
sim uestien-  
tes.

At inf. imperiales leges fusius expendens, ita fatur:  
Sed est ne propterea lex ista pro sancta, & incul-  
pata reputanda, quæ sanguinolentorum Episcoporu-  
m instinctu condita fuit? An non potius illud hac in re  
reficiendum fuerit, quid Christianum Magistratum  
deceat, quam quid violenta tyrannide extorqueri pos-  
sit? Multi enim magis Christiano Magistratu*m* con-  
uenit, ne tam sit sanguinis cupidus, atq; ethnicorum  
esse solet. Conuenit quoq; illi, ut etiam ueluti Chri-  
stianus, animarum saluandarum curam agat, & non,  
ut tyrannus semper rem gerat saeuitia.

Hæc nos ex Brentio ad uerbum excerptimus, tū,  
ut aperte constet eius de fide non cogenda, deq; hæ-  
reticis non occidendis opinio, tum uero, ut appareat,  
quæ illius quidem sententia, sint illa facinora, quæ nu-  
dam (ut appellat) hæresim uestiant, & hæreticum ci-  
uili gladio subiçiant. Etenim aduersarij, eum in par-  
tes suas rapere cupientes (ut egomet his auribus ali-  
quot assuerantes audiui) afferunt, eum pro nudahæ-  
resi

res à Magistratu non punienda, animi tantum sim-  
plicem sententiam intellexisse. Quicquid autem ex-  
trahens egerū hæreticus, ad publicam pacem, &  
tranquillitatem perturbandam pertinere, & conse-  
quenter eum ciuili gladio subiciendum. Utq; hanc  
eius sententiam esse probent, eiusdem infra scripta  
uerba obtrudunt, uidelicet, Magistratus gnauiter dent  
operam, ut pacatè, & honestè concordes uiuant. Nam  
qui aduersus communem tranquillitatem, & Magis-  
tratum peccauerit, siue baptizator siue rebaptizator  
fuerit, ille meritum supplicium ab illo suffferendum si-  
bi non ignoret. Hic primum si Brentij uerba, Baptiza-  
tor, & rebaptizator expenderis, aperte cognosces,  
cum non de hæretico tanum uerba facere, sed de  
omnibus publicā tranquillitate perturbantibus. Nam per  
baptizatores orthodoxos, per rebaptizatores hære-  
ticos intelligit. Quocirca eius sententia est, eos omnes,  
qui non pacatè, honestè, & concorditer uixerint,  
quales quales sint poenas datus. Quare nihil ex ijs  
uerbis aduersus hæreticos, ut hæreticos, elicere pos-  
sunt aduersarij. Sed ex quo melius hoc cognosci po-  
test, quam ex uerbis quæ ab ipsis citata præcedunt  
quibus sententiam suam de Anabaptistis concludens  
Brentius, inquit, quamobrem Magistrati supplicij  
seuitia erga simplices Anabaptistas, mitiganda, &  
tollenda est: ac eos Euangelio puniendos relinquat.  
Anabaptistæ quidem rebaptizatores sunt: Sed à Ma-  
gistratu non hanc ob causam puniendi, nisi hæresi fa-  
cta pacem, & publicam tranquillitate perturbantia ad-

## SECTIO SECUNDA.

inungant. Quare operæ premium est uidere, quid sit Brentio, aduersus communem tranquillitatem & Magistratum peccare. At ne suspecti simus, ipse loquatur. Spirituale peccatum (inquit ille) non adeò malam faciem præ se fert, atq[ue] homicidium, et latrocinium; Sed incedit quadam pulchra honestate, & prudentia ornatum. Quippe nulla incredulitas adeò mala est, quæ non suas causas habeat, & honestum aliquem pretextum, & faciem. Neq[ue] ulla hæresis est in tantum falsa, quæ semet non studiosissimè sacrarum literarum subsidij comat. Iam, quia dicunt, Brentium de ea tantum hæresi agere, quæ ita sit nuda, ut in nullum opes malum, & perniciosum erumpat: que quidem errori potius, quam hæreseos nomen mercatur: ex ijs eius uerbis apparet, an de ea tantum hæresi intelligant, quæ in mente occulta lateat, nec externè re ipsa palam fiat. Si enim aliquam præ se fert honesti facie, si prudentia, & honestate ornata incedit, si se scripturis studiosissimè defendit: iā non latet in corde, sed in externa facta crumpit: que quidem facta satis constat ea non esse, quæ Brentio nudam hæresim uestire dicuntur. At interim eam cum homicidio, & latrocinio conferens, ait, præ illis non adeò malam facie præ se ferre. Quum uero paullò post inquit: quapropter si gladio incredulitatem, & nudas hæreses coercere uelimus. &c. quid aliud est incredulitate, et nudas hæreses coercere, quam ea opera corrigere, & prohibere, quin etiam & vindicare, quæ à spirituali interno affectu in præse facta externè prorumpanter?

pant? Sedenim quæ sint Brentio mala ea, et pernicio-  
sa opera, quæ tranquillitatem pub: perturbent, nudam  
heresim uestiant, & hæreticum ea perpetrantem ci-  
vili gladio addicat, statim ipse met declarat. Ait enim:  
quapropter, si non uacant homicidio, si non latroci-  
nantur, non furantur, nullo se contaminant adulterio,  
nemini uim inferunt, sed pacatè uiuunt in externis or-  
dinationibus, &c. Tum nihil iuris aduersus illos Ma-  
gistratui relinquitur. Si igitur Brentij sententia fuisset  
hæreticioris confessionem, publicam sue opinio-  
nis professionem, ac prædicationem, eamq; defen-  
dendi, propagandi, ac mordicus retinendi studium,  
eas uestes esse, quæ ex nuda indutam redderent, adeoq;  
civili gladio obnoxiam, ut hoc loco facinora à Ma-  
gistratu uindicanda commemorat, ita quoq; ea quæ  
diximus inter mala & perniciofa hæretici opera re-  
censuisset. Id quod clarius adhuc perspicitur, quum  
ait, Homicide, latrones, et aperte facinorosi Magistra-  
tus pœnis plectendi sunt. Porro increduli, & hæreti-  
ci, qui alioqui coram mundo honestè, & inculpatè  
uitam exigunt, Euangelijs supplicio post hanc uitam  
destinati sunt. Neq; tamen inter facinora à Magistratu  
plectenda adnumerat ea, quæ in hæresi sua patefacien-  
da, ac promouenda perpetrat hæreticus. At quum  
neq; adhuc sibi uideretur Brenti: aperte satis sententiā  
suam enunciasse, quasi præscius futuros, qui uerborū  
suorum sensum inuerterent, iterum inculcat: At si in  
opus aliquod malum, & perniciosum eruperint, aut  
certè alicuius seditionis concitandæ, aut homicidij

## SECTIO SECUNDA.

perpetrandi causam præbuerunt, aut alioqui scelerata uitæ, & uitiosæ occasionem induxerint, tum primum in gladij potestate punienda incident. De quibus nulla alia ratione sumendum est supplicium, gladio, quam de seditionum authoribus, homicidis, aut alijs facinorosis sumi solet: posteaquam per incredulos, & hæreticos in leges ciuiles flagitiosè peccatum est. At clarius etiam institutum suum aperit, qui de Anabaptistis publicè docentibus uerba faciens, inquit, Nam quamdiu non docent, homines ad rerum communionem, aut æqualem distributionem adiendos esse, neq; ipsi alios uiolenter ad id compellunt, neq; cum illis uiolenter agendum est. Vbi Anabaptistas etiam falsam doctrinam de rerum communione ciuita violentiam docentes, Tolerandos præcipit. Sed quid, quod pertinaces quoq; & obstinatos ferendos censei? Id quod duobus libri illius locis facile percipiatur. Primo inquit, sin nostram admonitionem contempserint, relinquendi sunt sue uesaniae, & pro ethniciis, & publicaniis reputandi: uerum ne sic quidem Magistratus interest cuiquam inferre manus, do nec errantes non in fide solum errauerint, uerum capitalia flagitia externe designauerint.

Sed Zwinglii uiri præstantissimi, & instauratæ Christianæ religionis memoria nostra strenui antesignani, hac de re sententiam perscrutemur. Is in eo libro quem de duplice iustitia, diuina, & humana, inscripsit, et Rodolphus Gualterus ex Germanica in Latinam linguam cōuertit, magistratus officium fuse, lateq;

lateq; pertractat, nusquam tamen, licet & de fontibus  
 eius gladio puniendis multa scribat, & illi religionis  
 tuende & prouehende munus tribuat, de hereticis  
 ab eo uel puniendis, uel occidendis uerbum adscribit,  
 Quin in modo multis in locis in eos gladiū exercēdi ius, si  
 quis eius uerba paulo accuratius expendērit, aperiſſimē illi denegare uidetur, ubiq; enim cum de eius  
 potestate loquitur, eam ab hominum conscientijs ar-  
 cet, atq; ab omnibus illis facinoribus, quæ hominis  
 conscientiam spectant, qualia eaprocul dubio sunt,  
 quæ ab hereticis perpetrantur, manifestorum solum-  
 modo uitiorum coercitionem illi relinquens. Sed  
 ipsius uerba audire p̄fstat. Nequaquam autem, in-  
 quid, ea quæ illis (Magistratibus) debetur obedientia  
 tam procul extenditur, nec tantum potestatis ipsis di-  
 uinitus commissum est, ut in animis quoque, & con-  
 scientias hominum dominentur, & imperitent. Hanc  
 uero rationem adducit Zwingilius aduersus illos  
 principes, qui monachas, & moniales, qui propter  
 conscientiam monasteria deseruerant, ea repete-  
 rebant. Quæ ratio quid nam ponderis habitu-  
 ra est, si uelimus Magistratui licere eos poena affi-  
 ce, qui receptis ab Ecclesia sententijs, quas falsas esse  
 ipsi opinantur, propter conscientiam diuersum uel  
 sentiunt, uel etiā alios docent, quod si illius uero Zwing.  
 nedum à poena, sed à simplici quoq; coērtione eos iu-  
 dicat immunes, qui non modo patriam religionem  
 penitus abiciunt, uerum etiam solennia uota, quæ ipsi  
 Deo uouerant, quæq; religiosissima esse creduntur in

## SECTIO SECUNDA.

fringunt, atq; contemnunt, & periurij simul, ac sa-  
cilegij rei habentur, quanto magis eiusdem Zuing:  
sententia eadē uigente ratione illi pœnis subiecti esse  
non debent, qui solum ab ea, quæ uera Christi Eccle-  
sia esse creditur in sacrarum literarum interpreta-  
tione dissentunt? Nec uero est, quod quis incepit obij-  
ciat, illos recte agere, hos autem peruersè. Hæc enim  
nouæ prorsus est ratio, & ab ea, quam Zwinglius af-  
fert penitus disiuncta, nec minus in animam, cōscien-  
tiāq; alterius imperitare uelle is princeps dicetur,  
qui hominē ueritatis ignarum ad aliquid contra pro-  
priam sententiam, sua ipsius reclamante conscientia,  
faciendum, uel non faciendum adigere uelit, quām is,  
qui ecclæ sentientiū vim afferre conetur.

Sed post multa ait idem Zuing: Deus enim, oportet, inquit, nos esse subditos Magistratui, qui gladium  
fibi commissum gestat, in hisce rebus nimirum quæ ui-  
tae conuersationem, commercia, amicitias, sodalitia,  
adeoq; ipsam uitam hanc corpoream affinem, & ad  
humane iustitiae leges, & præscriptum possunt re-  
ferri. Quām pulchrè hæc consentiunt cum ijs, quæ  
modò ex Luthero, & Brentio attulimus de spirituali-  
bus criminibus carnali gladio non puniendis? Ad fi-  
nem autem eius libri de ipso Magistratu uerba fa-  
ciens hæc dicit, nec ullum aliud facinus persecutur,  
quod internam hominis conscientiam spectat, Horū  
enim iudicia in manu Dei sunt. Quid paucissimis uer-  
bis clarius pro sententia nostra asserenda ab eo dici  
potuit? Plures ex eodem libro sententias, opinioni no-

stræ

stræ apertissimè fauentes proferre poteramus, sed his paucis contenti esse uolumus, ceteras præstabit apud ipsum authorem legere: ueruntamen, ut etiam apparet quam eximius iste uir ad religionem homines cogendi institutum deriserit, quamq; in hoc Luheri uerbis sinulia dicat, ea adscribere libuit, quæ ille post pri-mum suum testimonium, à nobis allatum, statim subdit. Ait enim: nec tantæ in illis uires sunt.

Quantum enim abest, ut humani pectoris recessus, consilia, & cogitationes cognoscere possint, tan-tum etiam abest, ut animabus hominum dominari possint, & easdem uel bonas, uel malas, uel fideles, uel infideles reddere, quod ipsum Poëta ethnicus intelligens canit, Cæsar in hoc potuit iuris habere nihil. Ceterum Christi doctrina aliud non est, quam animarum & conscientiarum redemptio. Sic enim ipse apud Ioh:cap: 8. ait, Si ueritas liberabit uos, uerè liberi estis: Mens hominis quoq; soli Deo patet, & illi soli est nota, quapropter non quisq; aliis præter solū Deum unicum hanc docere & instituere potest. Nisi autem Deus hominis animam, & conscientiam libertet, liber esse nullo modo potest, ut primum autem libertate donatus est, nemo illum in seruitutem & vincula coniugere poterit, nec quicquam proficiet uniuersa mundi potestas, si aliam fidem, quam à Deo accepit animo illius uiolenter uelit ingerere? Quod si quis miretur Zwinglium hæc scripsisse, quum tam eius tempore de quibusdam Anabaptistis sumptum Tiguri fuerit supplicium, sciat id nō tanquam aduero-

sus

## SECTIO SECUNDA.

sus hæreticos, sed tanquam aduersus periuros, ex se-  
ditiosos decretum fuisse, ut præclarè in ipsius Zuni-  
glij uita testatur Osualdus Myconius, & ipsa Tiguri-  
na Ecclesia, cuius uerba inferius suo loco recitabi-  
mus, apertissimè profitetur. Reliqui nobis sunt ex  
neotericis Caspar Hadius, Iohannes Agricola Islebius,  
Iacobus Scheuchus, & Christophorus Hofmannus,  
quorū latine scripta, quam primū has nostras disputa-  
tiones Hetruscè scripsimus, comodum habuimus, eo-  
rumq; dicta ex Latina in nostram linguam uerti-  
mus: nunc autem cum eò locorum uenerimus, ubi  
eorum libri, et si diligenter inquisiti, ad manum no-  
bis non fuerint, ex nostra in Latinam linguam eorum  
locos fideliissimè uertimus, eorum sensu nulla ex mini-  
ma parte immutato. Hoc uero uoluimus lectors ne-  
scios non esse, ne quis forsitan nobis iniquior, eorum  
scripta aliqua ex parte, quod ad uerba attinet, diuer-  
sa legente, nos eorū quoq; sententias pervertisse crimi-  
naretur. Primū igitur, Hadius in cap:2. Euang; Lucæ  
quod in Papatu legitur dominica 6. post festum Tri-  
nit: eo libello, cui tit: est, Epitome Euang: & Epist:  
Gasp:Hed: quæ in Ecclesijs leguntur: in hanc sententiam loqui-  
tur: Diligenter animaduerte, Christum, quem oues  
suas Petro committeret, qui quidem eum se amare ter  
confessus fuerat, Homines (ait illi) uiuos capies. Hoc  
autem ob sequitiam dictum est, qua plurimi potius  
amant Iudeos, Turcas, cæterosq; infideles occidere,  
ad inferosq; detrudere, quam uiuos Deo lucrifacere.  
Idem quoq; Matt:5. enarrans, quod apud Papistas le-  
gitur

gitur dominica. 8. post Trinit: in ea uerba, Cauete à falsis proph: Hic debemus, inquit, Christi mansuetudi nem obseruare, non enim ait, Punite eos, qui tales sunt: neq; etiam inquit, Eos occidite, sed, eos cauete, ne ab illis uulneremini, aut decipi amini: neue inermes in eorum insidias incidatis.

Islebius Adnot: in Tit: Epist: locum illum, in quo hereticorum fit mentio explanans, in hanc sententia scribit, ut ex Pau: Ep: ad Cor: percipi potest: ille est hereticus, qui sui sensus, rationes, opinionesq; sequuntur ea docet, quæ Christi Euang: aduersantur: quæ qui dem homines perturbant, & à regno cœlorum excludunt: sunt enim haec opera carnis, ut Galat: 5. Videlimus autem Paulimum hoc præceptum uehementer bodie in Ecclesia refixisse: Nam uerbum hoc DE VITA, quod est fuge, seu declina, & caue, mulci in duo uerba diuidunt, DE, uidelicet, & VITA, quibus addunt, Ad ignem: Quod est dicere, è uita tolle, & in ignem mitte: occide, combure, cæde, suspende, merge, aut in flumen coniuge. Adeò à Pauli uestigijs aberrant ij, qui uicarios se Dei esse, ac ueros Apostolorū successores iactant, & glorianter.

Iam ad Scheucum uenio: qui eandem Ep: enarrans Iac: Scheuit, Hæretici non debent declinari, aut deuitali, quan ch: do nos adoriuntur: at potius ex uerbo Dei, omni penitus semota indignatione, iracundia, contumelij, maledictis, iniuriæq; plenis nominibus, placide, ac benignè doceri, instrui, obiurgari, conuinci: proq; eis rogare oportet. Hac enim unica ratione conuertun-

## SECTIO SECUNDA.

Christ:  
Hofm:

tur, conuincuntur, & propulsantur. Enim uero Christus in deserto, in templi culmine, in monte deniq; Satanā superauit, haud quidem irascendo, murmurando, aut iniurijs afficiendo, sed uerbo tantū, & uirtute Dei. Restat tandem Hosmanus: qui Com: in eandem Ep: ita loquitur, Attamen huiusmodi hæretici non debent comburi: sed quum primum moniti, ac erroris, impietatis, prauæq; opinionis conuicli, iniquam suam sententiam, falsumq; incepturn abnegare recusarint, tunc deum Magistratus iudicio puniri debent, utq; ipsi uisum fuerit: sed ne tunc quidem is mortis supplicio eos afficere debebit: ni iam prauis doctrinis seditiones motus in Repub: concitarent. Puniendorum enim hæreticorum iudicium spirituale est, & ad Christi iudicium spectat, & periuinet. Et idcirco præcipit Pau: huiusmodi homines, posteaquam moniti, correpti q; fuerint, & impia consilia, incepta, falsasq; doctrinas mutare noluerint, tunc deum devitari, ac fugi debere. At si qui hæretici essent comburendi, Papistas potius, eorumq; monachos hoc supplium deceret. At qui rectè quidem ait doctor iste: Si enim in quenquam cōgruit lex Mosaica, in Papistas, non hæreticos solum, sed ueros idololatras decentissime competit. Ii enim, & adorant, & miseros populos adorare suadent, & compellunt, pro Deo frustum panis, crucis lignum, pictas imagines, saxeas, luteas, gypseasq; statuas, mortuorum ossa, corrigias, funiculos, & tandem (sermoni sit reuarentia) asiniam usq; cardam. At forsitan ex cipiet aliquis ex Pauli do-

Ari-

## SECTIO SECUNDA. 119

Et rima de ijs qui foris sunt nobis non esse iudicandū:  
 quocirca iudicandi munus nobis demandatum in Iu-  
 deos, Turcas, aut apistas idololatras nō extendi. Sed  
 enim Caluinus Papisticas Ecclesias Christi Ecclesias  
 esse non inficiatur; etiam si eorum Episcopos lupos,  
 Diaboliq; membra esse agnoscant. Igitur si Christi Ec-  
 clesiae sunt, extra esse dici non possunt: haud minus  
 enim, quam nostrae ad Christum pertinent. Quapro-  
 pter, qui de illis iudicet, de externis iudicare dici non  
 potest: Quod si Papistae extra esse dicantur, eò quod  
 à religione nostra maximè dissentiant, ac doctrinam  
 retineant minimè salutarem, sed ualde perniciosa-  
 sanæq; doctrinæ multis nominibus aduersam: hæreti-  
 cum quoq; eadem ratione extra Ecclesiam esse di-  
 cendum erit: ac propterea eius causam ad nos non  
 pertinere. Si autem lege Mosaica hæretici sint truci-  
 dandi, eadem quoq; ac equius multò, Papistas truci-  
 dandos esse constat: sunt enim manifestarij idololatre.  
 Verum excipiet aliquis, Papistas, quum extra pro-  
 prias Ecclesias nostras peccent, à nobis corrigi, ac  
 puniri non posse, neq; debere. Esto: Sed quum in Ec-  
 clesias nostras penetrant, cur non puniuntur? Nam si  
 apud nos ea facinora à Magistratibus vindicantur,  
 quæ in externis regionibus patrata fuere, quamuis  
 peccator Euangeliō subscriperit (ut alias uidimus  
 in fures, aliosq; facinorosos animaduersum esse) mul-  
 tò magis in Papistas animaduersum esset: quum in  
 Deum directè peccarint, ac præter hæresim, ob ido-  
 lolatriam, Mosis legi sint obnoxij. Quapropter gra-  
 uitur

Calv:  
 Cont:Ep:  
 Sadol:  
 Pag:35.

## SECTIO SECUND A.

uiterrare uiderentur Ecclesiæ nostræ in tot Papistis recipiendis, ac in suos cœtus cooptandis, ac non potius lege Mosaïca lapidibus necandis, aut igne comburendis. Qui quidem contraria, non solum recipiuntur: uerum, quum non adhuc conuersi nobiscum disputant, errores suos peruvicaciter retinentes, ac religionem nostram proscindentes, tolerantur, aut certè non necantur. Quod si Papistam, siue ad fidem sit conuersus, siue non sit, interficere non decet, heretico quoque parcendum censemus, & moribus, & doctrina improbo minus, et in quem Mosaicum iudicium, quod in Papistam, si leges illæ adhuc uigerent iure exerceri posset, minime conuenit.

Sed iam aduersariorum recentiores authores aggrediamur: qui preter Musculum, Erasmus, Lutherum, ac Brentium, quos nobis obijcere eos non puduit, quum tamè ut aperte ostendimus acerrimi sint nostrarum partium propugnatores, aliquot etiam nobis opponunt.

Melanchtonem igitur aiunt scripsisse librum de officio Principis, uerum nihil ex eo citantes, idè quod Lutherus eum affirmare asserunt. Quocircanihilominis in eo nobis negocij est, quam, quod de Luther diximus, de Melanchtone affirmare. Hoc insuper adiuentes, quod si ex libro illo aliquid excerpere potuissent, quo de heretico occidendo uel seuerè puniendo opinionem comprobare posse sibi uiderentur, scriptis suis proculdubio inseruissent.

Vrb:Reg: Urbanum Regium eiusdem argumenti librum  
scripsisse

## SECTIO SECUNDA.

120

scripsisse dicunt. Sed ex eo itidem uerbum nullum asserunt. Nos autem, quid ille de hæreticis occidendis senserit, abundè superius demonstrauimus.

Capito autem in ijs uerbis, quæ ab ipsis aduersarijs Vvolph: proferuntur, nihil aliud uel tacitè, uel expresse dicit, Cap: nisi Magistratum in eos, qui doctrina, & exemplo tā à diuino cultu, quām ab inculpata uita reliquos auertunt, animaduertere debere: principem uero Christia num pro uirili populum ad Dei uerbum audiendum, illudq; uita, & moribus exprimendum legitima animaduerstione adacturum. Quid queso in his uerbis de hæretico. At dicent hæreticum à diuino cultu cæteros impijs suis dogmatis abducere. Istud quām uerū sit inferius Deo dante uidebimus. Nunc autē dicimus in Capitonis uerbis coniunctè requiri, ut is, cui impunè esse nō debeat, tum doctrina, tū exemplo à diuino cultu, & à uite innocentia alios auocet, quæ profectò in hæretico ut hæretico deprehendere non licet. Quæ cum ita se habeant, à contrario sensu hinc rectè colligere possumus, hæreticum Capitonis sententia à ciuili poena immunē esse, præsertim quum aduersarij ipsi fateantur, huius eruditissimi theologi hac in re opinionem illis uerbis esse compræhensam, qui quidem, quam ab eorum scœtitia & arrogantia alienus esset, quæ supra ex eo testimonia produximus abundè demonstrant, ex quibus et interpretatio, quam modo ad eius uerba attulimus non mediocriter confirmatur.

Buceri præterea authoritatem in medium affe. Bucerus.

R

## SECTIO SECUNDA.

runt, cuius scopus, si diligenter animaduertas, est eorum sententiam confutare, qui Magistratus munus à fidei, ac religionis negocio penitus alienum esse star tuunt. Hoc ex eius uerbis manifestè patet: quum in loco ab aduersarijs adducto primum inquit, ex eo quod apud omnes rectè sentientes pridem, & modò habetur, neminem ad fidem, aut religionem compellendū: quidam officium Magistratus in totum à rebus fidei, & religionis alienum faciunt: nec quicquam illum circa eas, uel statuere, uel emendare, aut etiam uindicare permittunt: addicentes illum totum solis rebus seculi. Iſi uero parum piè de sublimi hoc potestatis munere sentire uidentur.

Deinde opinionem hanc falsam esse ostendere uo lvens, ait, hinc in lege Magistribus persancte præceptum fuit, ut præter Consultores, Leuitas, et Sacerdotes, ipsi quoq; legem Dei studiosè legerent: nimurum, ut sicut Deus ante omnia diligi debet, ita in primis operam darent, ut illius cultus rectè haberet. Hinc capitalia fecit non solum adulteria, homicidia, & id genitus atrocia scelera, sed etiam si quis à cultu Dei docendo abduceret, si quis sibi ipsi tantum idola, aut aliam superstitionem statueret, si ariolos consulueret, si Deo conuictum diceret, & huiusmodi, que propriè ad curam attinent religionis. Iam Deus non mutatur: quare in hac eadem hodie quoq; Magistratum animaduertere decet.

Iam uero considerandum est, quid ex præmissis colligat Bucerus. Dixerat enim prius, ex eo quod apud

apud omnes recte sentientes pridem, & modo habe-  
tur, neminem ad fidem, aut religionem compellendum  
esse, quosdam censere. Magistratum à rebus fidei, &  
religionis abstinere debere. Id quod Bucerus hoc lo-  
co improbare, ac refellere conatur. Quapropter di-  
serit colligit, Magistratum in eadem omnia crimina  
animaduertere debere, in quæ sub lege antiqui Magi-  
stratus animaduertebant. Veruntamen, quamuis in  
præmissis, Deum ea omnia crimina capitalia fecisse  
dicat, postea concludens in religionis nostræ nego-  
cio, de capitibus poena nihil insert: Sed simpliciter, Ma-  
gistratum hodie quoq; in eadem crimina animaduert-  
tere decere assuerat. Hic autem capitibus supplicium  
haud alia quidem de causa. Bucerum reticuisse cre-  
dendum est, quam, quod crederet, non eodem animad-  
uersorionis modo crimina cuncta esse hodie vindican-  
da, atq; olim sub lege vindicabantur. Hoc autem ue-  
risimile esse eum sensisse manifestè constabit, quum  
Sect: 3. leges illas examinabimus. Præterea quis nam  
ex eius verbis elicit Magistratum in hereticos ani-  
maduertere debere, quum de hereticis ne loquatur  
quidem, sed tantum de ijs qui diuina lege antiquitus  
ciuali gladio erant obnoxij? inter quos heretici nullo  
pactio sunt censendi, ut infra demonstrabimus. At in-  
terim satis constat Bucerum heretici neq; mortem  
neq; seueram punitionem probasse non solum ex ijs  
quæ ab eo scripta supra citauimus, sed & ex hoc eo-  
dem aduersariorum loco, quum inquit, apud omnes  
recte sentientes pridem, & modo haberi, neminem ad

## SECTIO SECUNDA

fidem, aut religionem compellendum.

Bull: ngeri quoq; autoritatem pretendunt: eiusq;  
locum sermo:8. Dec:2. nobis opponunt, ut hæreti-  
cos non puniri solum, sed etiam necari interdum pos-  
se confirmant, cuius loci, ceteris omisssis, ea uerba so-  
lum afferam, quæ capitum supplicium hæretico mini-  
tari uidentur. Ea uero hæc sunt.

Bull: Dec:  
2. Serm:8.

Sunt quædam adeò blasphemæ, impia, et indigna,  
ut ne audiri quidem, nedium ferri possint. Sunt quæ re-  
stâ ex palam tendant in subuersionem Reipublicæ,  
nisi in tempore sopiantur. Et mox ait: comperta uer-  
itate, ex productis apertis testimonijs scripture licebit  
in blasphemos, ex euersores Ecclesie, Reipublicæq;  
grauiissimè animaduertere. Inferius autem: pertinac-  
ter errantes, ex alios secum in errorem abducere,  
inquam erroribus retinere contendentes, blasphemæ, et  
perturbatores, imò subuersores Ecclesiæ iure cae-  
di possunt. Ideo tamen, non protinus capitum supplicio  
afficiendus est omnis, qui errat.

Bull: Act:  
ap:ca:6.  
p.390

Quibus recte perpensis, nunquam persuaderi mihi poterit egregium hunc uirum, qui non tantum Ec-  
clesie sua nobilissimum erat membrum, sed uerbi mi-  
nistr ei diu præfuit, illi aduersari, unaq; cum seipso  
pugnare uoluisse. Ei enim aduersaretur, si decretis, et  
institutis illius, quibus non solum interfuisse, sed quo-  
rum magnam fuisse partem fas est credere, contraria  
censere: Secum deinde, qui alibi dixerit, Nemo ergo  
propter sua peccata desperet: Si enim sacerdotibus  
illis locum pœnitentiae reliquit Dominus, quibus  
dama-

damnatio filij Dei fuit gratissima, quis post hac facile desperabit? Et conjectura est, eos Ecclesiae Apostolicæ integritate permotus credidisse libentius. Sanctimonia ergo ædificatur Ecclesia, non violentia: Quod enim robur humanum erigit, hoc ipsum & robur humanum deic平安。 Quod autem attinet ad Ecclesiae suæ institutum, ea legit, quæ paulò inferius descripta reperies, quū Ecclesiarum Helueticarum consensu argumentum ab aduersariis allatum diluemus.

Qui igitur fieri potest, ut tantæ doctrinæ, pietatis, iudicijque viri: tum & rerū gestarum usu prædictus, sui oblitus, cum se ipso pugnare, et ab Ecclesiae suæ institutis, & decretis diuersa effutire uoluerit? Verum quo pacto eum, tum cum se ipso, tum etiam cum Ecclesia sua conciliabimus? Hoc profectò (ni fallor) paruo negotio fieri poterit: minime enim hæ partes (ut prima facie uidetur) inter se pugnant. Bullin: enim, quum hereticum iure cædi posse decernit, non de simplici, quamvis pertinaci heretico decernit: qui nimis simplex hereticus, & errorum suum præfatus, retinens, ac defendens, improba tamen facta heresi non adiunxit: sed de eo intelligit, quem superius ex August: & Erasm: descripsimus: quem se patrōniūtius non habiturum Erasm: afferuit: de eo inquam, qui præter heresis malum semen ab se iactum, seditionibus etiam, & factionibus, non solum Ecclesiæ perturbet, atq; subuertat: sed rem pub. ipsam quoq; una cum Ecclesia eucriat: ut eiusdem Bull: uerba declarant, qui postmodum ait. Sed timor Dei, & equitas,

## SECTIO SECUNDÁ.

Et prudentia iudicis in' cliget ex circumstantijs, quo modo punienda sint in seductoribus et seductis prava dogmata, et peruvicax rebellio, aut stolida, et minime malitiosa credulitas. Quibus uerbis manifeste docet Bull: Si malitia heresi iuncta non sit, non esse in santes seuerè animaduertendum, sed eum deum hæreticū grauiissimē puniri debere, qui malitiosē sua dogmata in uul gus spargat, quem quidem non hæreticū tantum, sed facinorosum, ciuili gladio obnoxium esse Brentio etiam subscribente dilucide constat. Simplex hæreticus, tametsi Ecclesiam perturbet, ciq; negociū facessat, Remp: non euertit. Factiosus autem, ac seditionis hæreticus sceleratè facta heresi adiungens, et Ecclesiam perturbat, et quantum in se est, Remp: subuertit, atq; pessundat. Ita meo quidem iudicio interpretandi uidentur eximiij illius uiri duo loci, et sic inter se ipsos, et alter eorum cum Ecclesiæ sue decreto conciliandi.

Hi tandem sunt nostri temporis Theologi, quoru*m* testimonijs opinionem suam roborare contendunt ad uersarij. At enim quia paullò ante, ipsis quoq; Patres in suas partes trahere uolentibus, diximus, nos, nisi ex Dei uerbo tam aperte (ut ostendimus) hæc controuersia direpta esset, Patrum ipsorum iudicio dirimendam libenti animo fuisse permissores: hoc idem modo de recentioribus affirmare nobis occurrit. Quum enim nostri numero suos superent, et suorum neminem nobis (ut ostendimus) uerè aduersari appareat, quumq; deniq; ostenderimus corundem suoru*m* non

non pauca loca ipsis aduersari: libenter nostro periculo hanc (ut diximus litem illis decidendam permitteremus.

Iactant præterea nescio quem Hælveticaeum Ecclæ Helvetiæ cliarum consensum: neq; tamen earum aut communia decreta, aut alicuius ipsarum priuatam sententiā afferunt. Quum uero paucos ante dies mihi relatim fuerit typis excusas fuisse nobilium quatuor Ecclesiæ cliarum epistolas, quibus ad Illustriſſimi Geneuenſis senatus interrogata responderant, & iudicium, sententiamq; suam de Seruerti doctrina, deq; eo coercendo, uel puniendo protulerant: putans siquid de consensu earum in hereticorum mortem foret, in epis̄toliis illis uel maxime futurum, eas perlegi: nihilq; tales eas continere compertum habui. Earum enim consensus uersatur in Seruerti quidem ipsius doctrina, ac dogmatibus, explodendis, ac deiestandis, eo uero coercendo, eiusq; conatibus reprimendis, ne deinceps incommodum dare posset Ecclesiæ Christi: & Deo deum orando, ut Illustri illi senatui daret spiritum consilij, prudentiae, sapientiae, iustiq; modi faciendi uoluntatem Dei, nihilq; prætermittendi, quod Christianum deceret Magistratum. De eius uero, aut aliorum sanguine suudendo uerbum nullum.

Sed enim, quum nobilium harū Ecclesiæ una, nec ulli secunda sit uenerabilis, ac celebris illa Ecclesia Tigurina, libet hic attexere, quæ non adeò multos ante dies, in opusculo quodam ab ea Ecclesia edito legere mihi contigit: cui Tit; est, Deritibus, & institu-

## SECTIO SECUNDA.

tis Ecclesiæ Tigur: cuius hæc sunt uerba, Tametsi Ec-  
clesia nostra uiolatae religionis reos puniendos esse  
non dubitat: tamen in puniendis magna cautione ui-  
ritib: & inst: Eccle:  
Opusc: De Tigur: cap:  
25.  
tur. Rationem habet personarum, errorum, ipsarum  
quoq; pœnarum. Sunt enim qui facile in uiam reuo-  
cari possint: qui non periculoſe errent, quiq; leuiibus  
pœnis cohiberi possunt. Coniiciuntur quidem in uin-  
cula: interim tamen Magistratus eos erudiri sinit per  
Ministros uerbi. Quod si pertinaces esse pergent, de-  
tinentur aliquandiu in uinculis. Quod pertinacia  
ipsorum frangi nequeat, tandem urbe, & ditione ex-  
pelluntur. Nec sumptum est apud nos de Anabaptistis  
supplicium capitale, nisi de quibusdam pauculis, pro-  
pter iurisiurandi religionem uiolatam, & concitatos  
motus. In Tigurinorum hisce uerbis (Christiane le-  
ctor) duo sunt tibi animaduertenda. Primo, piam hanc  
Ecclesiam, ubi de hæreticis puniendis agit, nullam  
mortis mentionem facere: imo uero obstinatos, & in  
errore persistentes, postquam in eis ad frugem redu-  
cendis omni diligentia elaboratum fuerit, carcere so-  
lum, & exilio esse multos decernere. Deinde,  
quia forsitan ipsi obijci posset de Anabaptistis sum-  
tum supplicium, de facto se purgans, asserit, non hæ-  
refoes causa, sed ob uiolatum iuriurandum, & ab eis  
concitatan seditionem id accidisse. Quæ quidem  
quis ambigit ciuili Magistratus gladio esse uindican-  
da? Tunc enim hæresis erumpit in facta publica, tran-  
quillitatem turbantia: tunc uerè nuda hæresis uesti-  
tur. En uobis igitur consensus ille, de quo magnifice  
glo-

gloriantur. Quod si opponant nobilem illam Berna-  
tum Remp: Valentimum Gentilem capite multo classe,  
non religionis causa id accidisse constat, sed quia, quic  
ea de causa ipsum indicta capitis multa proscriptis-  
sent, lege despecta in urbem reuerterat. Qua in re  
Bernates nihil aliud egerunt, quam suam legem ser-  
uarunt. Narrata narro: & narrantibus fide dignis fi-  
dem adhibui. Sit tamen ueritati locus.

Sed Saxonicarum quoq; Ecclesiarum consensum Eccl: Saxo-  
obtendunt. At ipsæ in ea confessione, quam Tridentinæ.  
timo Conciliorum, nihil aliud decernunt, quam  
quod nos uolentes concedimus: Magistratum scilicet  
Ecclesiæ custodem esse: quæ ad religionem pertinent  
curare posse: idolorum cultum, in Deum maledicta,  
ac periuria iustis legibus prohibere, eos qui falsam  
doctrinam stabiliunt non adiuuare, ut iudicia recte in  
Ecclesia exerceantur prospicere debere. De hæreti-  
cis uero trucidandis vel puniendis: id quod locus ille,  
si ita p.e ille Ecclesiæ censuissent maximè exigebat,  
ne uerbum quidem.

Non dicit,  
combre-  
re.

At quod tandem attinet ad Ecclesiarum consen-  
sum (ut uno uerbo dicam) & quod superius scripti  
iterum inculcare non erubescam) in re tam graui, ubi  
de hominis uita, animæq; iactura agitur, in tanta op-  
inionum diuersitate, multis etiam rem adiaphorā cen-  
sentibus: non decet, ex duarum, aut trium Ecclesiarū  
consensu de re decernere, cuius deliberatio ad gene-  
rale Concilium potius referenda esset. Minus quoq;  
(mi fallor) par est, prouincialem Ecclesiarum syno-

## SECTIO SECUNDA.

dum id authoritatis sibi assumere, ut de tanti momenti articulo lege decernat. Quid igitur, si unica tantum Ecclesia id facere audeat?

Hactenus quae nostris partibus fauerent uidentur veterum Patrum, recentiorumq; Theologorum testimonia ample narrauimus. Restat, ut, quemadmodum pollicii sumus, nos secunda hac sectione facturos: quid prius primi Christiani Imperatores, uel à Christianis non alieni hac de re senserint, ac quomodo in coercendis, puniendisq; hereticis se gesserint expediamus: interimq; uideamus quo pacto erga hereticos egerint aliqui probi Rom. Ecclesiae Episcopi. Primus autem omnium mihi occurrit clarissimus ille princeps Alexander Mammæ filius, anno natu Christo 225. ad Imperij culmen electus: qui tametsi ethnicus, alioqui clementissimus fuit, & naturæ dotibus, moralibusq; uirtutibus usq; adeò exornatus, ut facile omnes, qui ante eum Imperio præfuerant superaret. Is, preter cetera, Christiano nomini tantum fuit, ut templum etiam Christo Deo extruendum animo conceperit, cuius etiam simulacrum in Larario suo habebat. Christianorum autem amicorum suasu publica omnia opera prius illis uerbis inscribi mandauerat, Quod Tibi non uis, alteri ne feceris. Vixit eo regnante Noëtus hereticus: qui se Mosen, fratrem uero Aaronom dicitabat. Patrem quoq; non filium passum esse predicabat. Fuit & eo tempore heresim, que animas una cum corporibus interire, ac corrumphi censebat: in

Alex:  
Mam:  
Lampr:

Epiph: lib:  
2. Her: 57.

resurrectione autem simul cum illis uitæ restituendas

## SECTIO SECUNDA. 125

das fore. Fuerunt etiam Tertullianistæ, qui Deum cor Tertullia-  
poreum esse assertebant. Origenistæ quoq; Trinitatis nistæ, Or-  
igenistæ:  
in equalitatem prædicantes. Neq; tamen sub eo licet Epiphil. 1. 2.  
& Romanis episcopis amico, & Christianæ religio-  
nis iudice insectationem aliquam aduersus hereti-  
cos institutam fuisse legimus. nec mirum, præfuc-  
runt enim ea tempestate Rom: Ecclesiæ Urbanus, ac  
Pontianus, uiri tum eruditioñe insignes, tum uite san-  
ctimonia celeberrimi: quos uerisimile est Imperato-  
ris fauorem contra hereticos nunquam implorasse.  
Quod si factu dignum cognouissent, id facere profe-  
cto non prætermisissent.

Philippus genere Arabs, primus ex Rom: Imp: O-  
rosio, & Eusebio attestantibus baptismi lanceo-  
mersus dicitur, anno sal: 247. Fuerat tunc temporis  
recens sub Maximino (eui Gordianus in Imperio  
successit, Gordiano autem Philippus ipse) septima in  
Christianos insectatio. Durabant adhuc ea tempe-  
state in Ecclesia, heresum præclararum reliquie. Vi-  
gebat in super Helcesitarum secta, ex sacra scriptura  
aliqua reprobantium, Paulum uero prorsus rejicien-  
tium, sancti q; spiritus aliquid etiam negantium. Præ-  
erat tunc temporis Rom: Sedi Fabrianus ciuis Rom:  
doctrina clarus, & uitæ sanctitate insignis: qui quidē Eusil. 6. c. 38  
spiritu sancto sub columbae specie, cum fratribus Epi-  
scopis cunctoq; populo indicante, electus, & in epi-  
scopalem sedem collocatus fuit: ac tandem martyrio  
fidei sue præclararum testimonium reliquit. Verum nec  
Cesar ipse 6. annorum curriculo, quibus Imperio  
præfuit,

Eusilib:  
6. cap: 34.  
Oros.

## SECTIO SECUNDA.

prefuit, nunquam sua sponte in hæreticos animaduer-  
tit: neq; etiam à Fabiano alijsue Episcopis in eos con-  
cittatus, & ad eos trucidandos suasus fuisse legitur.  
Hic uero operæ premium est uidere, an sancti illi Epi-  
scopi post septem insectationum miserandam lanie-  
nam, post tot hæresum pestiferas corruptelas, occa-  
sionem Christiani Magistratus nocti, Principis gla-  
dium in se insectantes conuertere, eoq; etiam hæreti-  
cos mulctados, ac penitus delendos curare potuerint.  
Neq; uero pium Imperatorem officio suo defuturum  
fuisse credendum est, si aut ex se ipso, per Dei uerbū  
id decere cognouisset, aut sanctorum Episcoporum  
monitis (qui non minus fortasse, quam hi nostri do-  
ctrina, religione, sancti spiritus donis pollebant, &  
ut plurimum martyrio uitam profundebant) persua-  
sus fuisset. At ignorabant (credo) pi, & docti illi  
Episcopi usq; ad id temporis, deum, Mosaicarum le-  
gum decretis, ut hæretici trucidarentur præcepisse:  
Porro Papa leges illas uerè, ac sanctè primus inter-  
pretatus est: nostri deinde egregiam hanc doctrinam  
sunt amplexi.

Eus lib. 7.

cap: 13.

Treb: Poll:

Euseb: lib:

7. cap. 6.

Sequuti sunt deinceps Decius, Gallus, Hostilianus,  
Valerianus, sub quo nona Christianorum insectatio-  
nem post huc Gallienus: qui quamuis ethnicus ann: 261.  
pacem Christianis dedit: annisq; 13. postea superstes  
fuit: nec unquam interim à Christo. 2. ac Dionysio Epi-  
scopis Roman: ad hæreticorum necem solicitatus  
fuisse legitur: tametsi ea tempestate Sabellij Pentapo-  
litani uigeret hæresis, negantis Christum creatorum  
omnium

omnium primogenitum esse, omnemq; sancti spiritus sensum amouentis. Quo etiam tempore Nepotiano Trinit: • Hist: Eccle: rum uiguit hæresis.

Constantinus Magnus 40. criciter post ann : se- lib.10.ca:5. cundus Christianus Imperator fuit : cuius tempore Socr: lib: 1. cœncit celeberrima illa Synodus, quæ Arrium, quiq; cap:8.

cum eo consenserant omnes anathemate percussit: adiecto, ut ei Alexandriam redire non liceret. Imperatoris autem edictum, & Arrium, & eos, qui cum eo consenserant, exilio multauit. Erat hæresis maximi momenti, & quæ totum sferè orbem occupauerat. Erat arrius, non hereticus tantum, sed heresiarcha. Et tamen Cæsar, etiam si ciuius occidendi potestatem haberet, sanguini manus non admouit, solo exilio contentus.

Idem non multò ante exorta inter Alexandrum Alexandriæ Episcopum, & Arrium eius diaconum ob articulum illum discordia, quum Arrij dogma plurimas iam Africæ Ecclesiæ peruaississet, ad fontes morte plectendos animum non appulit: imò uero ad Alexandrum & Arrium scribens, ad pacem, ac unionem, opinionum diuersitate non obstante retinendā, his uerbis hortatur: uidelicet, ut autem prudentiam Eus:lib:2. uestram minuto aliquo paradigmate commonefaciā, scitis sanè Philosophos ipjos, quomodo, quum in uno aliquo dogmate cuncti consentiant, sēpenumero tamē in parte aliqua sententiarum dissentiant. Et licet in uirtute scientiæ separentur, unitate tamen dogmatis rursus inter se confirent. Si hoc illi faciunt, quomodo non

SECTIO SECUNDA

non multò est æquius, ut nos magni Dei serui existentes, in tali religionis proposito concordes inuicem sitis?

**Ad Anast:** Idem ad Anastasium Papam diserte scribit, nemini se uelle uim facere, aut ad fidem cogere: Sed tantum adhortari iudicium autem Deo relinquere.

**Epist: ad Hær:** Ad hæreticos autem ipsos scribens sic ait, Igitur, quoniam impossibile est, ut amplius pernicie uestrae extium feratur, per hanc legem interdicimus, ne qui uestrum posthac congregari audeant. Domos insuper eis oratorias absulit, in quibus conueniebant, præcepens, ne non modo publicè, sed nçq; etiam priuatim conuenirent. Hi pertinaces erant, et tamen uides quā longè à capitis poena distet illius in eos animaduersio. His adde locum à Musculo titatum et à nobis superius relatiū, ubi Constans errantibus unā ac fidelibus pacem, et quietem exoptat simul, et concedit.

Valentinianus et Gratianus Cæsares dicunt, Episcopum, qui abusu non debito, rebaptizauerit, sacerdotio indignum existimamus. Hic autem probè ad notat Brent: ex hoc non ambigue notari posse, legem postea à Theod: et Hon: aduersus illius temporis Anabaptistas Latam non simpliciter de Anabaptismo accipiendam esse. Cum enim in legum libris hæc Valentiniani, et Gratianni Lex alteram Theodosij, et Hon: præcedat, hi duo Cæsares (inquit Brent:) contenti sunt, rebaptizantem Episcopum suo officio indignum existimari, et eius errorem refelli: Qui ergo alij duo tam effratae esse possint tyrannidis, ut propter

pter simplicem Anabaptismū miserū populum morte multandum condemnarent, Idem Valentinianus Cæsar cum Nicæa Synodo sentiens idem cum ipso sentientibus bene faciebat, diuersis uero nihil negotij faciebat.

Socr.lib. 6.  
cap:6.

Eundem sensum certius etiam elici posse asseverat Brent: ex lib: i. Cod: Tit: De Apost: Ait enim lex ipsa. Si quis in honesta lege compræhensus fuerit, ac tandem è Christianismo in Iudaismum relabatur, ac semet blasphemie illorum Synagogæ iunxerit, illius bona publicitus diripienda mandamus, hic autem Brent: Ita ratiocinatur, Cæsare legis sensus est, de Apost: Iam uero utrum maius est, si quis unotantum Sacramento abutatur, aut si quis prorsus à fide desciuerit? Haud dubie stultus quoq; nullo iuditio pœdatus, intelligere possit, grauius uitum esse, à fide discedere, quam jolum ex imperitia uno Sacramento abuvi. Hæc ille. Neq; uero credendum est, Cæsarem illum, & sui temporis Episcopos ignorasse quid Deuteronom: Lex in Apostatas decernat: & tamen ex ea in illos non animaduersum esse constat.

De Gratiano scriptum esse liquet, constitutionem ab eo esse perlata, ut quam quisq; uellet, religionē sequeretur: Et conuentus Ecclesiasticos semoto metu omnes agerent, præterquam Manichæi, Photiniani, & Eunomiani.

L. Quicunque: cap.  
Ochær: &  
Man: Niceph: lit:  
17. cap: 9.

Quid uero hac de re generaliter statuerit, Theodosius Maior, cum ex alijs scriptoribus tum ex August: non uno in loco, satis constat. Summa est lege san.

## SECTIO SECUNDA.

sanciuissē cum, ut pecuniarijs pœnis, non autem corporalibus, uel morte hæretici multarentur. At uero negandum non est, Theodosium cūdem, unaq; collegam filium Honorium in eius temporis Anabaptistas legem, de qua supra egimus, promulgasse, quæ capitiis pœnam in eos statuebat.

Cæterum si quis Brent: uerba, quæ hac de re facit, accurate perlegerit, luce clarius percipiet, legem banc ad propositam nobis materiam minime facere. Quod si quid ualeret, non in hæreticos simpliciter, sed in ipsum rebaptizandi actum ualeret. At enim Brent: eam ualidis rationibus refellit, penitusq; reiicit: ac tandem concludit, satis apparere legem alia ratione conditam, ac aliam causam innuere, quam nūdē & simpliciter Anabaptistarum gratia fuisse rogatam: magisq; ad terrorēm incutiendum quam rebaptizatos suppicio ullo afficiendos. Id quod ex eo quoq; satis constat, quod nusquam legitur, ex ea lege insontes fuisse animaduersum. Qui autē fieri potuisset, ut Theodosius sapientissimus Imperator in omnes hæreticos, ut Augustinius, testatur, decem libras auri statuisset pœnam, ac deinde sui prorsus immemor Antonio etiam præfecto uiro prudentissimo procurante, in Anabaptistas, hæreticos tantum causa capitalem legem promulgasset. Nam de eodem imperatore legimus eum unum Eunonium persecutum fuisse, quem etiam exilio solum multauit. Nouatianis uero, quod in Trinitatis articulo secum sentirent et oratoria, & Ecclesias in urbe habere permisit. Cæteris fin-

## SECTIO SECUNDA. 128

Singulos suis locis conuenire & oratoria extra urbes struere concepsit, ut non Niceph: tantum ab aduersarijs citatus, sed Socrat: quoq; aperte testatur lib:5. cap.10. & 20.

Qui proxime hunc consequuti sunt imperatores, uel Arcadius & Honorius fuerint, uel Honorius & Theodosius iunior, uel etiam Theodosius solus, ad cuius imperium August: peruenit, ex ipso clarè liquet, eos hæreticis, & præserit Donatistis, qui etiā sicarij erant, pecuniarias tantum poenas infligendas esse decreuisse.

De Theodosio iuniore præterea, quam ab omni persecutone fuerit alienus, & quam ab eo laudatus fuerit Proclus Episcopus Constantinopolitanus, ea ratione quod hæreticis se clementiorem, quam Atticus prædecessor suus fecerat, præbuisset: lege Socratem qui etiā sententiam suam hac in re prodens præclare scriptum reliquit, Theodosium quidem ueris sacerdotibus conformem fuisse, Proclum autem, quū nullam hæresim diuexare uellet, mansuetudinis dignitatem Ecclesiæ saluam restituisse.

Idem Theodosius, et Valentinianus: imperatores, Nestorium Episcopum in hæreticos immodicè seruientem admonendo cohibuerunt. Sub eorundem imperio, Nestorius quoq; hæreticus uixit: qui de Christi incarnatione ab Ecclesia diuera censebat: In que tamen exilio, non morte vindicatum fuisse legimus. Decretum Valentini: & Marciani contra Manichæos editum post Concilium Chalcedon: iubet eorum li-

Socr: 7. ca:  
41. & 42.

cap: 29.

Socr: lib: 7.  
cap: 34.

## SECTIO SECUNDA.

bros comburi, ipsos autē in exilium pelli. Sed eorum auditores, aut lectores decem libris auri multari.

Aliud edictum Marciani hæreticorum bona confiscari mandat, ipsos in exilium relegari & testamēti condendi potestate priuari: hæreticorum hospites, si sunt honorabiles, & diuites personae decem auri libris multari, ad deterrendos exemplo alios, libros autem eorum comburi. Hoc editum est tantum contra Apollinarem, & Eutichetem, quemadmodum superius tantum contra Manichæos.

August:  
Eleu:

Iam uero licet haec leges (ut Eleuth: uerbis utar) sint aliquantò tolerabiliores, quā quæ in ultimo Constantiensi Conciliale sunt, & que nunc postremò in Ecclesiam sunt inuectæ, quum mere decollationes, cremationes, incendia uigent, & ultimus sanguinarius Diabolus, qui libenter uniuersos uno aceruo extirparet & extingueret, se ipsum aperitè patefacit; uiræq; tamen modum excedunt: Suntq; cōtra omnes scripturas, & antiquos Patres, atq; etiam contra ipsum de cœta: Vbi manifestè traditur, ueram Ecclesiam esse eam, quæ persecutionem patitur, non quæ persecutur: qualis fuit Christi, & Apostolorum.

Decr: 23. Sed iam citatis Imperatorum exemplis, Roman: Quæst: 3. quoq; antiquorum aliquot Episcop: exempla par est cap: 3. Si Eccl adiūcere. Nam Simplicius, qui anno Christi 470. Romanæ Ecclesiae præerat (cessarant autem tunc temporis Gentilium in Christianos infectiones: ac non nihil creuerat Ecclesiae ipsius apud omnes authoritas, plurimumq; Imperatores eius dignitati tribuerunt  
uide-

## SECTIO SECUNDA.

129.

videbantur) quum Petrus Alexandriæ Episcopus Eu-  
Sigib  
tychiana hæresi infectus esset, nulla quidem alia, quā tu-  
s.  
anathematis poena in eum animaduerit, neq; ex di-  
uina lege morte multitudinē uel alia ratione grauiter  
puniendū Cesari suast. Negabat hæresis ista, Christi  
carnem nostræ similem esse, eumq; Maria uirgine na-  
tum.

Acatius quoq; Confinop: Episc: anno circiter 485,  
haec eadem de causa à Felice, anathemate percutitur:  
nec alijs poenæ obnoxius indicatur.

Petrus Antiochiæ Episc: Opinatus est, & aperte  
dixit, Christi diuinitatem unā cum humanitate in cru-  
ce passam fuisse: nec tamen propriea ab eodem  
Pont: grauiore q; iam dicta poena affeclus est: anno  
Dom: circiter 490.

Gelasius ij. uir fuit doctissimus, tantaq;, dum sedi Isid: Tom:  
illi præfuit auctoritate, ut inter alia eius decreta in Pa 2, Conc: in  
patus fauorem condita, legem tulerit, ne Romani 5. Syn:  
Pont: à quoquam in terris homine iudicari possent:  
Quod tamen seculares Principes æquo animo pertu-  
lere. Quamuis autem tanta potentia, & auctoritate Conc: Gra:  
polleret, quum Romæ tunc temporis magna Mani- ca:9.q:3.  
cheorum degeret uis, nihil grauius in eos statuit, quā  
urbe eiecit, librosq; eorum comburi mandauit. Quod  
si doctus, ac præpotens ille homo hæreticos ex lege  
diuina comburendos esse cognouisset, nunquam eo-  
rum uitæ pepercisset, sed Cesari necandos tradi-  
isset.

Pelagius demum Rom: itidem Episc: (Platina au-

## SECTIO SECUNDA.

Platin:  
Grat:

Decretal:  
s. & 6.

thore) anno 553. Statui hæreticos, qui rationibus sua-  
fi ad sanam doctrinam conuertire recusarent, à Magi-  
stratu ui cogi debere. At enim de morte uerbum nul-  
lum.

Sed tandem Rom. ipsi Pont: à sanguinario Satana  
ad sanguinem fundendum suasi , sanguineas leges  
condiderunt. Nam Decretalium 5. & 6. legitur,  
hæreticos in errore pertimaces , seu post abiurationē  
relapso, tantum in Magistratus manus tradi debere.  
Glossographi tamen de suo illud addiderunt , uideli-  
cet, ut comburantur.

Clemens autem 5. genere Vasco, ann: 1310. Cle-  
mentinas composuit; in quibus leuisimis quibusdam  
rationibus hæreticos cremandos esse argumentatur,  
idemq; lege fanciuit.

23. Quæst: ult: cap: His aduersantur, uctantes ne spirituales ullam ob rem, ne quibus. De dum ob fidem, aut hæresim, quenquam occidere , aut re iudic: l: 5. ei manus affirre audeant: neq; per se, neq; per alios:  
quod de Sed neq; uoluntatem, neq; factum , neq; consilium  
poenit: Di- suum ad id accomoden: quin etiam alios, qui id fa-  
stin: 3. Peri- ciant, iudicent, atq; puniant. Neq; uero hic tam impu-  
culose. denter Canones iſi citantur, ut quidam ex aduersarijs  
Aug: 14. q. iudicarunt: non enim eos ad Ecclesiasticam discipli-  
nam distruendam, sed ad sanguinem sistendum eos ad  
ducimus : quum uerbi ministros non tantum à facto,  
sed à consensu, & consilio præstando: quin etiam ab  
ipsa uoluntate hæreticos necandi deterreant , atq;  
prohibeant.

Atq;

## SECTIO SECUNDA. 130

Atqui, non Imperatores solum & Rom: Pontifices, Canonesq; à nobis faciunt: uerum & ex Concilijs idem colligitur. Nam Concilium Coloniense Arcad: & Hono: regnantibus, circa ann: 400. à magno Episcoporum numero celebratum, quum Euphratē Coloniae Episcopum Arriana hæresi infectum esse sensisset, haud quidem capite puniendum censuit, aut Magistratui tradidit, sed tantum Episcopatus munere priuauit. Neq; etiam Imperatores ipsi cum capitali pena mulclarunt, aut ad palinodias coegerunt. Licet alter eorum, cum Theodosio regnans capitalem legem in hæreticos tulisset: quæ tamen tam pulchra oblatâ occasione executioni non est mandata.

Satis deniq; superq; constat exemplis supra notatis, ac etiam plurimis, quæ breuitatis causa prætermisimus, Catholicos Imperatores, probosq; aliquot Rom: Episc; à tetra hac carnificina abhoruisse, barbaramq; hanc saevitiam per multa secula in Ecclesiā non fuisse receptam. Erat enim res nimis absurda, ne dicam ridicula, nō solum apud fideles, sed etiam apud mundum ipsum, in Dei negocijs (qui uoluntarios cultores uult habere) uim inferri, & in nolentibus inuitito eorum animo per uim fidem erigere uelie: quæ quidem impietas eo magis nobis suspecta esse deberet, quo ab ipso Papa, Dei sede occupata, & tanquam Deus esset in ea sedente, in Ecclesiam inuicta fuit, atque ab eodem eò aucta, ac prouecta, quò maximo bonorum mocrore, & lachrimis euafisse cernimus. Sed enim bonus ille Satan, quum hisce artibus superior.

## SECTIO SECUNDA.

ribus seculis Apostolicam Ecclesiam corruperit, mē  
scereq; affixerit, Antichristi regnum in his viribus con-  
firmans, iam penē extinctam Euangelij lucem in mun-  
do resurgere, ac relucere cernens, satis expertus hoc  
infectionis, carnalisq; gladij instrumentum magno  
sibi usui fuisse ad Christi Regnum cuertendum, ut ac-  
censam lucem denuo extinguat, eo uti iterum cona-  
tur. Attamen si probi, ac religiosi Reges, pijs doctisq;  
Ministris consilio iuvantibus, pietatis oculos in hanc  
misericordiam coniscent, spero equidem, eos, rei atrocita-  
te perspecta, et cognita, illi obuiam iueros; neq; pas-  
furos amarum hoc semen agrum Domini occupare,  
suiq; amaritudine eius libertatis dulcedinem infice-  
re, quam scruator noster Iesus pretiosi sui sanguinis  
effissione lucratus est nobis. Non enim eis deerit iusta-  
ratio, quam Dei uerbum, antiquaq; exempla ostend-  
ent, agrum Domini à malis herbis purgādi, que in-  
dies in eo pullulascere, consueuerunt, horribili omis-  
sionis, in gratiam quorumdam ad nouam statuendā  
tirannidem erigenda.

Verum, ut etiam clarius appareat, Antichristum  
omnium primum in Christi Ecclesiam uim & gla-  
dium inuexisse (id quod superius ex Brentio ostendi-  
mus) præter Pelagium, & Clementem, quos paul-  
lo ante nominauimus, Innocentius primus nobis oc-  
currit: nam ipse quoq; hereticos ad Rom: fidem coe-  
git. Regnabat hic circiter annum nostræ salutis 415.  
Rom: imperio presidentibus Honorio, ac eius nepo-  
te Theodosio, ante cuius ætatem nunquam hanc ui-  
lentiam

Socr: lib. 7.  
cap: 9.

## SECTIO SECUNDA.

131

Ientiam erga infideles ad fidem cogendos adhibitam  
fuisse legimus. At uero de Siricio genere Rom: scri-  
ptum inuenies, haereticos sola manuum impositione  
ad poenitentiam recipisse. Id quod tunc temporis in  
Ecclesia usitatum esse testatur Eusebius.

Temporibus igitur illis satis erat peccantium re-  
sipiscencia, & Episcoporum manuum impositio. Non  
dum enim excitatæ fuerant sapientum nostrorum tem-  
poris turpes, ac dedecore publicæ palinodiæ: quaerata  
men hodie apud Rom: Antichristum homines ab ine-  
uitabili exitio haud amplius reddunt immunes: quip-  
pe quum ciuius inexplorabilis rabies eò deuenerit, ut mi-  
seri abiurantes, Christo pro uita seruanda turpiter ab-  
negato, nihilominus hic perpetuo triremi, ille per-  
petuo carceridamnentur: alius tandem in parietis er-  
gastulo, ut auis in cauea, nunquam eruendus inclu-  
datur. Qui quidem omnes infelicem uitam mille mor-  
tibus se coemisse demum agnoscunt. Heu quam præ-  
stasset pro Christo semel mori, quam pro Satana mil-  
lies.

Iam tandem eò redactares fuit, Romanensibus in-  
dies magis magisq; sequentibus, ut demum Constantien-  
sis Concilij decreto miserrimum illud spectaculum edi-  
tum fuerit in Hussio, & Pragensi comburendis. Præ-  
terquam quod etiam lege sancitum est, fidem haereti-  
cis non esse scrupulam. Quod quidem uereri iam Platin:  
possimus (quippe quum tantæ fœditatis papisticum  
exemplum imitari cooperimus) ne, praua stirpe in-  
dies pubescente, apud nos quoq; in consuetudinem

Isidor:  
Grat: dist:  
81.  
Eus: lib: 7.  
cap: 2.

## SECTIO SECUNDA.

ueniat: nisi optimorum Principum, ac piorum Ministeriorum probitas, ac prudēs diligentia huic tanto malo obuiam eat.

Alia ante hæc exempla in historijs non reperi, hominum, qui ordinario iudicio à Magistratibus ob religionem igne combusti, alioue mortis genere è me-

Non mirūt dio sublati fuerint, duobus exceptis: Priscilliano scilicet tyrapnū cœt, à Maximo Cœsare, imò uerius Tyranno; D. Marti tyrannice egisse. sed hoc factū probi Epis copi non probarūt.

Non mirūt dio sublati fuerint, duobus exceptis: Priscilliano scilicet tyrapnū cœt, à Maximo Cœsare, imò uerius Tyranno; D. Marti tyrannice egisse. sed hoc factū probi Epis copi non probarūt.

ni tēpore capitis supplicio affecto (ut superius narravimus) et Constantino sexto cognomēto Porphyrogenito imp. quem impia mater Irene, propterea, quod is Dei honoris studio impulsus per uniuersum orientis imperium imagines, ac simulacra omnia diruenda ac pergitus delenda mandauerat, ut hæreticum cœcando necauit: quod quidem facinus, etiamsi à Papa non sit editum, quum à scelerata eius filia patratum fuerit, enim irum acceptum ferre possumus.

At silentio præterire nō decet, piam hanc (si Deo placet) Christianamq; religionis tractandæ rationem ab ipsissimis hæreticis Antichristum edoctum fuisse. Nam si quis Socratem, pluribusq; in locis trip. histor. perlegerit, inueniet Constantij Arriani Imperatoris ætate, eos qui Arrij confessi oni subscribere recusarēt, atrocissimis modis fuisse uexatos, occisos, fustibus cœsos, combustos, relegatos, uiua calce aceto macerata in oculos iniecta exoculatos. Quin & domus diripiebantur, matronis à collo, brachijs, manibusq; aurei torques, armillæ, annuli rapiebantur. Ad hæc, si forte contigisset, impurissimis sicarijs deficiente tempore festina-

festinatione opus esse, misellis foeminiis aures amputabant, ut in aures ex illis dependentes eriperent. Acciditq; aliquando nudas uirgines ad ignem publicè accessum admoueri, ut supplicij pauore fidem suā abnegarent. Quinetiam, & mortuos sepultura prohiberi.

Vīsigotorum quoq; rex in Hispania, anno circiter 593. Hermengildum filium barbaro exemplo capite truncari iussit, eò quod, quem Catholicus esset, in hæresim consentire abnuit.

Quid autem Donatistæ, & Circumc. August. tempore ijs simile fecerint, ipsum legitio.

At uero inter tot impia in Catholicos hæreticorū exempla, unum ab hæretico quodam Principe editū fuisse legitur, in quo multum nobis pietate præstare ostendit. Is fuit Honorius Vandalorum rex in Africa, qui Arriana hæresi infectus 334. Episcopos catholicos generē Afros exilio affecit: quos, si placuisset cunctos capite plectere, seu saltem ad palinodiam cogere poterat.

Sed ad sc̄uītiā redeo, quam temporibus illis hæretici in catholicos exercebant. Vbi sciendum est, non ordinario iudicio ea facta esse, uerum tumultuose, ex sine strepitu (ut aiunt) & figura iudicij, à tumultuaria plebe rabie cōcitata. At uero Papistæ carnali prudenter ad sc̄uītiā adhibita, uti ure agere, ac Dei uerbo niti uiderentur, morem bunc rem ordinario iudicio tractandi introduxere. Sedenim, quum uideant culturam, quam ad extirpandas ex agro Domini, quas malas putant herbas, diuerso cūntu potius ad eas multi-

Aemil. II. i.  
Greg. 3. Di-  
al. cap. 31.

Diac. au-  
spur. in  
Zen.

## SECTIO SECUND A.

plicandas inseruire, una enim euulsa, plurimæ repul-  
lulasunt: adeo ut ipsi se hydræ capiæ amputare di-  
cant) hæreticos penitus imitari decreuerunt. Regibus  
enim in populos armatis, ac obsequium se Deo pre-  
statiuros suasis, horrendas eis strages edidere, que sic-  
cis oculis cogitari, nedum uerbis, aut calamo exprimî, non possunt. Quinetiam authores celebri elogio  
ornatos, parum absuit, quin inter diuos uiuentes ad-  
huc retulerint.

Hic uero nobiscum sunt aduersarij, & pijs lamen-  
tis nostras in Papatum querelas prosequuntur. Iure  
enim nos execrari ac detestari dicunt Antichristi se-  
uitem, quippe ueros fideles insectantis, ac trucidan-  
tis. Uose enim ( inquiunt ) ueri luminis expers, iudicia  
caussa eos interficit, qui Dei ueritatem sunt amplexi:  
Nos autem ( pergunt ) contrâ ueros hæreticos, in De-  
umq; maledicos occidimus, Dei præceptum ex lege  
contra eos lata exequentes: eorum tamen caussa pri-  
us ex uerbo Dei piè cognita, & se defendendi faculta-  
te concessa.

At uero iam à nobis satis, ut credimus, superq; de-  
monstratum est, quodlibet infectionis genus, siue ab  
impijs in pios, siue à pijs in impios fidei & religionis  
caussa fiat, præsertim capitilis supplicium omnino de-  
testandum esse. Quo autem potissimum nitimur funda-  
mentum non Papistarum iniustitia est, sed Christi re-  
gis nostri iusta uoluntas, firmaq; institutio. Hinc con-  
sequens est, superius adnotatam eorum distinctionem  
inanem esse, nulliusq; momenti: cuiusmodi etiam ce-  
teris

## SECTIO SECUNDA. 133

teria esse, quæ ad errorem suum tuendum in medium  
afferre solent, Deo dante sequenti sectione demon-  
strabimus.

Verum ipsi eodem conatu, quo veterum Patrum,  
recentiorumq; Theologorum authoritatem nobis è  
manibus excutere tentarunt, Imperatorum quoq; ex-  
empla infringere nituntur. Multa enim eos, eademq;  
maximi momenti aduersus hereticos fecisse conten-  
dunt, uanaq; cuncta esse, quæ à nobis pro sententia no-  
stra afferenda proferuntur. Primum igitur omnium  
inquiunt, Magnum Constantini post celebratū Nice-  
num Concil. ita Arrio aduersatum fuisse, ut eius etiam  
libros publicè cremari, & qui id facere neglexisset  
interfici imperauerit. Quid? Videturne nobis satis ef-  
ficax exemplum ad probandum, bonum hunc Cæsa-  
rem hereticos morte pleclendos censuisse? Arrius  
(ut supra diximus) heresiarcha à Costantino haud  
comburitur, sed tantum in exilium ablegatur, & in  
eius libros non comburentes capitale supplicium de-  
cernitur. Hereticus multus dimittitur, in libros au-  
tem sœuitur. Nec tamen usquam legitur in huiusmodi  
libros retinentes hac lege animaduersum esse. Ex quo  
luce clariss. colligitur, Cæsaris deeretum in Arrii li-  
bros apud se habentes ad terrorem conditum esse, ut  
eius dogmatis sectatores ab eo deterrentur, itaque  
extinctum iret heresis illa: non autem sanguinario a-  
nimō hereticos trucidandi: cuius rei illustre poterat  
exemplum edere, insignem hunc hereticum necan-  
do, si sic decere censuisset. Nam alioqui in sapienti-  
simo,

Imperato-  
rum Decre-  
ta ad terro-  
rē condita.

## SECTIO SECUNDA.

simo, ac prudentissimo Principe tantam fuisse stupi-  
ditatem mente concipi non potest, ut hæreticos ne-  
cando sentiens, hæreticum à celeberrimo Concilio  
damnatum impunem dimisisset, libros autem eius, eos  
que retinentes comburendos imperasset. Vbi etiam  
notandum occurrit, nobilissimam illam synodum tan-  
to numero doctissimorum Episcoporum refertā, dam-  
natūm hæreticū ex diuina lege necandum esse Im-  
peratorem non monuisse: uti neq; etiam legimus sy-  
nodum aliquam (Constantiensi excepta) à se damna-  
tos hæreticos Magistratui ad necem unquam tradi-  
sse.

At enim quod severae leges in religionis negocio,  
non huius modò, sed cæterorum Imperatorum (ut an-  
te dictum est) non eas exequendi instituto, sed ad ter-  
rorem conditæ fuerint: præclarum, & grauissimum  
testimonium habemus in infra scriptis Sozomeni uer-

Lib. 7. ca. 12 bis de Theodosio seniore. Imperator uero (inquit il-  
le) lege edixit, ut heterodoxi neq; Ecclesiæ collige-  
rent, neq; de fide docerent: neq; Episcopos, aut alios  
ordinarent, & alij ciuitatibus, & agris pellerentur,  
alij honoribus priuarentur, nec eadem cum alijs poli-  
tia uerentur. ac legibus illis grauia quidem supplicia  
adiecit, uerum non est illa exequutus. Neq; enim pu-  
nire subditos, sed metu coercere satagebat, quo illos  
in dogmate sibi de diuinitate Christi concordes red-  
deret. Nam eos demum laudabat, qui sponte, & ex a-  
nimō conuertebantur. Quin etiam idem Sozom: lib.  
2. cap. 32. de Constantino ipso, qui lege lata aduersus  
hære-

hæreticos, ut oratoriæ eorum domus destruerentur, ipsi uero nec priuati, nec publicè ecclesiæ colligerent, de qua superius mentionem fecimus, eam tamen in Nouatianos non exequebatur, sic ait. Etenim, ut opinor, cōnuebat illis imperator haud inuitus, hoc tam agens, ut perterrefaceret subditos, non ut perderet.

Idem Constant. (pergunt aduersarij) lege sanciuit, Leg. 1. & 2.  
idololatas, eosq; adeò prouinciarum rectores, qui De pag.  
eos vindicare neglexissent, ultore gladio sterni debe re. Praeclarum porro exemplum, modo idololatra idem esset atq; hæreticus. sed quid illi cum hæretico?

Valentinianum quoq; Gratianum, ac Theodosiū, inquiunt, eandem, aut non multò leniorem in Idololatrarum poenam statuere, cuius horrendum exemplū editum esse dicunt in Anatolium quendam Antiochenum. Ad idem codem modo respondemus: legem hæc uidelicet idololatas, non hæreticos petere: Qui quantum inter se differant ijdem Imperatores, et cognoscunt, et aperte declararunt. Vt enim superius ostendimus, Gratianus, et Theodos: ijdem, qui in idololatas capitalem legem condiderant, hæreticis libertatem fidei permisérunt, nullam hæresim sunt persecuti, nec quenquam ad communionem coegerunt. Non igitur est cur suis analogijs aduersarij leges in idololatram latae, ad hæreticum pertrahant: satis enim superque hac in re mentem suam aperuerunt Imperatores.

At legem quoq; quintam in medium afferūt, Cod. De

## SECTIO SECUNDA.

De her & Manich. ad quam quum ab alio abunde satis responsum fuerit, nihilò plus mibi negotij est, quia alienum hic afferre responsum: In hac scilicet lege ad ptè uideri adiecta aliqua uerba esse, que minime existant in codice Theodosiano, ubi lex illa integra referatur: sicuti neq; uerba illa conuenire possunt cum ijs, quæ præcedunt, & subsequuntur, uel cum Augustini testimonio. Sed huius erroris admoniti, tanquam suppositum factum allegant quandam legem, quā hæc diuinus non legimus, ex Nouellarum Theodosij (ut aiunt) lib. repetitam, in qua sanguinis fit mentio: putat enim sua hac suppositione legentium oculos, imo uerius animos prestringere: sed nihil lucrantur. Lex enim illa loquiur de Paganis, & illorum sacrificijs. ipsi autem Paganorum mentionem expungunt, hæreticorū substituunt. Sed quis est quin sciat, plurimum inter eos interesse, & magnum inter eos discrimen in ueteribus legibus uideri? Quod & ipse pater Augustinus adnotauit. Quia etiam ipsa lex, postquam de Paganis egit, de hæreticis deinde loquitur longè aliter: nec eos alio modo puniri censet, quam ex illius prioris legis præscripto. Neq; hic morabor questans, sit ne obscurus, apocryphusq; & obsoletus Nouellarum liber, ipsius (ut afferunt) Theodosij: an potius postremi Valentiniani (Extrauagant: appellant) quem Alaricus Gotthus collegisse dicitur, & quem Iustinianus ipse nunc quam cognovit. Hæc ille.

At qualis qualis Lex illa sit, non hæreticis, sed Paganis mortis irrogat multam.

Ad

Ad Gratiani legem, qui quam quisq; uellet religio-  
nem sequeretur statuerat, itemq; Theodosij, quem nul-  
lam hæresim persequutum fuisse, nec quenquam ad  
communionem coegerisse diximus, quum nihil aliud  
habeant, quod obijciat, Græcos scriptores manifeste  
uanitatis insimulant: dicentes lectoribus probè con-  
stare posse, quomodo hæc cum ijs constitutionibus,  
quas in Iustiniani Cod. legibus conuenire possint. Sed  
quid hoc? A Gratiani, & Theodos. ætate, ad Iustini.  
tempora 150. annorum spatium intercessit. Nemo  
uero, uel mediocriter eruditus est, quine sciatur quo ma-  
gis à martyrum ætatibus mundi secula recesserunt,  
eo plus roboris, & efficacitatis sumpsisse Antichristi  
mysterium. Neq; debent cruentæ recentiorum Impe-  
ratorum constitutions (si modo aliquas fecerunt) a  
liquid de fide, & authoritate scriptorum illorum de-  
rogare, qui uictusiorum Cæsarum pia gesta scripsere,  
à quoruætate ipsi non longè recesserunt. Verum ut-  
cunq; Iustinus aduersus hæreticos atrocē, & cruentā le-  
gem sanciuferit, nusquam tamen legitur, eo uiuēte ex ea  
lege in hæreticos uimdicatū esse: tametsi eius ætate An-  
themius Constantinop. Imperialis sedis Episcopus Eu-  
tychiana hæresi infectus uixerit: q; quidē plurimis Rō. Platin.  
Episcopis molestie, & exitij cauſa fuit. Neq; Cæsarē  
legimus ex lege ab se lata hominem multasse, neque  
quenq; ex eum sectantibus: quorū non exiguum numerū  
habuisse par est tantæ urbis Episcopū. Immò ipsumet  
Iustinianū legē postea multò supiori æquiorē in Nesto 1. Cod. nū-  
rij hæresim cōdidisse legitur, Nā, Præterea (inqt ille) 3. tit. u  
fancimus,

## SECTIO SECUNDA.

sancimus, ut qui impiam Nestorij fidem sectantur, aut illicite eius doctrine adhaerent, si Episcopi fuerint, uel clerici, sanctis Ecclesijs ejusdem sacerdotibus; si laici, anathematice damnentur. Haec tenus lex. Ex qua, & ex Anthemij impunitate coniisci, immo uerius percipi potest, Cæsarem hunc cruentam illam legem ad terrorem promulgasse: quam quidem ab eius ætate, ad Hussij, & Pragensis incendium, nusquam in uiridi obseruatione fuisse legimus. Quod autem dixit quidam, antiquos Christianos Imperatores modò exilio, modò pecuniaria pœna, modo etiam morte hereticos multare conuenisse, quatenus ad mortem attinet, egregium mendacium esse constat.

At Imperatorum pietatem, ac in tolerandis hereticis mansuetudinem intuentes, acriter in eos quoque inuochuntur: ac zelum, & scientiam maiorem in eis requirere dicunt. Credo equidem. Ast ijdem Cæsares, si uiuerent, maiorem in ipsis pietatem, & equiorent scripture intellectum fortasse exoptarent.

Hic demum aduersarij, quum sole clarius uideant veterum Christianorum Imp. decreta, authoritatem, exempla, cumq; hereticis tractandi rationem nobiscum facere, asserunt fundamentum hoc eiusmodi non esse, ut inde Reges, ac Magistratus norma elicere possint, qua cum hereticis iure agere debeant. Certissimam regulā, cui quidem refragari non posset, esse uerbum Dei. Sed quis impius unā ac bardus hoc negavit? At uero interim affirmamus, ut sancti Euangelijs authoritatem, veterumq; Patrum, ac recentiorū Thelogorum

logorum sententias, ita quoq; Imperatorum exēpla,  
et eorum etatum Rom. Episcoporum decreta, et cū  
hæreticis agendi rationem, à nobis facere.

Quòd autem deniq; obijcunt, tantos fuisse eorum  
temporum tumultus, Rom. Imperio domi forisq; mi-  
serimè uexato, tantamq; Episcoporum ambitionem,  
tantam demum rerum omnium perturbationem, ut  
sēpenumero Principes officium suum neq; intellige-  
re, neq; eo fungi potuerint: concedimus: quatenus sci-  
licet boni Principes bellorum negocijs impliciti, ac  
Regnorum mutationibus diuexati, quum nuper Chri-  
sto nomen dedissent, nec in sacrī literis satis adhuc  
uersati essent, Episcopis fidem habentes, quicquid illi  
effutiebant, Dei oracula esse censebant. Quocirca,  
quoties Cæsares ipsi, clementia seposita, cruentas le-  
ges in hæreticos condiderunt, suspicari possumus, ne  
dicam certè affirmare, ab ambitiosis Episcopis, falsif-  
que doctoribus fascinatos, et inductos id fecisse. Qui  
quidem Episcopi, quum Paulinis, et Christianis ar-  
mis hæreticos debellare fortasse diffiderent, Cæsareū  
gladium implorabant, et ad Jeueras condendas leges  
ipsoſ Cæsares impellebant. Quòd autem coniectura  
hæc nostra respuenda non sit, id nobis exemplo erit,  
quod de Theodosio Synæde episcopo traditum legi-  
mus, qui usque adeò fertur insectatus esse hæreticos, Socr.lib. 7.  
cap: 3.  
quos Macedonianos appellabant, ut etiam eos et ur-  
be, et agris pelleret, cuius rei cauſa quoq; Constan-  
timopolim profectus, aduersus eosdem hæreticos pro-  
uincialia edicla impetravit. Quod tamē, ait Socrates,

## SECTIO SECUNDA.

contra morem orthodoxe ecclesie fuisse, quæ nem  
nem persequi consueisset, ut supra etiam annotau-  
mus.

Socr. eod lib. cap. 29. O mira im-  
pudentissi-  
mi nebulo-  
nis arrogā-  
tiam.

At postea non dissimile factum legimus de Nesto-  
rio Episcopo Constantinopolitano, qui ad iuniorum  
Theodosium inter concionandum ita dixisse fertur.  
Da mihi ô Imperator terram ab hereticis repur-  
gatam, & ego tibi uicissim cœlum dabo: disperde me-  
cum hæreticos, & ego tecum disperdam Persas.

His igitur exemplis abunde satis probatur conie-  
ctura nostra: Ambitiosos scilicet & sanguinarios Epi-  
scopos fuisse, qui Reges ad saeuiam concitarint, &  
ad cruentas condendas leges persuaserint.

Ex predictis insuper Socratis uerbis manifestè col-  
ligitur, ante ea tempora Christianas Ecclesiæ civilis  
potestatis iuribus hæreticos insectari non consueis-  
se, magnoq; dedecori Episcopis fuisse, quin & pro re-  
impia habitum, Magistratus autoritatem in religio-  
nis negocio implorare. Quod quidem satis quoq; ap-  
paret Augustini exemplo. Quum enim Catholici ua-  
rijs (ut diximus) misericordi modis à Donatistis, & Cir-  
cumcellionibus uexarentur, nec amplius ferri posset  
corum improbarabes, tandem inter Episcopos agi-  
tatum est de implorando aduersus eos Cæsaris præ-  
sidio. Mansuetioribus (inter quos August. fuit) id non  
pos ad im-  
plorandū  
Cæs. auxi-  
lium.

rijs (ut diximus) misericordi modis à Donatistis, & Cir-  
cumcellionibus uexarentur, nec amplius ferri posset  
corum improbarabes, tandem inter Episcopos agi-  
tatum est de implorando aduersus eos Cæsaris præ-  
sidio. Mansuetioribus (inter quos August. fuit) id non  
probabatur: existimantibus non decere Episcopos a-  
lijs armis uti, quam uerbo Dei precibus, & si malum  
insanabile uideretur, anathemate. Nam cum hæc enar-  
rans inquit Erasmus usq; ad etatem Augusti: hoc est,  
plus quam

plusquam 400. post Christum natum ann. nusquam Erasm:in legitur orthodoxos Cesaris presidium aduersus haer. Resp:de In*v*  
relicos implorasse: id quod ab ipsis haereticis frequen quis.  
tissime factum constat: et quod tandem catholici ij-  
dem Episcopi, carnales potius, quam doctrina, et sp*iritu*  
ritu Dei praeediti facilitare didicerunt.

Eo ferè tempore, quo Innocentius Rom. ecepit Hist. trip. II.  
Nouatianos aliasq; improbas sectas persecuti, Noua- u. cap. 9.  
tiani ipsi, Imperatore permittente, proprias habebat  
Ecclesiæ, Episcopos, Diaconos, et Concilia: nec à  
Rom. Episcopis unquam uexati fuerant. Quinimò, Socr. lib. 64  
nec tunc quidē Constantinopoli diuexatos fuisse con- cap. ii.  
stat. Quamuis autem Rom. Episcopi apud Imperato-  
res summo studio in hoc incumberent, ut ij, qui haer-  
etici dicebantur, ex urbe ejacerentur, nunquam tamen  
illud oblinere potuerunt, usque ad Imperium Iustinia-  
ni, anno circiter 525. ad Imperium euclii. Is autem A-  
gapeto Rom. Pontifici post multa improba hortaner-  
ta concessit, ut urbe ejacerentur, et eorum Ecclesiæ  
diruerentur. Quo quidem exemplo haud dubie colli-  
gitur, sicuti Episcoporum incredibilis importunitas  
Cesarem hunc ad haec facienda impulit, ac penè coe-  
git, ita eadem quoq; ad cruentas illas leges, quæ aduer-  
sarijs mirificè placent, rogandas cum inductum fuis-  
se. Quas tamen, nec eius (ut diximus) tempore, nec  
per multas ab eo etates in usu fuisse legimus. Quapro-  
pter Berengario ipsi, ann. circiter 1035. qui non de Ex Erasm:  
confessionis origine, neq; de Purgatorio interroga- in Resp. de  
tus, sed de Christi corporis ueritate in eucharistie sa Inquis.

## SECTIO SECUNDA.

eramento à Rom. Ecclesia diuersum sentiebat, ne tum quidem mortis poena irrogata, aut uis ulla est adhibita, quum semel dimissus, in eandem opinionem relapsus est: quanquam Ecclesia illa iam tum ad potentiae, & authoritatis culmen ferè euaserat.

Sed alio iterum modo excipiunt aduersarij: temporum uidelicet rationem in Ecclesia esse habendam. Non placere Deo Ecclesiam suam eodem semper modo administrari. Concedo: quatenus scilicet ad instituta, ad politiam, ad ecclesiasticam deniq; disciplinam attinet: quæ omnia, quum sint adiaphora, docti, ac p̄ij Episcopi arbitratui pro temporum captu prudentia adhibita, consulto populo, eodemq; assentiente, mutanda permittuntur. At enim ea, quæ Dei mandato firmantur, quis mentis oculis captus, hominis arbitrio immutanda subiicit? Non furaberis, non occides, nō scoriaberis, & eterna sunt Dei præcepta: nec quāvis temporum conditione emergente abrogari licet. Quod si diuina lege sancitum esse constaret hæreticum morte multandum esse, nulla conditione, nulla temporu[m] habita ratione, diuinum illud præceptum abrogare, aut immutare fas esset. Adde quod nulla certa ratio constat, cur potius Constantini, Theodosij primi illius p̄issimi Cæsaris, aliorumq; Christianorum Imperatorum tempore, quam ætate hac nostra hæretici es- sent ferendi. Imò uero, si unquam sequititia, & rigore opus fuit, Constantini tempore necessaria hæc videbantur, toto ferè orbe Arriano dogmate perfuso. Nec

ad eo

ad eō Imperij negocijs detinebatur ipse Cæsar, quin,  
quemadmodum magnam illam synodū hæreſeos re-  
ſinguendæ cauſſa conuenientiam curauit, ita quoq;   
qua ratione tractandi eſſent hæretici decerni ab ea, ac  
statui curare, ac tandem hæreticum Arriū ab ea dam-  
natum merito ſupplicio afficere posſet. Theodosij  
quoq; tempore Manichæorum, & Arrianorum fe-  
cta Mediolani uigebat: neq; tamen Imperator aut mo-  
tu proprio, aut à pifſimo, doctiſimoq; Epifcopo Am-  
broſio ſollicitatus, in eos ſeuijt. Cur nunc potius, quā  
tunc decet ſæuitia? Quibus negocijs impeditus, quoniam  
timore exterritus eſt ipſe Cæſar, quō minus, ſancto  
quoq; illo Epifcopo, aut etiam Romano, in Consilijs  
adhibitis, hæreticos coerceret, ultimoq; demum ſu-  
pplicio tollendos curaret? At Ambroſius (credo) hære-  
ticis fauebat: qui tanto rigore, ardentiq; studio eos in-  
ſectabatur. Num ille uerbi Dei ſpiritus, qui tot hære-  
ſes antiquitus extinxit, extinctus eſt hodie: ut eius lo-  
co ciuilem gladium ſuccedere fit neceſſe? Quod au-  
tem inquiunt, ab apostolica synodo, quæ à Luca descri-  
bitur ad Constantini tempora nullū legi in tantis tur-  
bis, & Ecclefiarum diſiidijs habitum conuentum, in  
quo aduersus hærefes communi consilio quicquā de-  
cerni poſſet: non uident, Concilium ipsum Nicenum  
(ut dictum eſt) ea de re decernere potuisse: & tunc po-  
tiſimum neceſſarium, & apprimè congruens fuiffe.  
At uero, neq; de hoc Cæſar ad Concilium retulit, neq;  
Concilium ipsum motu proprio quicquam ea de re  
decreuit, nec deniq; ab Apostolorum temporibus ad

## SECTIO SECUNDA.

Costantiense Concilium, per 1300. & amplius curriculum memoria extat, Concilium quodpiam à se damnatos hæreticos Magistratibus morte mulctandos tradidisse, aut Cæsarum aliquem eosdem à Conciliis damnatos necasse.

Satis igitur ex superioribus æquo lectori patebit, piorum Cæsarum clementiam ob Episcoporum ambitionem scœnitia respersam, cruentasq; leges eorum impulsu latas fuisse. Quorum exempla sequunt nostrum aliqui, Magistratus ad ea peragenda persuasere, quæ ab initio Euangelicæ lucis ætate nostra in mundo instauratae, Ecclesie omnes detestarunt.

## • SECTIO TERTIA.

**H**actenus (ni fallor) à nobis aperte demonstratum est, quantū abhorreat Christiana pietas, ac uera Christi doctrina ab insectatione religiosis causa à uiolētia in hominū mentes, ab impia papistica inquisitione, à gladij tandem scœnitia in nō credentes exercēda. Vnā etiā patefecimus ab antiquis Patribus rationem istam cum hæreticis agendi, eosq; extirpandi improbatam, à primis pijs Imperatoribus nunquam usitatam, imò potius reieclam, à recentiorū deniq; non infimæ classis Theologorum quamplurimi detestatam fuisse. Deinceps uidendum est, quid contraria afferant aduersarij, quidq; ad eorum rationes & argumenta respondendum uideatur.

Primo igitur, fatemur (inquiunt) priuatæ functio-

nis

nis non esse, neq; ad doctrinæ Ministros spectare hereticorum vindictam, & coercitionem. Non enim gladij potestate instruxit illos Deus, sed ciuitibus Magistratibus cum commendauit. Ministros igitur hac in re Christū imitari debere, qui non uenerat in mundum, ut nolentes ui adigeret, sed ut amanter, & spiritus dulcedine illectos ad se traheret. Attamen (pergunt) quum uerbi Minister semel, bis, terue ad uerbi Dei normam doctrinæ corruptorem admonuerit: is uero dicto audiens non fuerit, nec ad frugem reuertatur: imò potius uenenum spargere non cesset, Ministri munus erit, contumacem illum ad Magistratum deferre, coercendum curare, & si non resipuerit, capite etiam pro heresos grauitate plectendum ostendere ac suadere.

Primum ea ipsorum confessio minime necessaria fuerat. Nam quod priuatos Christianos, uerbiq; Ministros attinet, nemo est qui rem in questionem uocas, negandi, aut fatendi illis præbeat occasionem. Quod autem ad Magistratus, iam superius palam fecimus, an ciuilis gladij acies ad fidei, ac mentis errata penetrare posse. Sedenim subiiciunt, Ministris munere suo defunctis, ac solum accusantibus, Magistratum à suo cessare non debere. Hic uero quam inducant rerum repugnantiam non uident: Qui enim haec duo coherere possunt: Ministri Christum imitari debent, quia nolentes non cogebat, sed amanter spiritus dulcedine illectos trahebat; & Ministri santes ad Magistratum deferre, & capite plectendos curare debent? Verbi

### SECTIO TERTIA.

Minister nonne Christi uoluntatis executor est? At quum procurator quispiam, aut seruus, cui res à Domino suo agenda demādatur, ex heri præscripto rem confecerit, nōnne dicimus id dominum fecisse? nam (ut aiunt) qui per alium agit, per se ipsum agere uideatur. Quod si quæ Minister egerit, Christum ipsum egisse censeri debet: proponitur nobis profectò quidam Christus, non sane mitis, ac benignus, sed quidam seuisimus delator. Quod si nobis (ut fatentur) Christus est imitandus, Christi saeuitiam (si modo in eo reperiri saeuitia potest, ut id censentes opinari uidentur) non autem benignitatem, sumus imitaturi. At uero ex eis quidem quæro, quibus sanctæ scripturæ testimonij probare possint, Ministros ex officio hereticos, etiam conuictos, non resipiscentes, sed præfractè quoq; erorem retinentes, Magistratui denunciare, non solum posse, sed debere. Nonne habemus, extrellum ecclesiastici ministerij opus esse excommunicationem? Est enim Ecclesiæ excommunicatione, ut ciuili gubernationi mors damnatorum: & sicut apud Iureconsultos ciuilis mors dicitur exilium, ita apud Apostolos & eorum successores poena capitis erat ab Ecclesiæ consortio aliquem submouere. Quid igitur reliqui est Ecclesiæ uniuersæ, ne dum Ministris ipsis, excommunicatione promulgata? Imò uero re ipsa rectè perpenfa, extremitate huius horribilis iudicij iuribus examinatis, facile quiuis percipere poterit, homines huiusmodi fulmine percussos tales esse, quod attinet ad Ecclesiæ, ut quasi non amplius in uiuis degant: sed ad aliam

Iam uitam transmigrauerint, ac inter dæmones uer-  
sentur. Neq; deum inter Christianos recipi debet,  
ut Ministri, qui reconciliationis uerbum obtinet, mu-  
nere ullo fungantur, quo Christus, aut functus non fue-  
rit, aut saltē ipsis fungendum non diserte mandaue-  
rit. Videant igitur an reconciliationis uerbum cum  
delatoris officio recte congruat: ac tandem ostendant,  
quibus uerbis sanctus Dei spiritus, eos, qui sanæ do-  
ctrinæ perlinaciter resistunt, Magistratibus per uerbi  
Ministros deferendos instituerit. Iam ex Caluini do-  
ctrina hoc non probabunt, qui consentaneum non es-  
se dixit, ut qui monitionibus nostris obtemperare no-  
luerint, eos ad Magistratus deferamus.

Calu. Inst.  
li. 4. cap. 11.  
sect. 4.

Quimodo Ministri hoc peragentes, quomodo  
Pauli instituta, ac præcepta seruabunt, que prima se-  
ctione in medium attulimus? Præsertim quum Timo-  
theum instruens, postquam dixisset: oportere eum er-  
ga omnes mitem esse, ad docendum accommodatum,  
iniuriæ patientem, cum mansuetudine dissentientes e-  
rudentem: statim subdit, si forte Deus eos ad frugem  
reuocauerit, ut uerum agnoscant, ad seq; redeant, et  
diaboli laqueos euadant: Atqui, quo pacto mitis dici  
poterit minister ille, qui uilissimi accusatoris officio  
fungatur? Quomodo improbos feret, si rabie percis-  
tus ciuili gladio iugulados obiiciet? Quomodo mise-  
ris sotibus dabitur pœnitendi spatium, et ex a post.  
præscripto ueritatis agnoscendæ, seq; à diaboli laqueo  
afferendi tempus, si pastor eorum, qui eos pacatè tol-  
eare, patienter eorum resipiscientiam expectare, ar-

2. Tim. 2. 24

"

"

"

### SECTIO TERTIA.

guere, increpare, ac tandem (ut alibi præcipit Apost.) cohortari debebat, omni adhibita clemètia, ac doctrina, horū munerum uicem accusatione implebit, eosque Magistratui ad necem tradens, corporis unā, & animæ interitus cauſsam dederit? Quam quidem animam in iudicij die reposcet Dominus ē manibus impij illius pastoris. Hic uero animaduertendum occurrit, Apostolum quum cauſsam anneclit, cur hæreticū tolerari præcipiat, hoc est, si quando, siue (ut alijs placeat) si forte, Deus eos ad frugem reuocauerit, &c. certum ac determinatum tempus non præscribere, adeo ut quum nobis uideatur nihil prætermisſe, ut hæreticum ad bonam frugem reuocaremus, ni resipiscat, ad Magistratum deferre, & puniendum curare possumus. Imo potius dicens, SI Q V A N D O, aut SI F O R T E, longum, & indeterminatum tempus natat, in Dei uoluntate, non autem in hominum arbitrio repositum: ipsius etiam hæretici uitam Deo uolente equaturum: quum, diuino spiritu suffragante, uno quoq; uite momento ad extremum usq; eius punctū resipiscere, & agnitam ueritatem amplecti ualeat. Ceterum, quia ad probandam sententiam suam de hæreticis ad Magistratum per Ministros deferendis, speciosis rationibus non destituūtur: inferius, decentiore nobis oblata occasione, locum hunc resumentes, argumenta eorum recensebimus, ac pro uirili parte confutare conabimur.

Verum interea dicāt obsecro, quo pacto aliud Pauli præceptum scrubunt Ministri, hæreticos accusantes,

## SECTIO TERTIA.

142

les, ut ignorantes ignorare permittantur. Cur præcipit 1. Cor. 14.38  
 Apostolus ignorantem ignorationi suæ relinqui? An  
 ut ignarus intereat? Absit. Sed ut amanter ignoratio-  
 nem suam ferentes, expectemus an Deo aliquando pla-  
 ceat ignarum uiuentem in doctissimum, & in Euan-  
 gelij ueritate eruditissimum commutare. Diuus quo-  
 que lac. inquit, Eum, qui sotent ab erroris uia reuo-  
 cauerit, animam ex morte uendicaturum. At enim hi  
 nostri reuocandi, & à morte animam afferendi uice  
 perpetuo eius interitu supplere nolunt. Qui quidem  
 animæ interitus necessario corporis mortem conse-  
 quitur: si modò (ut afferunt) is qui hereticus moritur,  
 gehennæ damnatus est: quam forte euasisset, si ex  
 Christi, & Pauli præscripto patienter, ac benignè ha-  
 bitus esset, morboq; eius salubrius medicamentū fui-  
 set adhibitum. Ne eum pro inimico habete (ait alibi 1. Thess. 3.15  
 Apost.) sed ut fratrem admonete. At qui perbellè qui-  
 dem ut frater tractabitur, si ab eo, qui illū seruare de-  
 bebat igni destinabitur. At Minister hoc non facit (in-  
 quiem) sed Magistratus. Imò uero Minister quoq; nā  
 ut nostrate proverbiale sententia dicitur, in oui deglu-  
 benda, & que opus peragit is, qui ouem tenet, atq; ille  
 qui corium detrahit. A me discite (inquit Dominus) Matt. 11.29.  
 qui mitis sum, & animo submissus. Quod si Christia-  
 nis omnibus dictum est, uerbi tamen Ministros præci-  
 puè petit. Quorum quidem aliqui se uitia potius Chri-  
 sti conditioni prorsus aduersa, eum imitari nescio quo  
 pacto se credunt. Cuius quidem Regnum omni dulce-  
 dine, benignitate, clementia, ac tolerantia consistit.

Dei

### SECTIO TERTIA.

Luc. 15. 4.

Dei erga peccantes toleratio, et pœnitentibus excipiendis benignitas, per pulcrè declaratur in parabolis à Luca descriptis. Frementibus enim in eum scribis, ac Pharisæis, quod improbos admitteret, tribus parabolis cæca eorum iudicia retundit, ac improbat. Pastoris scilicet, qui una ouium amissa, non aginta reliquis, eam queritans, inuentā humeris imponit, ad causas reportat, amicos conuocat, utq; sibi congratulentur admonet. Mulieris itidem, quæ drachma amissa, ut primum accensa lucerna, ac diligenter domum uerrendo, ea conquisita, tandem inuenit, amicas uicinasq; aduocat, cumq; illis lœtatur. Profusi deniq; filij, qui bonorum competente parte à patre recepta, quū tolant luxuriose uiuendo prodegisset, & ad se tandem reuersus patrem adiisset, non benignè, & amanter modo, uerum honorificentissimè quoq; ab eo exceptus, & charissimus est habitus. Quæ quidem cuncta exempla ad nos docendos edita, & scripta sunt: præcipue tamen animarum pastores monentia, ne amissarum ouium inuentionem, perditorumque filiorum reuersionem unquam desperent: sed Magistri sui D. Iesu benignam tolerantiam imitantes, peccatores non perdant (non enim eorum mortem, sed conuersione expedit Deus) at potius eos querat, & ad uiam, à qua declinarunt reducere satagant, eorum redditum patienter expectantes, non autem terroribus, minis, seuisq; insectationibus, corporum animarumque interitu molestientes.

Eadem benigna tolerantia nobis suadetur ab ipso seruare

seruatore, docente quare ratione sit nobis agendum cum  
fratre offendiculi occasionem nobis præbente: quem  
prius, ita ut solus tecum adsit, reprehendendum ad-  
monet: deinde uno, uel altero teste exhibito: Tandem,  
ni dicto audiens fuerit, Ecclesiæ denunciandum: quam  
si non audierit, deuitandum, perindeq; habendum, ac  
si extraneus esset, et publicanus: nihil præterea faci-  
endum ait. Quod si unumquemq; Christi sacris initia-  
tum hæc decet erga errantes fratres benigna tolera-  
tio, ijs potissimum uel maxime conuenit, qui non spi-  
ritualibus tantum dotibus à Domino locupletati, cæ-  
lesti per Christum beneficio illis patefacto: uerum tem-  
poraneis etiam donis aucti fuere: quippe quum Deo  
suffragante paganorum inquisitorum manus elapsi,  
debitorum eorum à Deo remissionem sunt consequi-  
ti, que ne sanguine quidem, neq; uita ipsa soluere po-  
terant. Quod si contrà saevitiam in fratres exerceue-  
rint eius generis homines, iure merito id in eos incul-  
cari poterit, quod Dominus in Euangeliō insolenti il-  
li seruo obiecit: cui quum debitum condonasset, ipse  
autem alterius conserui sui centum denariorum cre-  
ditor esset, eum comprehendit, illiq; collum contor-  
quens, solue mihi quod debes, inquit: Eumq; malis mo-  
dis urgens, in custodiam dari curauit, donec debitum  
soluisset. Quod quum Dominus ex conseruis resciuissi-  
set, eo accersito, his uerbis obiurgat: serue nequam, e-  
go tibi totum nomen illud à te rogatus condonauis:  
nōne debebas tu uiciſſim tui conserui misereri, ut ego  
uui misertus fueram? Itaq; iratus, merito supplicio fon-

Matt. 18. 15.

Matt. 18. 28.

tem

### SECTIO TERTIA.

lēm affecit. Quod quidem minime dubitari potest illis  
euenturum, qui similibus casibus Domini miserationē  
experti, ac debitorum condonationē consequuti, ip-  
suis pietatē renuentes, serui illius crudelitatem imita-  
buntur. Sed hactenus de h̄ereticis à Ministris non ac-  
cusandis. Iam uero, quia Christi imitationem præten-  
dimus, ad hunc uadum nos iterum inuadunt aduersa-  
rij, Christumq; sibi imitandum proponere dignum fa-  
ctū esse asseuerant: ceterum incongruē colligi, Chri-  
stus mansuetus fuit, mitis, ac benignus, ergo Magistra-  
tus hominibus religionis caussa occidendis seuire nō  
debet. Etenim contumeliosum hoc seuitiae nomen no-  
bis potius conuenire: qui corporibus parci uolumus,  
ut h̄eretici impunē ac tutō in miserias animas grassan-  
tes, falsorum dogmatum suorum ueneno eas inficiāt,  
ac demum occident. Quare altè exclamant, pr̄ epope-  
ram esse clementiam, rapacissimis lupis parcere, ut  
poenarum timore soluui, miserias & innocentes oues  
Christi sanguine redemptas deglubere, discerpere, ac  
laniare ualeant. Nos tandem nostro hoc charitatis,  
Christiq; benignitatis generali argumento simpliciē  
hominum oculis fucum facere, eorumq; mentibus ne-  
bulas offundere, quippe qui uera à ficta, & falsa cha-  
ritate discernere nescij, miserè decipimur. Hic uero  
inculcant haud quidem crudeliter h̄ereticos traſclarī,  
si eorum salutis, quoad eius fieri possit geritur cura.  
Nos autem, lupi & ouium metaphora in pr̄esentia o-  
missa, quam mox una cum medici, patris, pastoris, &  
pr̄edonis collationibus ab aduersarijs productis tra-  
slabimus:

et absumus ad ultimam ratiocinationis eorum partem  
respondentes, dicimus, si hereticorum saluti est con-  
sulendum, quomodo eius morte salutis suæ ratio habe-  
bitur? Argue, admone, increpa, obsecra, doce cum  
omni patientia, et doctrina Quod si co pacto nihil  
proficias, ueram, sanctam Christianam adhibe discipli-  
nam, eaq; in ipsum ritè animaduertito, at non occidi-  
to: nam ea ratione quod queris non assequeris: salu-  
tem eius uidelicet per eius conuersationem: quam post  
interitum consequi non possumus.

Pergunt deinde, et interrogant, possitne charita-  
tis expers uocari medicus, ac pater, quorū alter phre-  
neticum in vincula coniicit, amaraq; pharmaca pota-  
re cogit, alter filium improbum uerberat? Minime sa-  
nè: modò uterq; in ijs peragendis modum habeat. Me-  
dicus certe uinculis phreneticum cohabet, et phar-  
maca propinat, uenenum uero minime. Itemq; pater  
filium uerberat, sed non occidit. At quid non sœuissi-  
mi appellari poterint Medicus, ac pater ille, qui uin-  
culorum, et iustæ castigationis uice, phreneticū hic,  
filium alter interficiat? Hoc enim remedio, quo cun-  
dis humanis actionibus finis imponitur, nec phrene-  
tico sanam mentem recipiendi, nec filio malos mores  
emendandi, uirtutesq; addiscendi, neq; demum here-  
tico ueritatem agnoscendi, falsaq; dogmata repudian-  
di facultas relinquitur. Quin, et cunctis acceptum be-  
neficium agnoscendi, ac benefactori suo gratias agen-  
di occasio præripitur. Videant modò quam belle co-  
harent speciosæ he comparisones. At uero ego co-  
rum

### SECTIO TERTIA.

rum metaphoras persequens, aio, quòd sicuti phrenetivus, qui vinculis, & pharmacis adhibitis nunquam sanæ menti restitueretur: itemq; filius, qui discipline seueritate ad frugem non rediret, neq; virtutem amplecteretur, à medico, & à patre non occiderentur: eadem ratione hæreticum, etiam si quibus suis officijs, & ad eum sanandum adhibitis remedij non conualescat, nullo modo interfici debere. Præterea, ut etiam ostendamus his comparisonibus hæretici punitionē aliquam, nedum mortem comprobari non posse, dici mus improbum filium sceleris sui sibi consciū esse, & ideo non solum puniri debere, sed poenis quoq; ad frugem reuocari aliqua ratione posse, phrenetico uero ideo amara pharmaca exhiberi, non ut is amaritudine illa uel puniatur uel sanetur, sed ut pharmaci uirtute, quod dulce etiam esse aliquando contingit, & ex accidenti, ut dici solet, non autem ex medici proposito est amarum, à morbo liberetur. At hæreticus, ut prima sectione abundè demonstrauimus, nullius est sibi erroris conscius, quare nec puniri iure potest, nec punitione unquam ab errore retrahetur. In poenis autem nulla alia uis esse potest, si qua tamen est, ad eum sanandum, quam ipsa amaritudo, & que inde proueniunt afflictio, atque uexatio, quæ consulto ad hoc à nostris, si Deo placet, animarum medicis queruntur, quibusq; hæreticum omnino indignum esse constat. Sed iam pastoris, & ouium comparationem aggrediamur. Iniuria crudelis, inquiunt, appellabitur pastor, qui aberrantes, ac liberius palantes oves ad cau-

laſ uirga compellere satagat. Hoc profecto nemo inficiabitur. At contraria nemo sane mentis concedet aberrantem in deserto ouem necare, aut lanio iugulandam tradere, rationem esse, qua misella ouis ad ouile reducatur, neque si mutum animal uerberibus à proprio malo reuocatur, homo itidem ui à mentis errore liberabitur, is præsertim qui ne eam abiciat, mortem ipsam subire non recusat. Sed quæ (malum) pastoris, aut, charitas effet, miserum gregem lupis laniandum, aut prædonibus diripiendum, seu tandem à morbida que inficiendum permittere? Pulcræ quidem similitudines; uerum plausibiles potius, quam appositæ. Morbida enim ouis, ut conualefaciat, neq; bene ualentes inficiat, ab eis segregatur, ægritudini suæ medicina adhibetur, sed non occiditur: Quod si medicamentis nihil proficitur, sorti eius uita permittitur. Sic igitur hereticus uita, Dei uoluntati permitti debet. Lupi denum, et prædonis exemplum propositæ nobis materiæ nequam conuenit. Quandoquidem lupus in oues græfatur ut eas occidat, ex ijsq; uescatur; prædo, ut rapiendo locupletetur; Hereticus autem gregem Christi adoritur, non ut obfit (nam quid sibi lucri accedit ex animarum pernicie?) sed iuuandi instituto. Quare non perinde atq; illi uel puniri uel etiam occidi potest: sed curandum tantummodo est, ut neminem suis erroribus inficiat, quod & citra mortem fieri potest, & illius pena appellari non meretur. Nec magis eadem ratione congruit similitudo patris fam. qui libidinibus, & stupris debitum (ut inquietunt) nebulonem in edi-

### SECTIO TERTIA.

bus suis uersari finit: qui uxorem eius, & filias seducat, atq; corrumpat. Nam scelestus ille, erroris sibi conscientius, cupidini suæ explendæ inhibens, proximi dampnum ac dedecus suisq; deq; habet, modò uoti sui compos fiat. Hereticus autem bona mentis sibi conscientius, proximosq; suos sana doctrina iuuare, reclamq; uitæ docere autumans, in id neruis omnib. incumbit. Preterquam quod, neq; etiam pater ille ( si qua prudentia polleat) nequissimum illum stupratorem interficiet. Quin potius honesto aliquo initio consilio ac ratione solum à domo sua arcendum curabit. Quo etiam consilio ac ratione hereticos à Dei domo arceri probamus, ne animas seducant, & ad diaboli supra pelli ciant.

Sed quid ego per hoc similitudinum, ac comparationum, nihil penitus ad rem facientium pelagus, tam longè lateq; euagor, & excurro? Equidem, quum primùm calamo manus admoui, huiusmodi nugis confundandis tempus non terere in animum induxeram. Verum haud ignarus quantum hec, quamvis leuisima ad simplicium mentes persuadendas, & à recto trahentes auertendas habeat efficacie ( ijs enim magis, quam firmis uerbi Dei testimonijs sepe mouentur ) hos cauillationum non admodum artulos nodos explicare conseruit. Etenim sunt omnia satis speciosa, & plausibilia ijs, qui hasce artes non norunt nimirum ab hominibus existimatione non minus, quam doctrina pollentibus acutè, & ingeniosè contexta. Ceterum ualent tandem humanæ huiusmodi futilis ratiocinationes et uerbum

## SECTIO TERTIA.

145

verbum Domini perpetuo maneat.

At uero, quia ut supra dictum est, ex eo quod Deus non mutatur, aduersarij colligunt, si semel placuit illi pseudoprophetas, & in Deum blasphemos necari, (quales eorum quidem sententia sunt haeretici) non posse ei mutata sententia idem displicere, haud est ultra progrediendum, ni prius hoc eorum argumentum diluamus. Institutum igitur nostrum non est asseverare, Deum naturam immutasse, ut iustitia penitus reiecta, uni misericordiae omnino inhæreat: Verum tanstanter affirmamus, eum in ueteri lege summa iustitiae siue seueritatem uchementius, quam in noua ostendisse. Cuius rei in noui foederis præsertim sacris literis nusquam non sunt apertissima testimonia. Omnia tamen quasi summa quedam illud est quod Paulus 8. cap. Epistole ad Rom. scribit, nos scilicet non accepissemus iterum spiritum seruitutis ad metum, sed spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater. Hinc fit (quod ipsi aduersarij alicubi fatentur) ut nunc uia ad Dei misericordiam nos perducens multò latius quam antea patet, infandaq; illa execratio, quam lex Ihs minitatibus, qui eam non absolute seruassent, deleta penitus, & abolita fuerit. Neq; uero contendimus (id quod ab eis uitio nobis & culpe datur) misericordiae prætextu Deum altera sua parte malitiosè spoliar, iustitia scilicet, quæ misericordia licet uigente, non tamen cessat interea, & suo peculiari tempore (messis uidelicet) in fontes omnes est grauiissime animaduersura. Interim uero asserimus duram illam seueritatem

### SECTIO TERTIA.

tem, qua ad vindicanda in corporibus criminis Deus antiquitus utebatur. quæq; (ut aperte constat) per Christum uchementie sue multum refusit, non debere in exemplum trahi ad hereticos ciuili gladio mulctandos hoc tempore, quo Deo placitum est cuelendi per messores seruos Zizanias, in ignemq; coniisciendi munus, sibi ac filio integrum reseruare. Quod si Paulus

(ut obiciunt) exemplo grauium suppliciorum, quib.

i. Cor. 10.7. in Hebreos antiquis illis temporibus Deus animaduertit, Corinthiis cōminatur, non ea est apostoli mēs,  
& infra. ut uelit innuere Deum eadem ratione, eodemq; pœnarum genere, uel ita graui hodie fontes punire, quo Mosis tempore punierat, sed simpliciter non euasuros uiuam iram illos, qui inobedientes fuissent, licet à Deo tot, tantaq; dona consequiri essent: quemadmodum neq; antiquitus euaserant illi, qui ab eo tot tantisq; beneficijs affecti, eius legi, ac uoluntati rebelles extiterant. Hæc dixisse uolumus, ut nihil prorsus efficacitatis, uel ponderis habere aduersariorum argumentum à Dei immutabilitate sumptum ostenderemus. Pleraq; alia, que ad sententiam nostram confirmandam affere poteramus consultò omisimus, quū inferius apertissimè demonstrari simus, et leges illas Mosaicas penitus esse abrogatas aduentu Christi, & licet abrogatae nō essent, in hereticū ex illis nunquam animaduerti potuisse.

Sed iam ad argumenta redeo, que circa Christi imitationem nobis opponunt. Aliunt enim, operæ preciūm esse, quum Christus nobis imitandus proponitur,

tur, definire, quid sit Christum imitari, quæq; sint eius facta imitanda, quæq; non. Quatenus autem Christus uariè considerandus est, uarias quoq; adhibere oportere distinctiones. Nam quatenus Dei, & hominum mediator est, proprium habet manus, quod illi soli competit, quodq; solus cumulatissimè præstuit, ut si quis eum hac in re imitari uelit, præterquam quod id frastra concetur, pro stulto meritò habeatur. Quatenus præterea (aiunt) minister fuit ad Dei patris uoluntatem explicandam, potestatem habuit cum nemine communicandam: nouum scilicet fœdus, ueterē abrogato, sanciendi, & pro iure suo conscientias obligandi: quod neque Prophetis, neque Apostolis licuit; nisi quatenus uoluntatis ipsius Christi fuerunt interpres. Deinde summa in eo spiritus plenitudo fuit: in nobis uero ius dona neq; tot, neq; tanta sunt: ut multa fecerit, quæ neq; poscit à nobis, ut imitemur, neq;, ut uelimus, imitari ualeamus: cuiusmodi illud est, quod At in hære quadraginta dies, ac totidem noctes ieiunauit, quod omnne morborum genus sanavit. Sed quatenus fuit perfectissimum obedientiæ exemplum, singulos, inquietūt, cuiuscunq; tandem sint gradus, & conditionis, in cum unum, tanquam in scopum, ac finem unicum intueri debere. Itaq;, sicut ille per omnia Dei patris gloriam omnibus rebus anteposuit, deinde hominibus etiam inimicissimis omnibus modis prodeesse studuit, ita quis que facere tenetur: sed non uno, & eodem modo: quia diuersæ sint in Ecclesia functiones. Ministerium enim suum ad certos homines, certumq; etiam tempus ac-

ticis benignè ferēdis possimus imitari.

### SECTIO TERTIA.

commodauit. Magistratus igitur, inquiunt, Christum imitabitur, primum, si præsidia quæcunq; à Domino accepit, ad ueræ religionis curam, & cōseruationem applicuerit. Concedimus: modò inter præsidia ab eis allata, hominum mors uel supplicium religionis causa non adnumeretur. Non enim quæcunq; (ut uolunt) præsidia à Magistratu ad religionis curam applicanda censemus, sed ea demum, quæ à Dei uerbo non dissentiant: ut illa dissentire in prima, ac secunda nostrarum sectionum palam fecisse confidimus. Imitabitur Christum (pergunt) quum omnia pro uiribus sustulerit, quæ subiectos impedian, quo minus inter se pacificè, & tranquillè mutua charitatis officia exerceat. Itaq; quando sceleratos puniet, & controuersias decidet ad Dei gloriam, & Reip. conseruationem omnua accommodans, Christum dicetur imitari. Nos autem ad hoc respondemus, nō recte hoc dici posse Christum imitari, sed potius, ac uerius Christo obedire. Veruntamen, ut etiam illis detur quod petunt, nemo est qui neget Magistratum in eos animaduertere debere, qui proximum suum lædentes, facultatibus, dignitate, aut uita ablata, uel corpore iniurijs affecto, seu populos ad seditiones excitantes, ac dominia, iurisdictiones, rerumq; status commutare tentantes, ciuilem omnem politiam, communemq; pacem, & tranquillitatem perturbant, atq; subuertunt. Cæterum (ut ostendimus) nihil istis commune cum hæretico. At Ministri pariter (inquiunt aduersarij distinctionem suam per sequentes) baptizando, & Ecclesiastica disciplina cōtumaces

tum acēs coērcendo, Christum imitabuntur, et si neutrū fecisse Christum legitur. Sed enim nos hoc etiam Christo obediē, non ipsum imitari esse assueramus. Contrā uero (aiunt) si princeps, aut sceleris conuictū absoluat, aut hereditatem diuidere recuset, aut docere uelit in Ecclesia, Christum non imitabitur, qui tamen hec omnia fecit. Sed, ut tandem omnia illis ad uotum concedamus (id quod nihil aliud est, quam Christum patri obedientissimū fuisse, eaq; diuina qualitate obedientiē normam, ac exemplar unicuiq; extitisse in eo munere fungendo, ad quod Dei prouidentia uocatus fuerit) erinē ex hoc consequens Christi clementiam, ac benignitatem, ab eis in eorum distinctione preteritam, non esse imitandam? Discite à me (ait ille) quia misericordia sum, & humilis corde. Hac præstantissima, at illi ingenita uirtute meretrices, ac publicanos excepit, peccata condonauit: eadem quoq; a postulōs exornari docuit, adeo ut non tantum septies, sed etiam sepiuagies septies in se peccantibus parcerent. Hac eadem, Paulus eius spiritu afflatus uerbi ministris præcepit, hereticum quamvis impium, & ex aduersariū definitione graphicè depictum tolerari, eius conuersionē expectari, ad Domini iudicium seruari. Eadem quoq; in eodem spiritu scripsit, Nihil esse ante tempus iudicandum, donec ueniat Dominus animorum consilia patefacturus. Eadem deniq; ipse metu Dominus Zizaniorum parabola proposita, malas herbas non extirpandas, idq; muneris messoribus reseruandum, monuit.

### SECTIO TERTIA.

Atenim quia de Christi imitatione differentes addunt Dei facta peccantes punientis, nobis imitanda quoq; proponi, opera & preium est uider e, quomodo id euincere conentur. Ad hoc igitur probandum Apost. Paulum in medium afferunt: qui quum dixisset, apud Corinthios multos esse & geros, et infirmos, ac frequentes obdormiuissse statim subdidit, nos dum punimur a Domino castigari, ne cum mundo damnamur. Haud iniuria igitur (subiiciunt) aliqui nonnunquam uita priuantur, quamvis in reprobis censeri non debeant. Nam Deus etiam paterna castigatione suorum aliquem terrena uita priuare consuevit, ne celestem amittant. Omirum preposterae Christianae charitatis exemplum. Homines occidere, ne in peccatis perseverantes damnentur. Hoc idem ferē dicunt quidam Papistæ: hereticos scilicet tunc recte ac piè occidi, quum heresi abnegata maximum poenitentiale specimen præbent: ex quo certò scire possumus (inquiunt) animas eorum seruatum iri. Sed quis uobis hoc, quis illis reuelauit? Eos primum quis docuit, hereticum (si modo hereticus is esset quem comburunt) ex corde heresim abnegasse, neq; potius ad uitam redimentam resipiscitiam simulasse? Vobis uero quis patefecit, quem necatis hereticum, moriendo saluum fore, uiuendo autem cum mundo damnandum, neq; potius ad fidem convertendum, eternamq; demum uitam affequiturum esse? Certè si uestram heretici definitionem recte perpendicularere uelitis, instituto uestro diuersum finem estis consequuturi. Censetus enim hereticum scientem uolentemq;

lentemq; contraq; propriam conscientiam peccare,  
ideoq; & aduersus spiritum sanctum: quapropter, re-  
sic se habente, omni amota spe æternæ damnationi ita  
moriens addiclus erit. Videte igitur quam bene cohæ-  
reat argumentum uestrum à Paulo desumptum, quum  
dicius, haud iniuria nonnunquam aliquos terrena ui-  
ta priuari, ne cœlestem amittant.

Sed quid quod uerborum Pauli sensus non est, eos  
qui mortui erant, diuino iudicio sublatos fuisse, ne cū  
mundo damnarentur, sed Corinthios, qui adhuc su-  
pererant, multorum morte, & morbis a Deo immis-  
sis ad meliorem frugem reuocari: Praeterea que no-  
bis à Deo infliguntur mala ad criminum nostrorum  
uindictam, seu ad uitæ emendationem aut alio eius oc-  
culto iudicio, non ideo infliguntur, ut in hoc cum imi-  
temur: uerum ut eius indignationem uereamur, &  
pœnitentes corrigamur: quemadmodum habemus in  
Ezechiae & Niniutarum exemplis, non supplicijs ip-  
sis, sed suppliciorum tantum pauore ad Deum conuer-  
sis. Quòd si secus esset, ad ueram, & exactam Dei  
exempli imitationem Paulinis uerbis nobis proposi-  
ti, interficiendi nobis ij omnes essent, qui Corinthio-  
rum more indignè, aut parùm uerecundè Domini cœ-  
nam sumerent. At uero nobis non Dei tremenda fa-  
cta, quibus à Deo plectimur, sed Christi uita, ac mo-  
res, eusq; in mundo uiuentis imitabilia gesta imitanda  
proponuntur. Neq; a post. ipse Deum ea ratione sibi Paul. Chri-  
imitandum proposuit, tametsi fidelem Christi imita-  
torem se fuisse prædicat. Verum hi nostri Dei potius imitator.

### SECTIO TERTIA.

seueritatem in puniendo, quam Christi lenitatem in  
parcendo imitari se uelle ostendūt; nempe ignari Dei  
gloriam misericordia magis illustrem quam iustitia  
Brent. sup. fieri. Id quod quum ostendere uellet Io. Brentius, Quæ  
Ioā. Hom. 4 est ergo (inquit) gloria patris: ut & cognoscamus  
,, quomodo pater glorificetur per Christum filium su-  
,, um? Dicam hoc uerbis in Exodo cap. 34. scriptis.  
,, Quum enim Moses peteret, ut Deus ostenderet ipsi  
gloriam suam, iubet cum Deus stare in uertice mon-  
tis Sinai, & recitat coram eo haec uerba, Dominator  
Dominus, Deus misericors, & clemens, patiens, &  
multe miserationis, ac uerax: custodiens misericordiā  
in millia, auferens iniquitatem, & scelerā. atq; pecca-  
ta. Et mox, Audiamus & uerba Psal. 102 quibus simi-  
liter gloria Dei perspicue exponitur. Miserator, &  
misericors Dominus, longanīmis, & multum miseri-  
cors. Non in perpetuum trascitur, neq; in eternū com-  
minatur, &c. En hæc est gloria Dei patris, quæ his  
epithetis commemoratur. Videlicet, quod sit miseri-  
cors, & clemens, & remittat peccata gratis, ac ser-  
uet timentes ipsum perpetua salute. Hæc ille.

Exod. 20. 5. At multò clarius in Exodo palam fit Dei gloria p  
,, eius misericordiam, quum ait, Ego sum Iehoua Deus  
,, tuus, impatiens socij, qui parentum culpam etiam in  
,, liberos persequor, uel ad tertiam usq; quartamq; stir-  
,, pen ororum mei: clementiaq; utor ad millesimam us-  
que stirpem, erga mei amantes, &c. Vbi misericordie  
meminit millesimam stirpem nominat. Vbi uero de  
poena agit, tertiae, aut quartæ solummodo mentionem  
facit.

facit. Hoc autem ut ostendat gloriam suam in benignitate, & clementia magis, quam in rigore & seueritate elucere. Aug<sup>ustinus</sup> quoq<sup>ue</sup> ipsum Deum alloquens sic ait. Tu enim factor omnium Deus, licet in cunctis Aug. Me operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederis dit. cap. 2. esse in operibus pietatis. Vnde de temetipso per quendam tuum seruum dixisti, miserationes eius super omnia opera eius. Praeclarè quoq<sup>ue</sup> in hanc sententiā scripsit Sauonarola, quum ait. Sinistra tua domine debili or est dextera, quia iudicium facis cum misericordia, & in puniendo parcus es. Dextera autem tua fortis est, quia largus es donator.

Angeli etiam, qui Christi ortum pastoribus annunciarunt, dicentes, Gloria in supremis Deo, & in terra pax, disertè testati sunt, Dei gloriam per misericordiam suam in mundo summopere illustrari; filio scilicet suo unigenita ad nos redimendos cælitus missō, & ad suum in nos immensum amorem patefaciendum desti nato, qui, ut mortuis uitam compararet, eum sibi carissimum acerbiſime morti subiçere non dubitauerit, perpetuum, ac certissimum diuine glorie monumentum, bonitatem, & clementiam sua erga miseros homines declarat. Non igitur parui interest inter Dei seueritatem, eiusq<sup>ue</sup> misericordiam: quum illa tertium, & quartum solummodo gradum attingat, haec autem ad millesimum usq<sup>ue</sup> pertineat. Quapropter, si ex argumento imitationis Dei aliquid in proposita nobis materia concludi posset, à nobis potius faceret ad imitandam eius clementiam, quam ab illis ad emulandā seueritatem.

### SECTIO TERTIA,

seueritatem. Quod si Dei gloria bonitate, & clementia magis, quam ira, & seueritate illustratur, cur diuinam iustitiam potius nobis, quam lenitatem, & misericordiam in hereticis puniendis imitandā proponunt? Si enim eum ad ueniam, quam ad vindictam procliviorem habemus, certe in eo potius imitandus esse uidetur, quo ipse magis abundat, & magis relucet gloria sua, quam quo restrictior est, & minus gloriosus. Hinc autem fit, ut aduersarij aliquando sauij nomine insimulati fuerint. Quod illi ægerrimè ferentes, inquiunt, nos publicam animaduersiōnē uerbi Dei auctoritate confirmatam, à priuata uindicta, seuitiamq; à iusto iudicio distinguere nescire. Hic uero quasi præiudicio agunt, quod enim controueritur, & nos obnoxie negamus, ut euictum ponunt: hereticos inquit ex lege Moaica interfici debere.

Quum igitur indebili se contumelia affici autument seuitie nomine, à quibusdam haud iure (ut putant) sibi attributo: quero ego ex illis, an iudiciales Mosaicæ leges Magistratibus Christianorum in exemplum legum ab ipsis cōdendarum proponantur. Hoc haud dubito concessuros: multos enim eorum hoc affirmantes audiui. Quocirca iterum quero, an leges ipse præcise, & ad unguem in nouis condendis legibus sint imitande. Et aliqui fortasse affirmabunt, aliqui prudentius (credo) negabunt: at Magistratus ad earum exemplum nouas leges sancire posse assuera- bunt: temporum, locorum, populorumq; naturæ habita ratione. Ad hæc quero, an Magistratus leges il-

lis grauiores condere posset, & an morte etiam ple-  
ctere ea delicta, in quæ leges illæ capitali supplicio nō  
animaduertant. Hic equidem magnopere mirarer, si  
posse affirmarent: nam si humanæ leges statuunt capi-  
tales pœnas dilatari non debere, at potius restringi:  
in penalibusq; legibus nos extensione uti non dece-  
re; itemq; odia restringi, fauores ampliari debere, hoc  
magis hodie in diuinis legibus fieri par est. Quum  
ualde absolum sit, in amoris, & gratiae Regno leges  
uigere grauiores illis, que in rigoris, & seueritatis  
Regno uiguerent.

Quod si res ita se habet, Magistratum scilicet le-  
ges Mosaicis grauiores condere non posse; utut ipsis  
detur, Magistratum in hereticum capitali pœna per  
Mosaicas leges in idololatram, blasphemum, ac pseu-  
doprophetam lata animaduertere posse; quum lex  
ipsa Mosaica fontes eiusmodi tantum lapidibus cœdat  
(quo mortis genere, ut alias diximus, unicus solimo-  
do lapidis ictus tormento finem imponere potest) un-  
de hereticum uiuum lento igne torrere didicerint:  
supplicium sanè, quod, ne Scytha quidem Tartarus,  
aut Antropophagus siccis oculis mente cōcipere, ne-  
dum statuere, aut cernere ualeat. At non ita quidem  
olim censuit ex ipsis quidam, quum sancte dixit, Ma-  
gistratus munus esse poliicas leges condere, id est, ad  
externam uitam pertinentes: ea tamen adhibita mode-  
ratione, ut nihil constituat, quod iuri illi ciuili diuino,  
cuius in tota Ecclesia præcipue partes sunt, aduersa-  
ri uideatur: nam alioqui (inquit ille) Tyrannus est, at-  
que

### SECTIO TERTIA.

que potestate Dei sibi concessa abutitur. Et alibi dicitur, Magistratum leges quam aequissimas, & iustissimas, id est a uerbo Dei non disidentes uel ipse condere, uel ab alijs conditas tueri, & ex ijs publica priuataq; administrare debere. Sed quid mirum est Satanā ad huiusmodi facinora Dei legi & Christi clementie aduersa perpetranda eos persuasisse, quū technis suis uersutissimus impostor, non eos tantum, uerum uniuersas orbis partes, in quibus Christi nomen colitur, eō pertraxerit, ut contra Dei institutum, qui aduersus fures, ijs exceptis, qui hominem furati essent, pecuniarias tanūmodo poenas statuit, & furē si soluendo nō sit, pro ea pendenda uenundari permittit, ipsos suspendant. An hoc expresso Dei precepto fit, Non occides? Nōnne Magistratus hoc agentes, ac Episcopi nō conniuentes solum, sed consentientes, factumq; nō improbantes crudeliter agere iure dici possunt? Iam hæc clementiæ Christi imitatio uocari non potest. Præterea mihi dicant (eos quæso) ex quānam ueteris, aut noui foederis lege fieri statuerint, Principem aliquem capite plectere debere adulterum, homicidium, latronem, aliūm uic facinorosum, qui, quum olim idololatra in aliena ditione degeret facinus admiserit, mox uero, Euangelio recepto idola fugiens, Principis illius prouinciam, aut urbem bona fide securus adierit, ibi q; ueram religionem professus inculpatè uiuat. Quæ nam fæuitia erit, si hæc non est? Etenim mihi uidentur qui hæc agunt papisticam Babilonem imitari, in qua speciali prærogatiua uniuersa orbis delicta

delicia cognosci, ac vindicari posse contendunt. Vi-  
deant modò, an equissimæ, ac iustissimæ leges sint, an  
à uerbo Dei dissentiant, an tandem clementiæ, seu se-  
uitiæ speciem habeant, quæ à Deo ad poenitentiam ser-  
uatos maclant: quæ contra Dei interdictum Zizania  
euellunt: quæ poenas irrogant Mosaicis atrociores;  
quæ contra Dei mandatum furem suspendunt: quæ à  
spiritu sancto afflatos ut nos credere Christiana chari-  
tas iubet ex ueram religionem amplexos qui ad eos  
bona fide se tutos putantes configere, ob facinora alti-  
bi patrata extremo supplicio afficiunt: quæ deniq; lu-  
dici Christo munus suum cripientes, animas ad or-  
cum demittunt. Nam Musculo authore (quod supra Musculus.  
diximus & hic repete congruit) qui errantem in “  
errore suo occidit, aut non credit quod pernicioſe, & “  
damnabiliter coram Deo erret, aut si hoc credit, pa- “  
rum est de salute sua solitus. Cui Lutherus (ut dixi- Lutherus.  
mus) adstipulatur, inquiens, Et duplicitis necis, quantū “  
in nobis est, nos reos cōstituimus: corporis, quod per-  
dimus morte temporaria, & animæ quam in gehen-  
nam detrudimus, morte affidentes æterna. His autem “  
Brentius quoq; (ut ostendimus) subscribit, quum ait, Brentius.  
Nam si quis ob incredulitatem, & hæresim statim ef- “  
set multandus, ille non corporali solum uita priuare “  
tur, sed de animæ quoq; salute in discrimen ueniret. “  
At uero obiciunt, hanc eandem rationem pro cæ-  
teris improbis, ac facinorosis hominibus afferri pos-  
se: qui tamen iusta pena Deo mandante afficiuntur.  
Viuentes enim conuersti possent: & in peccato suo  
morientes

### SECTIO TERTIA.

morientes ad inferos detruduntur. Minime sane. Longe enim diuersa est ratio. Nam adulteri, aut homicida, qui ob admissum facinus capite pectitur, haud ob hoc perdenda animæ occasionem habet. Nouit enim iusto se suppicio damnari; pœnitendi spatiū illi relinquitur: nec ea opinione imbutus decedit, ut hominem necando, aut alienam uxorem constuprando, bonum opus se patrasse censeat. Quod si non resipiſcit, ipſe ſibi ſciens prudens perniciſi ſuæ cauſa eſt, non Magistratus. Errorē enim nouit, et fatetur. Quod si talibus daretur ad eorum expectandam pœnitentiam impunitas, omnes non pœnitere simulantes ſuppliū euaderent, mundusq; totus latronibus, ſicarijs, et adulteris impleretur. Hereticus contrā ea opinio ne imbutus decedit, ut ueram doctrinam ſe habere, et eam retinendo Chriſti martyrem fore, pro comperto habeat, ac firmissime credat. Pœnitentia autem erroris cognitionem necessariō requirit: quo circa, qui errorē non nouit, pœnitere non potest. Hęc igitur ratio eſt, cur à Dominō resipiſcendi, ac ueritatem agnoscendi tempus illi conceditur, ne ignorans damnetur.

Amos 5.15.  
Pſal. 45.8.

At odium, et charitas (pergunt aduersarij) oppofita ſunt: utrumq; tamen à Dominō p̄cipitur. Quædam igitur odiſſe, quædam uero amare debemus. Idq; in genere Dominum odiſſe afferunt, quum dixit odio habete iniquitatem, et diligite bonum. Siquidē et ipſe Dominus diligit iuſtitiam, et odit iniquitatē. Reclē ſane. Sed hoc pro nobis facit: Ex eo enim non confequitur homines malos odio habendos, ac propter ea

pterea occidendos esse. Sed (ut dixit August.) diligen-  
di sunt homines, interficiendi errores: & tametsi Do-  
minus odio habet iniquitatem, idem quoq; non pec-  
catoris mortem, sed conuersionem exoptat. At quis  
tandem mediocriter eruditus consequitionem hanc  
comprobabit? Iniquitatem odisse iubemur, ergo homi-  
nes odio habere nobis præcipitum?

Nunc autem ex ijs quæ superius tractauimus pio-  
lectori considerandum relinquimus, an pro haeretico  
non occidendo Christi benignitatis, & clementie imi-  
tationem allegantes, incongruè agamus. Rursus, an  
aduersarij multifariam & quam longissimè ab hac  
imitatione recedentes, Mosaicæ legis rigorem supe-  
rantes, delatorum munus obcuentes, iure merito sa-  
tie argui possint.

Ceterum, iterum excipiunt, Christum, tametsi ui-  
uens infinita penè suæ clementie, & benignitatis spe-  
cimina ediderit, idem tamen in cœlis degens, sepius  
horribile ire suæ exemplum ostendit, ut Iudeorū an-  
tiquas clades, corumq; extremam perniciem, Turca-  
rum in Christianos scutiam, tot prouinciarum iactu-  
ra, multarumq; hominum myriadum interitu: Papi-  
sticam deniq; in eosdem tyrannidem. Quæ omnia, in-  
quiunt, Dei opera sunt, maiestatem suam vindicantis.  
Sed quid hoc ad propositam materiam? Quid, quæ so-  
proportionis, aut cognitionis est operibus illis quæ  
Christus in terris uiuens ad nostri exemplum, & insi-  
tutionem edidit, ad ea, quæ in cœlis ad patris dexterā  
sedens uia cum eo operatur, modò ad publicorum, et

### SECTIO TERTIA.

privatorum criminum vindictam, modò ad suorum  
correictionem, modò tandem alios fines spectans sibi  
ac patri tantum optimè cognitos? Quæ nam conse-  
quentie ratio est, Christus è cœlis homines mulctat,  
et diuexat, ergo Magistratus in terris ad eius imita-  
tionem, et exemplū hæreticos supplicio afficere de-  
bent? Atqui nōnne ipsi fatentur in Christi imitatione  
distinctionem esse adhibendam? et allqua Christi fa-  
tia esse, quæ si quis imitari uelit, pro stulto merito ha-  
beatur? Id quod ipsis perbellè contingere, si Christus  
in sua maiestate sedentem imitari nolētes, Iudeos pas-  
sim trucidarent, urbes incenderent, falsos Christianos  
occiderent, et reliqua peragere tentarēt. Deus opt:  
m. x. pro exemplo nobis imitando Christi in mortali  
carne uiuentis (ut paullò ante diximus) opera, neque  
tamen omnia, proposuit. Ea uero, quæ in spiritu glo-  
riosus, et immortalis peragit, ad sonum vindictam,  
alioùne suo imperscutibili iudicio, timenda ac reue-  
renter admiranda sunt, non imitanda. Sed mirandum  
profectò est, quām sint semper ad exempla rigoris ac  
seueritatis, quām clementiae, et pictatis imitāda pro-  
cliuiores. Id quod in Mosis exemplis citandis haud  
obscure declarant. Cuncta enim rigoris, et seuerita-  
tis facimora ex eo afferentes, ea omnia omittunt, qui-  
bus mansueti animi sui specimina, ac præclaram be-  
nignitatem ostendit. Ut puta, quum irato in populum

Num. 16.44. Ioua ob conſpirationem in Mosen, et Aaronem fa-  
ctam propter Coræ, Dathanis, et Abiram sociorūq;  
cladem, quum Moſi, et fratri Ioua præcepisset, ut ab  
impia

## SECTIO TERTIA.

153

impia multitudine se amouerent: sc̄c omnes subito  
confecturum: A<sup>n</sup>ton ipso Moſe monente thūribulo  
accēpto, igniq; et ex ara iuditio, et suffimine imi-  
cto, procurrit, et pro populo supplicat, stans inter  
mortuos, et uiuos. Itaq; tandem cohīita est clades.  
At iſti, ut diximus, Moſis mansuetudine omissa, et par-  
ui ducta, eius ſolū ſeueritatem imitandam propo-  
nunt. Sed quam feueritatem? quippe eam, quam Ioua  
mandante in idololatras Leuitarū manibus exercuit,  
eosq; manus suas ea die Ioue confeccasse dixit. Quod  
exemplum ad h̄eretici mortem parum piē pertra-  
hūt: non uidentes, aut uidere diſsimulantes, eos ido-  
lolatras, non h̄ereticos fuſſe, ſpecialiqt; Ioue manda-  
to facinus illud Moſen patraſſe. Id quod ad generale  
exemplum, Vireto authore, pertrahi nō decet. Quod Viretus,  
tamen loco ſuo dilucidius declarabimus. Nehemie  
quoq; benignitas, et clementia inſigne nobis exem- Nehem.13.15.  
plum eſſe potest benignitatis, et clementiae: qui quā  
uidiſſet per Iudeam Sabbalho torcularia calcari, ma-  
nipulos uehi, aſtros onerari, omne deniq; onerum ge-  
nus Hierosolymam die Sabbathi comportari, in eos  
ex lege non animaduertit: at placido, eos commone-  
faciens, errata remiſit. Huius etiam clementiae exem-  
plum ab Ezechia rege Iudeæ petere poſſumus: qui 2.P̄al.30.17  
quum Dei cultum per multas etates corruptum ac  
intermiſſum restaurare uellet, eiusq; mandato iam Pa-  
ſcha rite celebraretur, effentiq; in cœtu multi non lu-  
ſtrati, ac ex lege purificati, qui propter ea Pascha nō  
ex praescripto polluxerant: bonus ille piusq; Rex,

### SECTIO TERTIA.

quamvis delicii pœnas ab eis petere posſit, benignus  
pepercit, & pro eis precatus est, dicens, Bonus ille lo-  
ua omnibus sit propitius, qui mentes suas ad Dei, ad  
Iouæ inquam ipsorum patrij Dei, ſtudium applicue-  
runt: etiamsi non egerint, ut poſtulabat ſacra purifi-  
catione: atq; à Deo exauditus hac ratione ab eis diuina  
iram depulit: ſi exemplis igitur niti uolunt, cur nō po-  
tius Mosis mansuetudinem, Nehemias clementiam, E-  
zechiæ benignitatem imitantur, quam eiusdem Mosis  
ſeueritatem ac rigorem, quem propriæ naturæ obli-  
tus exercuit in re ſpecialiter à Deo ſibi iniuncta?  
Quod ſi ſpecialia eiusmodi mandata nobis generali-  
ter imitanda proponerentur, ſalua conſientia Papi-  
ſtum bona diripere nobis fas eſſet, quoniam Hebræi  
ſpeciali Dei mandato Aegyptiorum ueltes, aureaq; et  
argentea uasa ſurripuere. Non ſemper agit Deus ea  
que agit, quia ſui natura bona ſint, ſed propterea bo-  
na ſunt, quod ab eo aguntur, atq; mandantur. Et idcir-  
co quum ea præcipit, que nobis mala uidentur, tunc

Gen.22.10. bona ſunt, quia ab eo præcipiuntur. Abrahamus pa-  
rum abfuit, quim filium mactarit: & quod ad eum atti-  
nebat, mactaffe dici poterat: horribile crimen naturæ  
lege, at iustum opus Dei mandato effectum. Quim &

Ibid:21.14. uxorem Agarem Iſmaelemq; filium primogenitum  
domo expulit, & exulare iuſſit, nulla fortaffe cauſa  
ſuasus: tantum Saræ inuidia impulſus. Non ne hoc  
facimus maximam præſe fert crudelitatem? Attamen  
piè factum Deo præcipiente. Nobisne igitur fas erit  
Abrahamum imitantibus, quouis æſtu percitis filios  
inter-

interficere, uxores, & natos domo ejicere? Iacobus Ibid:30.37.  
 insuper Deo inspicante patruum Labanū dolosē dece-  
 pit, itaq; diues euasit. Licebitne ergo nobis illius ex-  
 emplum imitari, proximos nostros decipere, eaq; ra-  
 tione locupletari? Impium profectō sui natura Iacobi  
 facinus fuit, iustum uero speciali Dei mandato. Sed ar-  
 gumentum hoc inferius pulchra oblata occasione, a-  
 lijs ueteris foederis exhibitis exemplis, iterum fuisus  
 tractabimus.

Quod autem aduersarij nobis obijciunt, sc̄ uitiam  
 à nobis esse, lupos seruare curantibus, ut miseras oves  
 dilaniēt, atq; deglutiant: sciant sanè, nos contrà hu-  
 iusmodi lupos necari cupere: uerū ijs telis, quibus  
 ad eiusmodi beluas occidendas, uerāq; doctrinæ ho-  
 stes propugnandos instructi sumus.

At uero interim quid nobis agendum censem? ò  
 strenui milites, ò tribuni, copiarumq; duclores spiri-  
 tualis nostri Regis? Est ne uobis ociamdum? uultisne  
 manibus (ut aiunt) ad balthicum appensis, ensem illum  
 uagina reconditum habentes, quo à Rege uestro ad  
 Regni sui tutelam, atque custodiam armati estis, mu-  
 nus uestrum illis defungendum relinquere, qui gla-  
 dium tractant ad Regnum hoc defendendum haud sa- Hebr.4.14  
 tis idoneum, eo relicto, qui penetratusq; ad diuisionē "  
 animæ, & spiritus, compagumq; & medullarum, a- "  
 nimū cogitationum, consiliorumq; iudex? Eo inquā, 2.Cor.10.5  
 quo cogitationes, & omnis sublimitas contra Dei co- "  
 gnitionem elata deturbantur, omnisq; mens ad obe- "  
 diendum Christo cogitur? Hoc idem est, ac si Achil-

### SECTIO TERTIA.

Ies, uilis, et ignarus factus, Thersitis auxilium imploraret. At scelerati heretici (obiectis foriisse) adeo duri sunt, perniciaces, et obstinati, ut postquam in eis spiritus gladio necandis omnes neruos intenderimus, nihilque profecerimus, ad carnalia tela configere cogamur, ijsque eos radicitus extirpando Christi Regnum tutari, et a præfracta eorum insolentia repurgare. Sed heu, quānam insigni contumelia Dei uerbum afficitis? Non ne hodie idem Deus uiuit, idem Christus, idem spiritus sanctus, eademque uirtute, qua huius Regni initio pollebant? Num uerbi Dei gladius, duplice forsan retusa acie hebes euafit? Non ne eadem adhuc præstat facultate, qua Apostolorum, Martyrum, ueterumque patrum etatibus præstittiſſe legimus? Tum inquam, quum tot heresum capita, Nicolaitarum scilicet, Cerinthianorum, Ebionitarum, Sabellianorum, Manichaeorum, Neuatianorum, Donatistarum, Circuncelionum, Nestorianorum, Anabaptistarum, Arrianorum, hoc uno gladio collisa, atque amputata fuere? At quisnam istorum ciuili gladio percussus fuisse legitur? Quis nam eorum, qui spiritus gladium tractabat ferrei gladij præsidium implorauit? Ne unicum quidem exemplum huius rei afferre potestis: ambitiosis paucis, ac sanguinarijs (de quibus supra fuī mentio) episcopis exceptis. Et nihilominus spiritualibus telis heretici confoſsi, hereses uero penitus excise, et extirpate fuere. Ad haec, in renouanda, et ex obliuionis caligine eruenda in hoc nostro ob id felicissimo seculo uerae religionis cognitione, sanaque doctrina instauranda,

randa, cuiusnam gladij usus est habitus? Lutherus,  
Zuinglius, Oecolampadius, Pomeranus, Melanthon,  
Bucerus, ceterique strenui Christi milites loricam, cre-  
do, induerunt, ensemque lateri aptarunt, ut Germaniam,  
Angliam, Daniam, Daciam Euangelio subigerent, at-  
que in causa essent, ut impiae Babylonis uici gloriose  
Martyrum sanguine aspergerentur. Num ferreus gla-  
dius Francos, aut Belgas Euangelio credere coegerit?  
Imo uero, num potuit unquam carnalis gladius, immu-  
merabilium quoque martyrum cedibus, ex ijs prouinciis  
Euangelium exigere? Rebus igitur ita se haben-  
tibus, cur uelimus nos, id quod spiritu Deo ipso operem  
ferente ceptura est, ciuilibus viribus suffragantibus  
carne perficere? Non ne meministis Calumnum ipsum  
fassum fuisse, pelli è medio sapientiam, quoties si res  
geritur? An nescitis quod in causis etiam ipsis ciibili-  
bus, si alter ex litigantibus violenter agat, ac iudex ei  
assentiatur, aut conniveat, litigator ipse se iure care-  
re, iudex autem doctrina & probitate, turpiter ostendit?  
At nos quandoque puerorum more agimus, ut di-  
xit quidam: qui, quum uerba eis deficiunt, in capillos  
inuolant. Arma, arma inquam nostra capiamus. Nam  
si scientie Zelo, Christianoque spiritu ea tractaueri-  
mus, haud minoris quidem efficacitatis in manibus  
nostris erunt, quam, quum eorum manibus olim tra-  
ctata fuere, qui contra idem hostium genus felicissi-  
mo euentu eadem strinxere. Sed quid inquam? Arma  
quidem eadem sunt: brachia ea tractantia longè diver-  
sa. Scanderbeij fortissimi illius herois macheras, quum

## SECTIO TERTIA.

ab eo uibraretur unico ictu boui caput amputabatur quod quum ad Mahemetis Turcarum Regis aures peruenisset, eam habendi cupidine insensus, per internuncios ab eo dono petiit. Heros, animi magnitudine non minus, quam corporis robore praestans, libenter animo Regi, quanuis hosti, optatum munus misit. Quo potitus princeps, quem gladius, manu sua uibratus, que audierat miranda non efficeret, deceptum se a Scanderbecio autumnans, rem illi significauit. Cui heros respondit, Machæram quidem se illi misisse, brachium uero non misisse. Hoc idem nobis accidit uerbi Dei gladium tractantibus. Nam gladium quidem, quo nos Rex noster armavit, habemus: spiritus uero nostri brachia non iis uiribus pollut, quibus ea pollebant, que haec tela olim tractantia, adeo miranda fecere. Sed unde haec nobis uirium imbecillitas? Bonus chymus in homine corpori uires impertit. Inde autem brachijs ad arma tractanda robur subministratur. At spiritus nostri brachia Christi spiritus succo parentia, quid mirum si necessaria ad tela sua uibranda ope defituuntur? neque his armis præclaræ ea efficiunt, que olim a bene pastis militibus peragebantur? Quo circa minime mirum est, si heretici primum, deinde ambitiosi Episcopi, Antichristus postea, eius imitatores denique, imbecili us uiribus hoc gladio hostes confidere non ualentes, ad carnalia tela sese conuertere. Etenim fractis uiribus est spiritus ille, qui carnis indiget præsidio. Omnis igitur mentis affectu Dominum precemur, ut cœlesti spiritus sui cibo nos pascat, atque nutriat: adeo ut

malis

malis humoribus prius purgatis, optimus chymus in nobis coalescat: à quo uiribus restutis, ad uera arma nostra uilliter tractanda idonei reddamur. Quod si fidenter petierimus impetratros esse dubitare non possumus. Hinc autem fiet, ut strenui ac robusti, eo gladio certissimos iclus ingeminantes, errores omnes trucidemus, nobisq; opus amplius non sit. Magistratus potestatem implorare, uiq; homines interficiant suadere. Dominus noster geminos gladios habens, Magistratibus alterum, alterum uero uerbi sui Ministris commendauit. Quapropter carnis delicia carnali gladio plecat Magistratus, spiritualia uero spiritali uindicanda relinquat, neq; iurisdictiones confundantur. Arma enim militie nostræ (inquit Paulus) 2. Cor. 10. 4. non sunt carnalia, sed diuinitus potentia, &c. Que uerba explicans Cast. inquit, Pauli militia erat, oppugnare & deturbare cogitationes hominum: hoc est, tanta uirtute loqui, & docere, ut hominum animi rei ueritate uicli, cogerentur ita cogitare: uera dicit, & que refelli nequeant. Ad eam spiritualem pugnam uitebatur telis non carnalibus, sed spiritualibus. Ut enim insanus fit, si quis gladium, aut missile uelit uincere cogitatione, sic insanus fit, si quis cogitationem uelit uincere gladio. At qui Christiani preconis uirtus posita est in uincenda cogitatione. Ex quo consequitur, cum non posse uti nisi his telis, quibus uinci possint cogitationes hominum.

Exemplum pergit Cast. Insigne habemus in Neroni. Is Graciam peragrans, edebat, obibatq; ipsem et

Non igitur in morte hereticis molienda,

### SECTIO TERTIA.

certamina musicæ. Si alios musicos uincebat, corona-  
nabatur. Hoc erat legitimum certamen. Si ab eis uin-  
cebatur, curabat ut interficerentur. Hoc uero non e-  
rat musicum uincere, sed hominem interficere. Quia  
inepta iniq[ue]itate illud conseq[ue]batur, ut hominum fi-  
ci uoce tanquam uictor in præsentia laudaretur, &  
ceteri musici deinceps data opera male canerent, ne  
eum offenderent. Cogitationes quidem hominum  
(quauis princeps esset omnium potentissimus) non  
uincebat: quin eum pro insano, & illi tunc haberent,  
& nos nunc habeamus. At ceteri musici, qui eum ar-  
tis peritia superabant, uincebant non solum aliorum,  
sed etiam Neronis ipsius cogitationem: ut ita eius ani-  
mus, quanquam inuitus loqueretur: Hi melius canunt,  
quam ego. Similiter accidit in religione, disputatur  
de multis rebus, si quem uerbis uincimus coronamur:  
& hoc est legitimum certamen. Si quis a nobis uinci  
non potest, hereticus appellatur, & interficitur. Hoc  
uero non est hereticum uincere, sed hominem occi-  
dere. Quia inepita iniq[ue]itate id cosequimur, ut in præ-  
sentia facta hominum uoce uictores pronunciemur, et  
ceteri deinceps minus bene dicant, quam possent, ne  
perirent cogitationes quidem hominum, quauis po-  
tentest simus, non uincimus. Quin nos pro insanis, &  
nunc qui ceci non sunt habeant, & posteri habituri  
sint: atque ita de nobis iudicatur, ut nunc nos de Ne-  
rone, & ceteris Christianorum persecutoribus iu-  
dicamus. Nihil enim tam teclum est, quod non sit de-  
tegendum. Pronuisit Deus obedientibus uirtutem tan-

tam ut unus centum, & centum decem millia fugare posint. Sic pugnauit Paulus, qui unus poterat diuinis illis suis armis turbare non centum, sed omnium hominum cogitationes. At nunc centeni singulos interficimus, & Christum carnalibus armis defendimus: ut intelligatur nos carere spiritualibus, & Christum habere carnalem. Si enim Apostoli, qui nobis Ecclesiam plantarunt contenti fuerunt armis spiritualibus, appareat, eos, qui carnalia adhibent, non satis confidere spiritualibus: quibus tamen confiderent, si ea habarent: quippe quae sunt omnipotencia: ut apparebit in aduentu Domini, qui Antichristum, hoc est Christi hostem summum, non alijs armis debellabit, quam spiritu oris sui. Scriptum est Exodi 35. Tabernaculum factum esse ex populi donis ultrò oblatis, nemine coacto: quod idem de Ecclesia intelligendum est, ut patet Psal. 110. In quo dicuntur Christi copie esse uoluntariae. Itemque in lege, in qua iubetur ut timidi discedant, ne in acie cæterorum animos emolliant. Sic est gerendum Christi bellum militibus uoluntariis, & solo Dei uerbo coactis. Aliter, qui militant, alij quam Christo militant. Itaque ostendit euentus, moresque nostri, quis sit fructus coactæ militiae.

Ad hæc respondent aduersarij, non rectè à nobis percipi in his uerbis Apostoli mentem. Haud enim instituti sui fuisse carnalia arma Christianis hominibus, aut cunctis, aut eorum parti è manibus extorque re: sed tantum Dei spiritus potentiam, quæ in Apostolis patet, celebrare, ac miris laudibus extolle

### SECTIO TERTIA.

re:ca enim longè maioris efficacitatis esse, quam sint  
arma terrena, quibus mundi principes homines debel-  
lant, & subigunt, hostesq; suos ulciscuntur. Hæc autem  
Dei uirtus, ac potentia (inquit) tunc demum peni-  
tus sese exeret, & cumulatissimè ostendetur, quum u-  
niuersi ipsius, electorumq; suorum hostes eorum pedi-  
bus subiicientur. Ac deniq; concludunt, ibi Paulum  
comparatè loqui, tantum ut ostendat quām præstent,  
carnalibus spiritualia tela. Verum quatenus asserunt,  
Apostoli institutum non esse carnalibus armis Chri-  
stianis hominibus, aut cunctis, aut eorum parti inter-  
dicere, sicuti de cunctis concedimus, ita de parte nega-  
mus: concedimus inquam, Magistratum ab illis non  
prohiberi ijs in rebus, quarum ad eum spectat cogni-  
tio: at de uerbi Ministris, quam eam esse partem opini-  
nor eorum uerbis notatam, iterum constantissimè ne-  
gamus: ac Pauli uerbis eos doceri affirmamus, eoru-  
tela Dei uerbum esse, non carnalem gladiū. Id quod,  
si quis eam Epistolam' attentè perlegerit, facile percipiet.  
Cognoscet enim Apostolo nullam fuisse eo in lo-  
co oblatam occasionem cum Corinthijs disceptandi,  
utra horum armorum præstantiora essent, carnaliæ-  
ne, an spiritualia. Sed, tantum illis ostendendi (qui cor-  
poris eius imbecillitatem, & spiritus humilitate cer-  
nentes, eum despiciebant) sese ijs armis instructum es-  
se, eisq; tractandis edoctum, que, cum longè poten-  
tiora, tum sibi, sūi q; similibus propria, ac peculiaria  
essent: ijsq; sese in eos animaduerjurum. Restat igitur,  
ut hæc ita se habere eius uerbis probemus.

Corin-

Corinthiorum Ecclesia (ut ex eadem Epistola a-  
pertè patet) multis aliquandiu erroribus laborauit.  
Ac non solum in rebus ad mores, & disciplinā periti-  
nentibus, uerū ad doctrinam quoque spectantibus.  
Hoc primum ex Pauli uerbis intelligitur, quum in-  
quit, sed uereor, ne forte, ut serpens Euam sua astutia z. Cor. n. 3.  
decepit, sic uestrae mentes à simplicitate, quæ esse de-  
bet in Christianis corruptæ deflectant. Quòd si ueni-  
ret, qui alium Iesum prædicaret, quām quē nos prædi-  
camus, aut si alium spiritum acciperetis, quām quem  
accepistis, aut aliud Euangeliū, quām quod admisi-  
stis, rectè illum ferretis. Et inferius: sunt enim istiusmo-  
di falsi Apostoli fallaces operarij, qui in Christi Apo-  
stolos transformantur: nec mirum, quum ipse Satanas  
transformetur in lucis Angelum.

His igitur erroribus Corinthi uigentibus, Apost. Paulus ad eos scribens sepius acerrimè comminatus fuerat, ni resipiscerent, se èd prosectorum, & in eos grauiter animaduersurum. Id quod primum his eius uerbis percipitur, Adeò, ut si uos per Epistolam dolo z. Cor. 7. 8.  
re affecerim, non me pœniteat. Et alibi, Nè uidear uos Ibid. 10. 9.  
per epistolas terrere conari. Iam uero qui Paulo ad-  
uersabantur, atq; illis turbis capita erant, omni cona-  
tu curabant eius autoritatem apud Ecclesiam infrin-  
gere, ac penitus delere: ideoq; eo absente illi obloque-  
bantur, dicentes, cum absentem quidem admodum stre-  
nuum se ostendere: quippe qui epistolas (ut dicitur)  
igneas scriberet, minarumq; et terroris plenas: præ-  
sens autem cuniculo magis timidus, atque humilis es-  
jet.

### SECTIO TERTIA.

set. Hoc autem probè declaratur eius uerbis, quum  
oblocutorum, & aduersariorum suorum personam

Ibid.10.10. induens eorum uerba recitat, inquit, Epistole qui-  
,, dem (aiūt) graues, fortesq; sunt, at corporis præsentia  
,, imbecilla, oratioq; abiecta est. Quapropter ille his  
nunc ijs commotus, scandalo obuiam ire cupiens, ut  
eorum, eosq; sectantium audaciam retunderet, iterū

Ibid.12.20. pergit, eisq; minatur, ac dicit, Vereor enim, ne forte,  
,, quum uenero, & ego uos non quales uellem inueniā,  
,, & ipse à uobis qualcm non esse uelletis inueniar. Et

Ibid.13.2. alibi, Et prædixi, & prædicto, ac sicuti dum iterum  
,, aderam, nunc absens scribo ijs, qui ante peccauerint,  
,, ceterisque omnibus, me, si rursum uenero, non esse  
,, parvum.

Sed ut rem tandem proprius aggrediamur, aliás  
Ibid.10.1. demum ita fatur, Ille ego Paulus uos exhortor per  
,, Christi lenitatem, ac mansuetudinē: qui præsens quidē  
,, apud uos humilis, absens autem sum in uos confidēs:  
rogo inquam, ut detis operam, ne mīhi præsenti sit au-  
dendum confidentia, qua audere cogito in quosdam,  
qui nos perinde habent, ac si secundum carnem gra-  
,, diamur. Nam in carne gradientes, non secundum car-  
,, nem militamus. Quasi dicceret A post. Vos me uidetis  
imbecillo corpore, summisso humiliq; aspectu, leni  
sermone, ac mansuelo, minasq; meas, quibus in uos  
per literas insurgo, parui penditis, & irrideatis: pu-  
tantes, quas uobis me inflicturum minitor poenas car-  
nales esse; neque his uiribus pollere arbitramini, ut  
uos ulciscendi facultatem habeam. Verum toto cœlo  
erratis:

erratis: hoc enim uolo uos nescios non esse, me, quan-  
uis carneo corpore constem, in eoq; ambulem, uires  
ac potentiam meam in minime (ut censuis) carneam es-  
se: & ad arma mea traxlanda, fortitudine corporis,  
animi ferocia, seu uerborum audacia, opus non esse:  
Arma enim militiae nostrae non carnalia sunt, sed di- Ibid.10.4.  
uini potentia, ad munitionum demolitionem: dum co- "  
gitationes deturbamus, & omnem sublimitatem ela- "  
tam contra Dei cognitionem, omnemq; mentem co- "  
gimus: & omnem ulcisci contumaciam sumus para- "  
ti, cum completa fuerit uestra obedientia. Quapro- "  
pter, o Corinthij, qui uires ac potestatem meam con-  
temnitis, ualde fallimini. Qum enim praesens adero,  
re ipsa uobis ostendam, quanquam imbecillo sim cor-  
pore, humili aspectu, placidisq; uerbis, animi robur,  
spiritusq; uires, & a Christo mihi traditam potentiam,  
talia esse, qualia absens uobis per epistolam significa-  
ui. Spiritualibus itaq; telis uos multabo, que mihi  
Christiq; militiae propria ac peculiaria sunt, & car-  
necis armis, que uos intelligitis, ad hoc gerendum bel-  
lum aptiora, ac longe fortiora. Hac itaq; uera inter-  
pretatione recte concedi poterit Apostolum compa-  
ratè loquutum esse: ut pulcra, ac decenti sibi oblata  
occasione Corinthijs ostenderet, quam præstent spiri-  
tualia arma, qbus illis minabatur, carnalibus, de qui-  
bus illi intelligebant: itemq; Ministrorum arma spi-  
ritualia tantum esse: ac demum fidei errata his telis,  
non autem ferreis coercenda, ac uindicanda doceret.  
At uero aduersarij, assuerantes Paulinis his uer-  
bis

### SECTIO TERTIA.

bis Christianis hominibus carnalia arma, neque cur-  
elis, neq; eorum parti è manibus extorqueri (ex quo,  
ut puto, inferre uolunt, Paulum quoq; in Elymam ma-  
gum, Hymenaeum & Alexandrum ijsdem armis u-  
sum fuisse, eos corporaliter torquendo: & idcirco, ut  
quidam eorum dixit, eius exemplo nos quoq; armis  
illisuti posse, Magistratum aduersus hæreticos implo-  
rando) asserunt credendum esse, quam multam Ape-  
stolus Corinthijs minabatur simplicem excommuni-  
cationem non fuisse. Sed non satis est dicere, istud cre-  
dendum esse: uerum id probare oportet. Alioqui no-  
bis tantum negare sufficit: illis autem probandum re-  
linquitur. Sedenim contrà nos nihil aliud intelligi af-  
firmantes, plurimis disputationum nostrarum locis  
tam aperte hoc probasse confidimus, ut nihil addi o-  
porteat. Præterquam quod nostra Pauli uerborum  
explicatione satis superq; apparet, multam omnem  
carnalem excludi, spiritualem tantummodo proba-  
ri: præscriptim quem idem Apost:bis aliâs dixerit, quâ

2. Cor. 10.8. à Deo acceperat potestatem ad eorum ædificationē,  
& 13.2. » non autem destructionem accepisse. Quapropter si  
Pauli in eos animaduersio (ut opinantur aduersarij)  
capitalis fuisset, siue ab ipso per miraculum inficta,  
siue à Magistratu ad eius exemplum gladio irroga-  
ta, facile iudicatu est, an potestas illa Pauli in Corin-  
thios, aut nostrorum illius imitatione in hæreticos ad  
ædificationem esset, siue potius ad destructionē. Hinc  
igitur Elyma, Hymenæi, Alexandri, uirgeq;, que a-  
liâs Apost: eisdem Corinthijs minabatur ab eis alla-  
ta ex

## SECTIO TERTIA.

160

ta exempla prorsus euangelia sunt, certumque manet propria, ueraque Christianae militiae arma spiritualia esse, non carnalia. Sed iam reliqua eorum obiecta perse-  
quamur. Fortissimum igitur Achillem in aciem quo-  
que producunt aduersarij: Lucæ scilicet locum, de ho- Luc. 14.  
mine quodam, qui fecit magnam cœnam: quumque ex " "  
famulo audisset invitatos tergiuersari, et ne cœnae "  
interessent uarias excusationes afferre; iratus seruo  
mandauit, ut euestigio egredetur in urbis areas, at-  
que uiros, et pauperes, mutilosque, et claudos, et cæ-  
cos introduceret: Quibus peractis, quum adhuc lo-  
cus superesset, Proficisci cere, ait seruo, in vias, et in se- "  
pia, et intrare coge, ut domus mea impleatur. En uo- "  
bis (dicunt illi) seruatoris nostri exemplum: quo nubil  
aliud intelligi potest, quam eos, qui uoluntarij, et ra-  
tionibus suasi ad uiam redire, sanamque doctrinam am-  
plieci nolunt, uerboque Dei obstinate resistunt, ad hoc  
per Ministros, et Magistratus cogi debere. Papisti-  
cum sane inuentum: hoc enim precipue loco insecta-  
tionem suam fundarunt: neque uero Romana illa tan-  
tum bestia, sed Reges aliquot, authoritate hac fulci,  
populos armis ad fidem se cogere posse putarunt. In-  
ter quos Carolus Magnus Frisios, Vestphalos, ac Sa-  
xones Germanorum populos bello Christianos fieri  
coegerit. Et patrum nostrorum memoria Ferdinandus  
Hispaniae rex Baeticos homines ad Christianam reli-  
gionem eadem uideat, qui quum maiore ex parte  
nunquam uere Christo crediderint, aperte declarant  
quos fructus pariat coacta conuersio. Heraclius quo-

X

### SECTIO TERTIA.

que Imperator anno circiter 636. Iudeos in Imperij  
prouincijs degentes ad Baptismum ui coègit. Idemq;  
à Dagoberto Gallie Rege, & Sisebundo Hispanie,  
precibus obtinuit. Quasi uero Christus iusserit un-  
quam Regnum suum ui & armis propagari. Deus  
» Mosi significauit, uelle se cespititiam aram sibi fieri.  
» Quòd si lapidea extrueretur ex quadrato lapide non  
excitari: nam si ad opus illud ferramenta adhiberen-  
tur, aram profanatum iri. Quid hoc? Ara uerum Dei  
cultum significat, & Christi Regnum nobis figurat,  
quod ferro extruere nefas est: pura enim ac simplici  
materia ædificanda est huiusmodi ara, non autem la-  
pidibus ferro quadratis, ac perpolitis: puro quippe,  
simplici Dei uerbo, non humano apparatu, sophi-  
sticisue argumentis, nec deniq; gladio, & uiolentia.

Luth. de subl. Lutherus in hunc sensum aliquando dixit, Dauidi in-  
mund. potest. terdictum esse templum ædificandi munus, eò quod  
» multum sanguinis effudisset. Non quòd in hoc male  
Dauidi cur egisset, sed quia non poterat esse Christi figura, cuius  
interdicta tē- Regnum sine gladio, mansuetum, ac pacificum esset  
pli extructio. futurum. Functioni illi diuina prouidentia designatū  
Friderich qd esse Solomonem filium, cuius nomen FRIDERICH,  
significet. hoc est PACIFICVM sonat: qui pacifico Regno  
» Christi regno consimili potiretur. Ad hoc (inquit  
quoque Lutherus) in omni templi extructione, nun-  
quam (ut textus habet) ferri ictum auditum fuisse. Hoc  
autem haud alia de caussa, quam, quòd Christus popu-  
lum suum habiturus erat ab omni uiolentia immunē,  
» absq; lege, liberum, spontaneum, ac uoluntarium.

Hierony

Hieronymus uero Zanchius enarrans ea uerba Hier. Zanch.  
 Actuum Apost. Vos autem spiritus sancti uirtute acci Conci. prima  
 pietis, mihiq; testes eritis, ait eo loco notandum esse, pag. 48. & 49.  
 Dominum Christianis ad mundum illi subigendū bi-  
 na tela tradidisse, nempe spiritum sanctum, & uer-  
 bum. Ibiq; ostendit hæc arma esse quibus solis, neq;  
 uerò alijs, Christiani homines Christi Regnū sint de-  
 fensuri. Et paullò superius dixerat, falsi eos, qui alijs,  
 quam ijs armis, Christi Regnum tutandum esse cen-  
 scant. At quidam uerbo Dei diffidentes, quo procul-  
 dubio nos uictoria potituros esse cōstat, in ciuili gla-  
 dio ultimam spēm reponunt, ac si acie fusa, re ad tria-  
 rios redacta, ferreus gladius gladio spiritus suppetias  
 latus esset. At nisi uerbi gladius nostros hostes fin-  
 dat, fugetq; frustra ciuilis gladij suffragium implor-  
 abimus.

Non igitur ex cœnæ parabola colligi par est, iniū-  
 tatos armis, aut pœnæ timore ad eam accedere adigi  
 debere, sed spiritu, & doctrinæ uerbo. Non enim ti-  
 moris, sed amoris uir res peragi debet. Hic igitur uiol-  
 lenter agitur? Maxime. Sed quodnam hoc est uiolen-  
 tie genus? Amoris tractum appellat August. ex ouicu-  
 la exemplum affert, quam pastor uiridi frondium  
 ramusculo ostendo, post se trahit, escæ potiundé cupi-  
 dine illectam, ac ueluti coactam. Ea igitur ratione Do-  
 minus noster piorum Ministrorum uerbis, cœlestia pa-  
 bula in æterne uite Regno hominibus pollicita osten-  
 tans, amoris uir ad cœnam illis à Patre parata eos per-  
 trahit. Quod si etiam pauoris uir res peragenda sit, le-

### SECTIO TERTIA.

gis rigore deterreantur, peccatorum profunda, ac  
immensa abyssus, quibus Dei nomen incredibili con-  
tumelia affecerunt, illis detegatur. Ita eius fulmen, &  
in fontes eumque; despicientes horribile iudicium, ob  
oculos ponatur. Qua ratione superbie spiritus retun-  
di, & infringi, humiliisque; sensus in cordibus gigni po-  
terit: Adeo, ut proinde Euangilio salutis per Christum  
nobis oblate ipsiis illico proposito, timore in amore  
uerso, ad coenam quasi uolenter trahantur. Hoc mo-  
do Christus ipse, itemque; post eum Apostoli, quamplu-  
rimos ad coenam accedere coegerunt. Tunc nempe,  
quum mentis eorum duritatem frangentes, & pecca-  
torum remissionem, eternaque; uitae spem subiicientes,  
timoris una, & amoris uia ad fidem pertraxerunt. Nam  
quotusquisque; erit, qui peccatorum suorum onus, ira  
Dei ardorem, criminum condonationem, & salutis,  
uitaeque; perpetuae felicitatem sibi oblatam sentiens,  
mentis instituta non mutet, & Euangelium amplecti  
non cogatur? Hec inquam uiolentia est, timoris una,  
atque amoris uis, qua uerbi Dei Ministri ipsius uerbi  
prædicatione, homines in uiam, à qua aberrauerunt,  
reducere debent: nō autem insectationibus, minis, ter-  
roribus, ferro tandem, & igni. Paulus enim dixit,

2. Cor. I. 24.

Non quod dominemur uestrae fidei, sed quod admini-

1. Pet. 5. 3.

stri simus gaudij uestri. Et Petrus, Neque; ut gregibus

imperantes, sed, ut qui ouulis exemplas sitis. Quae uer-

Pet. Mart. in

ba explicans Petr. Martyr, Quod si Ministri Christi

1. Cor. 5. 89.

sunt, inquit, ei (de uerbo intelligit) se prorsus debent

subiicare: non autem in Clerum, uel populum Dei

(quod

## SECTIO TERTIA.

162

Quod Petrus disertè prohibuit dominari. Etenim nō «  
Domini, uel Tyranni, sed øconomi, & dispensatores Ergo Tyranni  
sunt. Ceterum Christianum hoc axioma, ne aduersa- qui conscienc-  
rij quidem ipsi negare audent: quum eorum aliquem tias cogere p-  
audierim sancte dicentem, condendarum conscientie sumunt.  
legum facultatem Deum nulli hominum concessisse,  
nec ulla ratione perpeti posse, quenquam præter se  
solum, hominum animis dominari.

Sed ut ad cœnā reuertamur, si homines ea ratione,  
qua ipsi interpretantur, ex parabolæ uerbis ad fidem  
essent cogendi, de paganis, non de hereticis intelligi  
oporteret. Nam inuitati populus electus sunt: Hebrei  
scilicet. Accitos autem è uicos, & septis, Gentiles in-  
terpretari decet. Quocirca, si cogere ad cœnam (ut  
uolunt) est cogere ad fidem, non heretici, sed Paganè  
cogendi sunt. Si enim ex parabolæ uerbis heretici  
adigendi fuissent, oportuerat Dominum mandasse fa-  
mulis, ut inuitatos cogerent, non qui per uicos, & se-  
pta dispersi erant. Heretici enim Ecclesiæ corpore  
censentur, iamq; Dei uerbo ad cœnam inuitati fuere:  
Infideles uero extra Ecclesiam reperiuntur. Sed enim  
(ut iam ostendimus) ijs uiribus, & armis neutri corū  
cogendi, aut deterrendi sunt, quibus aduersarij adi-  
gendos ac deterrendos opinantur. Voluntarios e-  
nim, iterum dico, seruos uult Dominus, non eius gene-  
ris, qui fustibus cæsi, seruili timore, non filiali amore  
obedire coguntur. Apud Ioannem legimus, quū pluri Ioh. 6.67.  
mi ex Domini discipulis eius uerbis offensi ab eo de-  
sciuisserunt, cum ad duodecim conuersum, qui soli apud

### SECTIO TERTIA.

eum remanserant, interrogasse, an ipsi quoq; à se dis-  
cedere uellent. Quasi diceret, se ad neutrum eos coge-  
re; uolentes habere uelle. Contra Papistæ, quiq; eos  
imitantur, eos etiam ui retinere uolunt, qui fortassis  
manendi donum non habent, eosq; ad redditum ui adi-  
gere, qui iusto Dei iudicio redeundi sunt facultate de-  
stituti.

Ioan.10.30.

Validum quoq; cuneum habent in Ioanne: quippe  
quum Domino dicente, se & Patrem unum esse, Iu-  
dæi rursus lapides sustulerunt, ut cum lapidaret. Quos  
Iesus sic contrâ alloquitus est, Multa uobis preclaræ  
» opera, meo Patre authore edidi: propter quodnam  
» eorum operum me lapidatis? Cui iudei, ob præclaræ  
» opus non lapidamus te, sed ob impiæ dictæ, & quod,  
homo quum sis, te Deum facis. Hinc uero acutuli qui-  
dam mirabile argumentum non eliciunt, sed extor-  
quent. Dicunt, non negasse Christum hominem im-  
piè loquentem, & in Deum maledicum lapidari de-  
bere, & ex Mosis lege omnino lapidandum esse. Ve-  
rū responsum ipsius in eo tantum uersatum esse, ut  
ostenderet, se in Deum maledicum non fuisse. Vnde  
consequitur, inquiunt, quum iustum blasphemii suppli-  
cium non negauerit, expresse comprobasse. Hinc tan-  
dem concludunt, hæreticum, qui eorum quidem sen-  
tentia uerus est in Deum blasphemus, non ex Mosai-  
ca solùm, sed Euangelica quoq; lege, interfici debere.  
Per pulcria quidem argumentandi ratio, ex eo quod  
non negatur, approbationem inferre. Nonne clare li-  
quet, satis Christo fuisse ea ratione Iudeorum crimi-  
nationem

nationem penitus diluere absq; eo, quod Mosaicam legem abrogatā esse diceret, & quasi tacite quodammodo fateri illis Iesus fuisset se contra legē illam commisso? Cuinam uel mediocriter in Euangelistarum & Apostolorum scriptis uersato ignotum est Iesum Christum, dum adhuc in terris ageret, nullius Mosaicæ legis abrogationem promulgasse, sed id post suę ascensum in cœlum, & spiritus sancti missionem, Apostolis, & discipulis sensim etiam, & maxima cū cautione faciendum reseruasse?

Eiusdem farinæ illud est, quod dicunt, Prophetas, & Apostolos, quum Tyrannorum mandato ad martyrium ducerentur, caussam suam apud eos non defendisse, dicendo religionis caussa homines occidere non licere: quinimò supplicia fortiter tolerantes, tantum dicebant, qui sanguinem innocuum effudisset summo Deo pœnas daturum. Ex quo colligunt, sanctos Apostolos ac Prophetas, eo quod religionis caussa homines interfici posse haud negauerint, id dicere tacite affirmasse. Sed, bone Deus, quid unquam ridiculū erit, si hoc non est? Primum ex taciturnitate comprobationem inconditè eliciunt, ut iam dictum est. Deinde non animaduertunt fortissimos illos diuinæ et Christianæ religionis propugnatores, qui supernauocatione ad eam proprio sanguine defendendam & propugnandam destinati erant, hæc quasi subterfugia ad mortem uitandam querere noluisse, præsertim cum satis constaret, huiusmodi defensiones sibi parare, nihil aliud effecturum nisi, ut immanes illæ belluæ, &

## SECTIO TERTIA.

ceteri præterea in eorum fracti animi, et male conscientie suspicionem adducerentur. Hinc factum est, et quotidie fit, ut et sub papatum, et sub ijs qui è tenebris in lucem se clarissimam vindicatos esse autem, quamplurimi religionis causa neci tradatur, quos certum est, à Dei Ecclesia Christianoq; Magistratu, omnem in ueros etiam hereticos, seueram animaduersionem et persequitionem, sententia sua penitus amouere, qui tamen defensione hac uti non curēt, licet sibi non cum Ethniciis, et à Christo prorsus alius, quemadmodum Prophetis, et Apostolis esse solebat, sed cum ijs, qui Christum profitetur res sit, quibus si unquam alijs, uerisimile est, tutissimum et mittissimum hoc in religionis negotio institutum posse persuaderi. Præterea longè diuersa est ratio Propterarum et Apostolorum, et eorum, quos nos à civili gladio afferere conamur. Illi enim et nouos, et ignotos Deosre ipsa annuntiabant, et ad defectionem, à patria religione penitus suadebant, hi uero ijsdem religionis principijs retentis, ijsdem q; diuinis oraculis nixi, falsam, atq; peruersam tantummodo corundem interpretationem è mentibus hominum se euellere conari profitentur.

LEGEM LEVITICI XXIIII. IN BLASPHEMVUM LATAM, HAERETICVM  
non compræhendere declaratur.

Nunc uero quod paullo ante de blasphemiamen-  
tionem fecimus, aduersarij autem hereticum et  
blasphe-

blasphemum idem esse, & idcirco hereticum lege  
Mosaica in blasphemos lata, puniendum censem, quid  
blasphemia & blasphemus homo sit, declarare ope-  
re pretium duximus. Blasphemia si Budæo credimus,  
qui propriè loqui uoluerit, execrationē, maledicito-  
nem, conuictum interpretabitur. Ideoq; qui puriore  
latinitate sacra uolumina uerterunt, Deum bla-  
phemare, in eum cōuictia iadere, eumq; execrari, pro bla-  
phemia autem, in Deum maledictum seu conuictum,  
pro blasphemo deniq; hominē in Deum maledictum,  
sive conuictatorem dixerunt.

Vsi iam obtinente, ut hæc uerba, præsertim in sa-  
cris literis, simpliciter prolata, Deum ipsum petere  
intelligantur. Horum autem hominum duplex est ge-  
nus. Vnum ponunt, qui uoluntariè quidem non tamē  
pernitiosè, & obstinate, sed uel ira perciti, uel peruer-  
se & detestabili quadam affectudine, uel quavis alia  
humana fragilitate impulsi, Deo maledicunt, atq; de  
his ut plurimum blasphemii nomine intelligunt sacri  
scriptores. Alterum est eorum qui non uoluntariè so-  
lum, sed pertinaciter etiam, & data opera, in Deum  
conuicta iaciunt. Hinc ex Theologis nostris aliqui  
blasphemiam id peccati genus esse dixerunt, quod in  
sacris scripturis crimen in spiritum sanctum nuncu-  
patur: quod tunc quidem perpetratur, cum quis cœle-  
stis doctrina agnita ueritate, prudens sciens, propria  
malitia percitus eam renuit, & impugnat, eiq; resi-  
stet, ab ea denique ultro desciscit, quantumq; in se est  
eam obscurare, ac penitus delere conatur: adeò ut e-

### SECTIO TERTIA.

tiam consuliò contumeliosis uerbis, ac maledictis,  
• Musc.de pecc. in spiritu sanctum: Calu.  
in spiritu san- Inst.lib.3.cap.  
etum: Calu.  
3. sect. 22.  
eam proscindat, & execretur. Musculum & Calu-  
num legit. Ambo enim locum hunc egregie pertra-  
ctant. Auditis iam bina blasphemorum hominum ge-  
nera, quibus tamen tertium si sacrarum literarum uer-  
ba spectemus, adiici posse arbitramur: eorum scilicet  
hominum, qui re ipsa in Deum sunt contumeliosi, ta-  
men si nec uolentes, nec dedita opera id faciunt, sed aut  
errare se ignari, aut supplicij, mortisq; pauore coa-  
eti, quos tamen impropriè blasphemos esse ipsi quoq;  
aduersarij non obscurè fateri uidentur, præsertim  
quantum attinet ad eos, qui ignorantis delinquunt,  
quum dicant, leges aduersus blasphemos latas eos tan-  
tum respicere, qui scientes, & prudentes peccarint.  
Hac ratione Paulus blasphemum se fuisse ait. Euange-  
lio enim restitit, idq; persecutus est, (ut ip cmet testa-  
tur) ignorans tamen, non malitiosus, quapropter sibi  
misertum esse scribit. Eadem quoq; ratione sancti,  
quos Hierosolymis Apostolus impiè loqui curabat, ab  
eo blasphemasse dicuntur: Ii inquam, quos Paulus in-  
custodiam inclusos, tormentis Christum negare & ab  
agnita ueritate desicere cogebat, quos tamen si resi-  
puerint, misericordiam, ac peccati ueniam consecu-  
tos esse par est. Non igitur uerè ac impropriè blasphem-  
erunt Paulus, non enim contra cognitam uerita-  
tem propriamq; conscientiam operatus est: sed igno-  
rans & rectè agere suaus. Neq; sancti quoq; ab eo  
Christum negare coacti, blasphemari uerè dici possunt,  
nam tametsi scientes, haud tamen uolentes, sed coacti  
tormen-

tormentorum, mortisq; pauore peccarunt. Si miscri  
fratres nostri qui poenit, mortisq; metu adacti Chri-  
stum repudiant, Antichristo subscribunt, ut in Deum  
maledici puniendi essent, errarent nimis Euange-  
licæ nostræ Ecclesiæ, earumq; ministri, qui eos, si resi-  
piscant, in sacros cœtus recipiunt, & ad sacram quo-  
que coenam admittunt: quum potius iuxta aduersario-  
rum sententiam ex uicer lege lapidibus eos cedere  
deberent. Nam contra cognitam ueritatem, scientes  
prudentesq; idola adorarunt, ipsisq; sacrificarunt.  
Quod crimen si uera blasphemia esset, prosector ab  
ijs qui legem aduersus blasphemos latam adhuc uige-  
re putant, ex eaq; in fontes animaduertere uolunt, ne-  
quaquam remitti deberet, neq; enim aut in lege decre-  
tum, aut in historijs exemplum habemus, quod huius-  
modi transgressoribus licet resipiscientibus parcere-  
tur. Quum igitur ex supradictis aperte constet, bla-  
phemum, de quo tertio loco egimus, lege illa Mosai-  
ca non contineri, superuacaneum esset inquirere an  
haereticus sub eo genere blasphemorum continetur,  
nisi quatenus hac ratione probare uellemus, cum le-  
gi illi minime obnoxium esse. Reliquum est igitur ui-  
dere an ad alterutrum, siue ad utrumq; aliorum bla-  
phemorum genus haereticus ipse pertineat. Et pri-  
mo, quod ad secundum attinet, dilucide apparet, illud  
uerum tantummodo apostamat comprehendere, eum  
nimis, qui (si modò deprehendi posset) quum Chri-  
stum agnouerit, eiusq; doctrinam amplexus, ac pro-  
fessus fuerit, non coactus, non ab alijs deceptus, sed ul-

tro

### SECTIO TERTIA.

trò sciens, ac uolens deficit à fide, impieq; factis impia  
quoq; uerba, & in Deum, eiusq; doctrinam maledi-  
cta & contumelias admiscet, cuiusmodi fuere Iulia-  
nus Porphyrius, & si qui sunt similes. De hoc autem  
genere blasphemorum, qui, ut diximus, alio nomine  
Apostatae dicuntur, non in hac Leuitici lege, de qua  
agimus, sed potius in ea, que 13. cap. Deuteronomij  
scripta est, locutus est Moses, sub qua hæreticum nul-  
lo modo comprehendendi posse, mox haud dubiè demon-  
strabimus. Itaq; ad primum uenio, blasphemus igitur,  
de quo uerè lex nostra agit, is esse dicitur, qui Deum  
omnipotentem, piuum, insitum, optimum, & sapientissi-  
mum esse haud ignorans, impotentem, impium, ini-  
quum, malum, ignarum, alijsq; scelere plenis nomi-  
nibus eum appellat, sanctumq; eius nomine execratur,  
ui in nostra misera Italia usu uenire cōlēgit inter mi-  
litares, aleatores, aliosq; perditæ spēi homines, qui ira,  
dolor, alijsq; animi perturbationibus percritis, sēpis-  
sime uero ex infelici habitu frequentibus aetibus cō-  
parato, sanctissimum Dei nomen execrantur, & om-  
niuariam contumelijs afficiunt. Eoq; dementie non  
rarò deceniunt, ut simulacra quoq; in papatu Chri-  
stum aut Deum ipsum referentia (quamuis sacra esse  
censemant) pugione confodiant, aut manuarij tormen-  
ti isti percutiant, quasi Deum ipsum, aut Christum uer-  
berare putantes. Hi autem uerè scientes peccare, pro-  
prieq; Deum blasphemare dici possunt. Interrogati  
namq; an Deo maledicant, negaturos quis putat? At  
uero hæreticus, quem contra quam à scriptura uerè

Deus

Deus depingitur, de eo, eiusq; doctrina opinatur, non  
cavemente agere probari potest, ut eius honori, glo-  
riæ, dignitatiq; detrahatur, aut nomen eius execratur, et  
contumelia afficiat (alioqui enim se eum uenerari, co-  
lere, timere, et adorare aperte ostendit) sed quod pro-  
prio iudicio deceptus, scripturisq; perperam intelle-  
ctis, ab impostore Satana peruerso suus, quæ animo  
agitat non solum uera esse, sed etiam ad Dei gloriam  
spectare autumat. Etenim quemadmodum febricitan-  
ti dulce uinum ex humorum corruptione amarum ui-  
detur, & obstinate inculcanti amarum esse uinum non  
insultabitur, sed ægro miserebitur, palatiq; uale tudi-  
nis restitutio piè curabitur: Consimil ratione, nihil  
grauius in hæreticum obstinatum decerni debet: non  
enim prava uoluntatis culpa, sed depravati spiritualis  
palati causa, corrupto uidelicet intellectu, de Deo,  
eiusq; doctrina, non dicenda, neq; credenda credit, et  
dicit. At uero aduersarij ut probent hæreticum uerè  
blasphemum esse, atq; scientem, prudentemq; pecca-  
re, aiunt, ad dignoscendos eos, qui scienter peccasse  
uiderentur, ab ijs, qui imprudenter, quum de animo  
iudicare difficultissimum sit, hanc regulam constitutam  
fuisse, quasi quodam iure gentium scilicet, ut quia ue-  
risimile est omnes eam religionem tenere, in qua sunt  
nati & educati, idcirco qui fecerit, aut dixerit quip-  
piam, per quod illa conuellatur, id uideatur sciens ac  
prudens admisisse. Quam tamen regulam aiunt, quod  
profanas gentes attinet, quum in cōstituenda religio-  
ne necesse sit homines infinitis modis hallucinari, ini-

quisimane

### SECTIO TERTIA.

qui simam fuisse. Verum in Christianis Ecclesiis nihil  
hac una norma iustius fieri potuisse. Christianas autem  
Ecclesiias illas uocant, in quibus clara uox Dei perso-  
nat, nullis humanis traditionibus obscurata, & pura  
& legitima sacramentorum administratio peragitur,  
adeo ut si quis in illis est repudiauox Dei, hoc est, diuer-  
sam docet doctrinam, præsertim post repetitam Ec-  
clesie admonitionem, sciens ac prudens in religione  
peccare uideatur. Hæc est illorum ratiocinatio. Quæ  
equidem ignoror, insulsane magis an impia appellan-  
da sit. Primum enim quam queritur, an hereticus  
prudens, & sciens peccet, nō illud queritur an sciat,  
se à doctrina, ab ea Ecclesia, in qua uersatur recepta  
diversa docere, sed an sciat se docere ea, quæ à sana  
Euangelij doctrina abhorreant, non utrum nouerit se  
religionem in aliqua Ecclesia constitutam conuelle-  
re, sed an credat se Christianam religionem, quantum  
in se est labefactare. Regula autem illa, quæ iure gen-  
tium constituta est, & non solam in religionis nego-  
tio, sed in rebus etiam ciuilibus suam uim etiamnum  
obtinet, humanam mentem penitus non explorat,  
quam ut iudicari posse, num quis sciat se contra ali-  
euius gentis, aut ciuitatis præscripta cōmittere, eum  
que id scire uerisimile esse statuit, qui eo in loco de-  
gat. Hinc enim apud Iureconsultos dici solet, iuris igno-  
rantiam non excusare, nihilq; ut is merito condem-  
nari possit, præterea querit. Quod quidem exemplo  
ab ipsis aduersarijs allato manifestum fit: Socrates e-  
nim non ea ratione à Melito accusabatur, quod sciret

## SECTIO TERTIA.

167

Se in ueram religionē peccare, sed quōd ciuitatis suae  
institutis aduersaretur: eosq; Deos esse non putaret,  
qui pro dijs à reliquis ciuibus haberentur, quosque  
deos credi debere ciuitas statuisse, id quod Socratem  
non ignorasse hac regula persuademur. Quamquam  
cui dubium esse poterat, Socratem eius rei scientem  
fuisse, quam ipsem se aduersus patriæ instituta lo-  
qui non negaret: Quocirca alio exemplo ad regulam  
illam confirmandam opus fuerat. Verum aduersarij,  
ne fortassis omnino impiè loqui uiderentur, regulam  
de qua uerè intelligebant & unde tota uis argumen-  
ti dependet, explicare non sunt ausi, ad eam tantum-  
modo hoc exemplo, & sequentibus uerbis furtim insi-  
nuarunt, interim non negantes, eam quod attinet ad  
externas & profanas gentes iniquissimam fuisse. Sed  
quid nam eliam, quantum ad ipsos Ethnicos, iniquita-  
tis habere potest ea regula, quam nobis proposuerūt,  
& nos iisdem uerbis, quibus ab illis scripta est, supra  
recensuimus? Regula igitur cui uniuersa eorum argu-  
mentatio inititur, quamq; ipsimet aperiè prōponere  
sunt ueriti, hęc est. Quicunq; quipiam dixerit aut fe-  
cerit per quod religio, in qua natus est conuellatur,  
impietatis, & sacroſancte temeritate religionis reus  
censerri debet.

Atq; huic regulae Socratis exemplum congruit,  
qui à Melito ideo impietatis reus agebatur, quōd pa-  
trios Deos non agnosceret. Illud interim uerum est,  
regulam hanc, nullas unquam uires habituram fuisse,  
nisi altera, quam aduersarij explicarunt, prius admit-  
tatur,

### SECTIO TERTIA.

tatur, quum nemo criminis reus peragi possit eius rei occasione, cuius ipsum ignarum fuisse confiterit. Sed ipsi utramq; partim expressis parum tacitis uerbis, malitiāne, an ignorantia, Deus nouit, nescio quo pācio confuderunt, adeo ut hereticum & prudentem scientem peccare, & uiolate ueræ religionis reum esse rudioribus fortasse uideri possit Quod an uerum sit diligenter expendamus, non aduersorū uerbis, quæ, ut diximus, sibi non constant, sed ipsa sententia paullò accuratius, quandoquidē totius questionis nostræ cardo in ea uertitur, excussa, atq; examinata. Eorum igitur sententia, hęc, ni fallor, esse uidetur, hereticū quia blasphemus sit capitali supplicio affici posse. Quamvis autem, ut quis propter blasphemiam puniri possit, necesse sit cum prudentem & scientē blasphemare, & uideri fortasse possit hereticum sui ipsius criminis conscientium non esse, de eo tamen idem statui debet, ac si scienter eum aduersus Deum delinqueret aperte constaret: quum quodam iure gentium receptum sit, ut quicunq; dicat faciatue quippiam, quod religionem, in qua educatus est, conuictat, impunitus reus habeatur. Verum in hac aduersorum sententia primo loco considerandum est eos ad eam stabilendam rationem afferre, quam ipsimet ualde infirmam esse tacitè fatentur. Nam si regula illa iuris gentium perpetua non est, & quantum attinet ad exteriores & profanas gentes, iniquissima ei iudicanda, & ea certe nullum argumentum ad quippiam probandum duci potest. Præterea nihil potest afferri, cur eiusmodi

di regula, multò minus iniqua, nedum iustissima, ut il-  
li arbitrantur, in Christianis Ecclesiis censeri debeat.  
Eius enim præcipua iniquitas religionis, de qua agi-  
tur, falsitate aut ueritate non augetur, neq; minuitur,  
Siquidem ob id præcipue est iniqua, quod hominem  
sibi nullius culpæ conscientia sèpissimè condemnat, id  
quod non minus in uera quam in falsa religione con-  
tingere potest, cum non minus uera, quam falsa reli-  
gio hominibus quoq; (si eorum mentem spectes) pie-  
tatis studiosissimus falsitatis suspecta esse soleat. Neq;  
enim ut ueram Christi Ecclesiam, & promde ueram  
religionem certò agnoscere possumus, aliquid condu-  
cunt & Christianæ Ecclesiæ note, quas afferunt isti,  
quam inter eos, qui Christo nomen dederunt, adhuc  
non constet, que nam sit uera diuini uerbi uox, que-  
ue legitima sacramentorum administratio. Quare ad  
illas notas ita generaliter & simpliciter prolatas con-  
fugere nihil aliud est, quam, ut dialectici loquuntur,  
principium petere, & rem obscuram per id quod ue-  
ritatem ignorantibus maxime obscurum est, inuesti-  
gare. Ecclesia, que tibi ob sacramentorum, que in ea  
peragitur administrationem ualde probata fuerit, ca-  
dem mihi ob eam potissimum rationem improba-  
tur. Que uni propter diuini uerbi populo annuntian-  
di, modum uere Christi Ecclesia uidebitur, alteri eadē  
ipsa de causa uehementer suspecta erit. Non tamen  
hinc consequitur, nullam posse rerum ad religionem  
pertinentium ex uerbo Dei certitudinem haberí, sed  
illud tantummodo, eam nimirū, non omnibus contin-

### SECTIO TERTIA.

gere, adeo ut si quis aduersus ueram religionem dimicet, neclum illi reluictetur, non propterea tamen contra propriam conscientiam peccare uideatur. Ecclesiam autem, uel Ecclesiás aliquas externas, quantumlibet numerosas, et authoritate pollentes agnoscere quae in rebus etiam ad salutem necessarijs, nihil, uel mancum, uel superfluum, uel falso, et perperam intellectum credere possint, à quibus in illis ne latu quidem unguem recedere liceat, papisticum et diabolicum planè est inuentum, quum in eiusmodi rebus, ceteris etiam duntaxat, quatenus propria salus in discri-  
men uenire nequeat, non errandi priuilegium, non ueni-  
tia, uel multis, uel deniq; omnibus simul externis Ec-  
clesiis concessum sit, sed inaspeptabili tantum Dei ele-  
ctorum cœtu per uniuersum orbem disperso, quem-  
admodum præstantissimi quicq; nostra ætate Theolo-  
gi ad Romani Antichristi Tyrannidem detegendam,  
et pererudite disseruerunt, et apertissime demon-  
strarunt. Possunt quidem et debent externæ Eccle-  
siæ eos, qui in rebus ad salutem necessarijs diuersum  
ab ipsis, licet rite moniti, uel docere uel sentire per-  
gunt, à cœtu, et communione sua expellere. Sic enim  
nemini fit iniuria, et tonatempit namq; sunt eiusmo  
di homines, et separationis sue à reliqua Ecclesia ip-  
simet et authores sunt, et aduersus seipso sententia  
ferunt. Nemo etiam hæ ratione uel consulto, uel re ip-  
sa ad fidem cogitur, quum ipsi poenam, quæ illis infli-  
gitur, si modo poena dicenda est, sponte prius elegi-  
se uideantur. Et, quod caput est, neq; de alicuius con-  
scientia

scientia temere fit iudicium, neq; quod detestabilius  
esset, hominem nullius perpetrati mali sibi concium,  
graviore poena afficiendi periculum subitur, adeo ut  
etiam si Ecclesia, quæ sibi aduersantes expulerit, in  
errore uersaretur, illi uero in ueritate essent, nihil ta-  
men in eorum cauissa deliquisse uideri possit, nisi qua-  
tenus imprudenter errore ueritati prætulisset. Quim-  
odo nisi eos, quem à salutari ueritate prorsus alie-  
nos crederet, a suo cœtu expulisset, & tanquam Eth-  
nicos & Publicanos habuisset, aduersus Pauli, adeo q;  
ipsius Iesu Christi precepta non leuiter peccasset. Cæ-  
terum in ipsis quoq; Christianis Ecclesiis, nihil magis  
iniquum, seu potius truculentum, et impium statui po-  
test, quam capitale crimen facere, si quis in illis etiam  
natus & educatus, earam dogmata, diuini uerbi au-  
thoritate uel reijcere uel infringere conetur, quasi is  
prudens sciens in Deum conuicta iaciat. Neque uero  
satis esse ad ueritatem agnoscendam, in Christiana Ec-  
clesia educari, satis indicant ipsi aduersarij, quum re-  
petitam illam Ecclesie admonitionem in homine, qui  
in ea est, post dilatatione condemnando præcedere de-  
bere, a grè licet concedere coguntur. At quid opus  
est admonitione, regula illa iurisgentium uigente?  
Nonne ex ea sola clare liquet, istum scientem pruden-  
temq; peccare, aut saltē impietatis reum esse? cur  
in eum igitur citra omnem admonitionem non an-  
maduertitur? cur statim diuina gloria eius sanguine  
non vindicatur? Num adulteri, latrones, uenefici, si-  
carij, quibus hæreticos in criminis gravitate longè

### SECTIO TERTIA.

anteponunt, prius admonentur, quam puniantur, &  
si à maleficijs desistant, absoluuntur? Hunc durissimum  
& ineuitabilem scopulum aduersarij uitare satagen-  
tes alicubi afferere non dubitarunt, hæreticum licet  
resipiscentem nihilominus interfici debere. O barba-  
ram sanguinariam, & impudentissimam uocem, quā  
Romanus ipse Antichristus nunquam emittere est au-  
sus. Ne quis autem nos calumniari suspicetur, eorum  
uerba subijciemus. Siue tamen (inquiunt) culpā agno-  
uerit (de hæretico autem non minus quam de quovis  
alio facinoroso loquuntur) & sit deprecatus, siue per-  
tinax ad extremum fuerit, sicut nihil debet temere  
(Magistratus) & inconsideratē facere, ita officium  
eius omnino flagitat, ne nocenti parcat, sed potius in-  
iunctum sibi à domino munus exequatur: Neq; pro-  
pter ea dici potest, animam illius interfecisse, utpote  
quem non interficerit, ut à Deo damnaretur, sed ut  
cæterorum tranquillitati consuleretur, utq; exemplo  
in unum editio cæteros in officio penæ saltem metu-  
contineret. Hæc illi: Vbi tamen non animaduertunt  
adhuc inter hæreticos & alios scelerosos illud discri-  
men extare, ut illi semel atq; iterum, imò sèpe, ut ali-  
cubi ipsorum uerba habent, prius rite admonentur,  
hi uero ne semel quidem: prætereasibi ipsis manife-  
stè aduersantur, cum alibi, ut superius à nobis demon-  
stratum est, in hæretico puniendo se requirere fatean-  
tur, ut desperatus sit. Nunquid autem desperatus dici  
potest, qui culpam agnoscit, eamq; deprecatur? Itaq;  
dum Charybdim uitare student, in Scyllam miserè inci-  
dunt,

dunt. Nam, quoquo se uertant, aut hæreticos non perinde ac cæteros facinorosos puniri debere, & proinde non prudentes scientesq; delinquere, atq; non criminis, sed erroris tantum argui posse, fateantur necesse est, aut repetitam illam legitimam admonitionem penitus reiucere, ac abolere coguntur. Nam si post admonitiones scientiam superuenire contendant, pri-  
mum, ut iam diximus, regulam, qua potissimum nituntur, infringunt, atq; conuellunt, deinde iam manifestissimam, & maximi momenti differentiam, in punien-  
dis hæreticis, à reliquorum facinorosorum coerci-  
tione, statuunt. Atq; interim non uident admonitioni-  
bus illis nihil aliud uerè effici, nisi ut cum, qui admoni-  
tus est, neq; paret, suis erroribus ualde implicitum  
esse appareat, & ex animo uerè loqui, tantum abest,  
ut inde male conscientiae argumentum elici possit, ni  
si alia concurrant, que suspicionem hanc gignere  
queant: utputa, quod ex eo, quod opinionem suā mor-  
dicus retineat, mundana aliqua utilitas ad eum sit ma-  
natura, & quod in ea defendenda non rationibus &  
argumentis, sed assertione duntaxat, clamore, & per-  
tinacia agat. Que tamen cōiecturæ quum admodum  
fallaces sint, cohibendum est humanum iudicium, &  
Deo unico cordis & renium exploratori, omnis iu-  
dicatio de alterius conscientia permittenda.

Hactenus satis probasse uidemur hæreticū, si mo-  
dò blasphemus appellari potest, non tamen prudentē  
et scientem blasphemare, uel impietas reum esse, ex  
aduersariorum regulis & rationibus cuiuscī posse,

### SECTIO TERTIA.

ideoq; legi in blasphemum latæ subjici non debere. Sed quid, quod etiam si concederemus, hæreticū aduersus propriam conscientiam peccare, impropriē tamen blasphemus esset, aut saltem non eius generis, de quo loquimur, & de quo lex illa intelligit? longe enim aliud est in Deum aperta maledicta ac conuictia iacere, eiusq; nomen detestari, & diuina oracula contra propriam sui animi sententiam peruersè interpre tari. Quum igitur aduersarij pro sententia sua de hæ reticis occidendis asserenda Mosaica lege in blasphemos lata nituntur, nos contra legem illam nihil de hæ retico decernere assueramus. Blasphemus enim ille, qui editio causam dedit, nihil in sanam doctrinam ef fuiuit, sed tantum in Deum cōuictia & maledicta con iecit, ob iurgium, quo cum aduersario rixatus fuerat ira percitus. Nam qui poterat homo Aegyptius, non Hebreus, adeoq; eius doctrinæ ignarus, cōtra sanam doctrinam aliquid dicere? Neq; uero hic oportet alle gorijs, analogijs, legumq; extensionibus uti, ut bla sphenu lex per similitudinem, aut comparationem ad hæreticum violenter trabatur. Non enim decet, nec iure fieri potest, quas leges Deus uni delicto puniendo sanciuit, eas alij delictio multando per analogiā ac commodare. At de legum extensione paullò post ap tiore loco fusius tractabimus. Interim sat habebimus constanter asserere, & epilogo concludere, legem in blasphemum, hoc est nomen Dei execrantem, & ma ledicta in eum odiosè coniicientem nulla ratione iuste, ac propriē trahi uel posse uel debere, non ad eum tantum-

tantummodo, qui ueri falsa specie deceptus, ut hæreti-  
cis frè contingit, falsam doctrinam docet, prædicat,  
ac mordicus retinet: sed neq; ad eum etiam, qui pru-  
dens sciensq; eadem facere ausus fuerit. Quod si se-  
cūs sentiant, probent necessum est. Probent inquam,  
non sophismatibus, non speciosis, suoq; cerebro con-  
fictis rationibus, non coactis tandem legum interpre-  
tationibus. At Dei uerbo lucidissimo, ac nūminē du-  
bio. Non enim de nugis agitur, aut de lana caprina dis-  
ceptatur, quum de hominis uita seruanda, aut delenda  
inquiritur.

Atqui legem hanc ad hæreticos non extendi per-  
pulchrè quidem præterea agnouit, ac probè declara-  
uit author ille, quisquis fuerit, sed cut scriptis eius pe-  
pitur doctus, & què ac pius: consilij cuiusdam ad Gal-  
liam desolatam, Gallico sermone conscripti. Cuius  
uerba hæc sunt.

Controuersia est, an hæretici sint occidendi, & an Auth. Consil.  
Principes, ac Magistratus cessantes improbè agant. ad Gall. desol.  
Respondeatur, quòd non. Caussa uero est, quia Deus,   
nec in ueteri, nec in nouo födere unquam hoc ius sit.   
Rem autem sic se habere ex ijsdem ipsis testimonium   
peto, qui ad hoc probandum libros edidere: qui qui-  
dem, omni, non solum diligentia, sed etiam solertia, u-  
triusq; scripturæ loca indagantes, quibus opinionem   
suam probare possent, ne locum quidem inuenire un-  
quam potuere, quo Deus hæreticos necados lege san-  
cuerit. Attamen, sententiam hanc suam assertere sa-  
tagentes, ex lege Mosaica eam probare tentarunt: eo   
cc

### SECTIO TERTIA.

„uidelicet, quod Deus blasphemos, ac pseudoprophe-  
tas lapidari iussit: unde haereticos occidi posse con-  
cludunt. Et porrò, si mihi probare possent, haereticos  
eos esse blasphemos, & pseudoprophetas, quos Mo-  
ses interfici iubet, cum haereticos occidendos manda-  
se ingenuè faterer: neq; amplius de uerbo certarem,  
quando de re ipsa inter nos conueniret. Attamen non  
sic se res habet. Quum enim Moses blasphemum in-  
terfici iussit, de eo loquitus est, qui laedēdi animo, de-  
dita opera, certaq; malefaciendi scientia in Dei no-  
men conuicia iactat, cumq; execratur. Id quod miseri-  
aleatores, milites, & ebrij homines quotidie faciunt.  
Sic autem habere, cum praecepto, tum exemplo ipso

Leuit.24. dilucide patet. Ibi enim narratur contentionem inter  
quendam Israeliitide matre, & Aegyptio patre natū,  
inter Israelitas degentem, & Israelitam exortam in  
castris esse. Eum autem Israeliitide natū in Iouæ nomē  
conuicia iecisse, cīq; maledixisse. Quare mandasse  
Iouam, hominem lapidari: legemq; promulgari, ut  
qui Deo suo in posterum malediceret, quiq; Iouæ no-  
men contumelia afficeret, morte mulclaretur. Hic igi-  
tur manifeste uidemus, de execrationibus, conuicijs,  
ac maledictis agi, que uulgò blasphemiae appellātur.  
Quod usque adeo plebs ipsa, hominesq; terranati in-  
telligunt. Nam cōtus etiam ipsi hominum iure sociati,  
ciuitates scilicet, leges habent id genus blasphemii  
as puentes. At legem hanc contra haereticos allega-  
re uelle, homines scilicet, qui scripturæ locum aliquē,  
de cœna uidelicet, de baptismo, alioūc aliquo articu-  
lo per-

lo perperam intelligent, & exponant, eosq; ut in Deum maledicos ex lege illa **extremo supplicio afficiendos asserer**. hoc inquam nil aliud est, quam legē peruersē, ac periculose interpretari, nimisq; subtile, acutumq; esse ad effundendum sanguinem: cuiusmodi esset, si quis diceret, **Sadducæos eadem lege capite plectendos esse**, quod mortuorum resurrectionē negarent. Iudeos itidem baptismatis lauacro ablutos, quod ad salutem adipiscendā circumcidī necessum esse censerent. Paulum quoq; quod ante receptam Christi fidem, per ignorantiam in Christum blasphemus fuerat. Thomam deniq; quod Christi resurrectionem negasset, scripturis afferentibus, Christo prædicente, A. postolis testantibus.

**LEGEM DEVTERONOM: XIIIL IN  
PSEUDOPROPH: PROMVLCATAM IN  
hæreticum non competere ostenditur.**

**S**ed inuiolabile (ut putant) aliud præsidium habent aduersarij in lege illa Mosaica, qua in Pseudoprophetas animaduertitur. Ea enim hæreticum, uerè (ut censem) pseudoprophetam, puniri posse arbitrantur. Quod quidem propugnaculum pro uirili expugnare conabimur. Quid igitur lex? Si quis (inquit illa) apud uos uates, aut somniator extiterit, qui uobis signum aliquod, aut prodigium edat, idq; signum, & prodigium uobis ab illo prædictum euenerit, & tamen idem uos cohortetur, ad Deos alienos uobisq; ignotos sequendos, colendosq; nolitote illius, autua-

Deut.13.

### SECTIO TERTIA.

» tis orationi, aut somniatoris somnio obtemperare:  
tentat enim uos Ioua Deus uester, ut discat, an se toto  
corde, atq; animo diligatis. Inferius uero subdit, Va-  
tes autem, aut somnij author ille moriatur, qui à Ioua  
Deo uestro, à quo ex Aegypto educti, & ex seruitu-  
tis domicilio asserti estis, defectionem suaserit, quo nos  
à uia abduceret, per quam ingredi Ioua Deus uester  
uobis præcepit. Aufertote igitur malum de medio ue-  
stri. Si te etiam frater tuus eadem tecum matre natus,  
aut filius, aut filia, aut tui sinus uxor, aut amicus tibi  
æquè charus atq; tua anima te arcane cohortatus fue-  
rit ad cultum deorum alienorum, tibiq; & tuis maio-  
ribus ignotorum, cuiusmodi sunt dij nationum, qui  
undiq; circum uos sunt, siue finitimarum, siue quocun-  
que terrarum, fine remotarum, ne ei obsecundato, ne  
auscultato, ne parcito, ne eius misere scito, ne eum ce-  
lato, sed interficilote, ita ut tua manus prima sit in co-  
necando, cæterorum autem omnium secunda, eumq;  
ad necem lapidibus obruitote, qui uos abducere co-  
natus fuerit à Ioua Deo uestro, à quo estis ex domo  
scrututis Aegyptiæ educti: quod ubi audiuerint Israe-  
litæ omnes metuant deinceps tale flagitium apud uos  
committere, &c. Iam uero, nisi quis talpis cæcitate  
præstet, uidere potest legem hanc eos petere, qui Dei  
populum ad Idola colenda allicere, eumq; à ueri Dei  
cultu penitus abstrahere conabantur, & eos quoq;  
qui quum ex Dei populo essent, alios quo modo  
ad defectionem à Ioua Israelitarum Deo ad deos alie-  
nos hortarentur. Quod criminis genus quanto in o-  
dio

dio apud Deum esset, facile ex signis deprehendipotest, quæ feruore iræ suæ særissimè ostendit, quū defectorum populi suum, omni prorsus misericordia se posita, durissimis animaduersionibus, & supplicijs castigaret, eorum multas myriadas in iulu occuli non nunquam necando. Per magni autem interest inter hæreticum & talem Pseudoprophetam, siue Apostamat: id quod ijdem ipsi aduersarij cognouisse indicat, in sua hæretici definitione, idolatriam & apostasiā non censentes. Hæreticus enim non negat Iouam uerum illum Deum coeli & terræ creatorem, neq; alios deos adorandos esse docet: non negat Christum eiusdē summī Dei filium, neq; nostram per illum iustitiam, ac redemptionem, nec tandem Christi nomen abnegat, uel alios abnegare suadet. Sed à Diabolo insinatus, aut mentis oculis per ignorantiam captus, siue etiam proprie sapiencie opinione deceptus, à sanctæ tamen scripture oraculis ne transuersum quidem un gem animo discedens dogma aliquod mente concipit Ecclesiæ dogmatibus non cohærens: Seq; recte sentire autemans, flamas interdum adire pro eo asserendo non dubitat. Itaq; ut sæpius supra demonstratum est, contra Deum nec uolens nec prudens peccat. Quinimo, ut ita dicam, Dei zelo inseitè tamen ad Ecclesiæ dogmata uel rei cienda uel etiam conuellenda abripititur. Diuersum omnino in Apostata & falso Vate, de quo lex loquitur eueniebat. Non enim eos latet, sese à Ioua ad alios deos deficere, uel certè populum ad eam defectionem suadere. Iam contranebulones

### SECTIO TERTIA.

Iones hæreticos Christi politia ab eo eiusq; spiritu, ab Apostolis constituta, in morem ab iisdem perducta, suisq; successoribus per manus traditam nobis proponitur, qua (ut satis, superq; supra declarauimus) quæ istorum hominum morbo medicina sit adhibenda, haud obscurè docuimus. Quocirca non sunt nobis ex ueteri lege ea medicamenta, per similitudinem incongruè petenda, quæ ad diuersam curandam cœritudinem parata fuere: longissimè enim distat, hæretici morbi curandi ratio, ab ea quæ in Moysi lege superius descripta in apostatas idololatras lata continetur. At contra excipiet quispiam, ingenio plus fortasse, quam doctrina pollens, hæreticum in Christi Ecclesia noua dogmata promulgantem, aut uetera iam olim expensa innouantem, Christianum populū à ueri Dei cultu abducere, & ad noui & peregrini adorationem instigando perducere, ab eo longè distantis qui nobis à sancta scripture proponitur, à Christo prædicatur, ab Apostolis & sanctis Patribus colitur, à uera demum Ecclesia adoratur. Verum præterquam quod Brentius ipse (ut supra notauius) oppositionem hanc aperte diluit, nemo doctus est & quæ ac pius, qui discri men inter hæreticum & falsum uatem, de quo Moses loquitur, à nobis paullò ante constitutum perpendens, hoc aduersariorum argumentum contortum, & aculeatum esse sophisma, eosq; cauillari potius quam argumentari non agnoscat. Non est eiusmodi articulus iste, quo de homine occidendo agitur, ut consecutibus talibus præsertim de eo decerni oporteat. Nam si dicas,

## SECTIO TERTIA.

174

Si dicas, lex Mosaica apostatam & falsum uatem à Ioua ad peregrinum Deum defelctionem suadentem necari iubet, ergo hæreticus, qui aliqua de Deo docet, quæ docenda non sunt, occidi debet, minimè reducta est consecutio; uerba enim quibus in lege ipse utitur Ioua, discrete nobis indicant, quid sit ad peregrinum Deum colendum alios solicitare. Ait enim: Ad cultum decorum alienorum, tibiq; & tuis maioribus ignotorum, &c. Est ne Deus pater domini nostri Iesu Christi quem adorant hæretici, nobis alienus, nō proprius nostrisq; maioribus ignotus? Sed ut clarius in hoc mentem suam patefaceret Ioua, subdit in lege ipsa. Cu iusmodi sunt dij nationum, quæ undiq; circū uos sunt: Idola scil: et manu facta simulacra: quæ igitur haec est ingenij peruersa argutia, ut hæreticū ab æterni Dei adoratione non recedentem, & simulacrorum cultū prorsus abhorrentem & detestantem, eo quod scripturam perperam interpretetur, à Iouæ cultu ad peregrinum Deum colendum cæteros abducere ostendere uelimus, & idcirco supplicio à lege statuto puniri debere contendamus? Miror hæc dicentes rubore nō suffundi.

HÆRETICVM LEGI IN IDOLATRAM LATAE SVBIECTVM  
non esse.

Quid autem quod iisdem rationibus, sed alio modo explicatis, hæreticū legi in idololatras latæ subiectū esse statuunt? Aiunt enim duplēcēm esse idololatriam,

unam

### SECTIO TERTIA.

unam internam, alteram externam, externam illam es-  
se dicunt, qua statuas, Icona, pictas imagines, ac simu-  
lacra hominum manibus fabrefacta. Multi impiè co-  
lunt, & adorant. Internam autem, quamlibet falso  
opinionem, qua de Deo, eiusq; colendi ratione, ueræ  
que fidei, puræq; doctrinæ dogmatibus hominū men-  
tibus concipiatur. Quapropter constanter asseuerat,  
cunctos Deum, & fidem eius extra uerbi sui præscri-  
ptum contemplantes, ac definientes, idolum omnino  
mente concipere & effingere, quiq; in Dei cultum  
noua dogmata inducit sanctæ scripturæ oraculis non  
cohærentia, cum uerè idololatram esse, omnesq; de-  
num, qui diuinum peruerentes ordinem uerbo Dei  
se subiicere renuunt, sed potius, ut hæreticorum mos  
est, inquiunt, Dei uerbum sibi ipsis, iudicioq; suo sub-  
iicere contendunt, uerè idololatriæ criminis reos es-

Exod. 20.22. se. Hinc tandem colligunt, quum idololatra lege sta-  
tuente capitali supplicio puniatur, hæreticum quoq;  
uerum idololatram consimili mulcta plectendum es-  
se. Per pulchrum prosector, & argutia, salisq; plenum  
inuentum, rhetorici aptum ornamētis ac probatio-  
nibus. At enim ubi de articulis agitur Christianæ reli-  
gionis præcipuis, præsertim uero hominis uitam tan-  
genib[us] (ut iam diximus) analogica huiusmodi argu-  
menta, coactasq; consecutiones missas facere opor-  
tet, & ex Dei uerbo, non ambiguo quidem, sed cer-  
tissimo, solisq; luce clariore decernere. Sedenim, quia  
Paulus dixerit, auaritiam idolorum seruitutem esse,  
idololatriæ distinctionem in carnalem, & spirituale,

seu

seum ueram, & metaphoricam non negamus.  
Verum, ut inter peccata distinguitur, sic quoq; inter  
poenas distinguere portere affirmamus. Inter quas qui-  
dem à sanctis scripturis distingui manifestè uidemus:  
quum exterior idolatria Mosaica lege carnali gla-  
dio vindicari, interiorē uero Christi lege spirituali  
multari cernamus. Sed neq; ab re erit hoc loco ani-  
maduertere, hos nostros, ubi ad sua probanda analogicas,  
& allegoricas interpretationes, & figuræ fa-  
cere intelligunt, eas pañim usurpare: ubi uero sibi ad-  
uersantur, & eorum argumenta infringunt, illas im-  
probare, utq; inanæ, & ineptas explodere. Quapro-  
pter, quum August. pulcram profectio, & necessaria  
illam distinctionem inducit inter uisibilem gladium,  
& inuisibilem, nihili eam pendunt, ac penè ipsi illu-  
dunt: dicentes illum in diuinis allegorias sectando, æ-  
tatis sue consuetudini nimis induluisse: non reputan-  
tes necessariam illam distinctionem & sacrarum lite-  
rarum fontibus haustam esse: in quibus, tum gladij  
carnalis, tum etiam spiritualis, quo Antichristus con-  
ficiendus est aperte fit mentio. Instanter autem affir-  
mant, hoc allegoriarum inuentum inane esse, atq; in-  
utile: & Origenem, eundemq; Augustinum, recetio-  
rumq; aliquos eos sequitos despiciunt, & obiurgant,  
quum ueteris paginæ carnalibus actis spirituales sen-  
sus allegorice interpretantes accommodant: ut Bren-  
tius, qui externas, & corporales hostiū cædes, signa,  
& figuræ esse afferit rectæ virtutis in Christianismo  
manifestandæ. Et Barth: V estim: per pulcrè quidem al-  
legorice

### SECTIO TERTIA.

legoricè interpretans, bella quæ carnalibus armis Israëlitæ contra Amorœos, Chananaeos, & Iebuseos gessere, pro bellis spiritualibus, qua Christiani homines cum Satana, eiusq; angelis continenter gerunt. Viq; tandem And. Althm. & Acont. qui quidem codè spectant, ut inferius videbimus. At enim nonne Paulus quoq; sanctam scripturam allegoricè, & figura-  
t. Cor. 10. 5. tè interdum interpretatur? Nam ad Corint. scribens, quum uerba fecisset de nube, deq; Hebræorū per rubrum mare transitu; asserens, omnes in Mosen bapti- zatos esse nube mariq; omnesq; spirituali cibo ac potu usos fuisse; tandem perorans, aut, omnia illis figura contigisse, scripta autem fuisse ad nostri admonitionem. Si ergo Augustinum, Origenem, eosq; sequitos neotericos arguere uolunt, quod allegoricè, & per figuratas sacras scripturas aliquibus in locis interpretati fuerint, Paulum quoq; arguant necesse est. Quod si Paulo, & patribus authoribus interdum nos quoq; allegorijs uiimur, modò Dei uerbo uim non afferamus, eiusq; ueritati, ac præceptis derogemus, non est cur nos reprehendant. At cur nos increpas, inquiet, idem facientes? Evidem nunquam illis negabo, quod mihi ipsi concesserim; modò allegoricæ, figuratæ, aut analogicæ eorum interpretationes, certissimis uerbi Dei oraculis non aduersentur. Ut illud est, quod leges illas in blasphemum & pseudoprophetam latas per similitudinem in hereticum pertrahere uelint, aliamq; de qua nunc agimus in idololatram conditam consiliratione in eundem detorquere conentur. At hec

sacra

## SECTIO TERTIA.

176

sacra uerba allegoricè interpretari non decet; sed ca-  
stè, purè, ac propriè, ut sonant, intelligi debent. Nam,  
ut eorum quida contra nostræ partis aliquem di-  
xit, coniecluræ locus non relinquitur, ubi legem ha-  
bemus expreßè loquentem. At lex disertè loquitur, in  
eosq; inuehitur, qui Paganorum fictos Deos colunt,  
eorumq; simulachra impiè adorant. Quamobrem le-  
gis extensione uti, & per allegoriam, aut conuenien-  
tiam hæreticum idololatram statuere, est legi uim af-  
ferre, eamq; corrumpere, non interpretari. Alioqui  
huic legi obnoxius esset pater ille, qui filium plus,  
quam Deum amans, idolum sibi effingit: quin & ma-  
ritus ille, qui uxorem, amator qui amasiam: quilibet  
deum, qui quamuis rem creatâ creatori Deo profe-  
rat, & quasi idolum colat, & adoret: præsertim ue-  
rò auarus, qui expreßè à Paulo idololatra appellatur.  
Id quod eiusuerbis præclarè percipimus, quibus  
auaritiam idolorum seruitutem esse assuerat: sed per  
similitudinem: neq; tamen ab Apostolo, aut aliqua Eu-  
angelica lege, aut ciuili constitutione ex Mosis lege  
desumpta, capitali plectitur supplicio. Nam tametsi  
ab Apostolo turpis idololatriæ nominis infimulatur  
ipse enim cum hominibus agens humano uititur ar-  
gumento, rhetorico more rem exaggerans, & am-  
plificans, ut criminis turpitudinem ostendat) attamen,  
quum ad legis præscriptum ac definitionē uerus ido-  
lolatradici non possit, ex lege ipsa puniri non debet.  
Idem Apostolus aliquando inuehitur in quosdā, quo-  
rum Deum uentrem esse affirmat. Quare si aduersa-

Extēsio legis.

### SECTIO TERTIA.

riorum analogiam sequi uelimus, gulosi quoque omnes, omnesq; uiolenti occidendi uiderentur.

Verum, ut iam dictum est, de uero ac proprio idololatra, quem externum idololatram uocant aduersarij, lex Mosaica loquitur, id est de eo, qui externis aribus alium Deum colit, et adorat, quam qui cœlū, terramq; condidit, qui populum suum ex Aegypto eduxit, qui tandem Domini nostri Iesu Christi pater est: non autem de interno, et metaphorico idololatra, quiq; impropriè isto nomine appellatur. Id quod no-

Aug. de Trini. uisse uidetur August: quum dixit, Idololatæ dicuntur,  
lib. I. cap. 6. qui simulachris eam scrutatem exhibent, que Deo

» debetur. Neq; unquam hæreticus adeò peruersus existit, qui alium Deum, quam quem supra descripsimus adorarit, et si in Christianæ fidei articulis uarij ab Orthodoxa fide dissentientes, uaria sensere. Quicunq; igitur ab hac fide deficiens, quem diximus uerum Deum negarit, et falsos deos, ac simulachra coluerit, is demum uerus idololatra habebitur. Si quævis opinio ab Orthodoxa fide abhorrens, et à communi Ecclesiæ doctrina dissentiens, uera appellari posset idolatria, qua ratione Hebræorum synagoga Sadducæos carnis resurrectionem aperte negantes tolerasset? Hæretici erat Sadducæi, si modò uerum est, Hebræos scripturis nixos æternam se uitam consecutiuros, ac proinde resurrectionem futuram sperasse. Doctissimi autem eorum Rabini haud profecto ignorabant quanto in odio apud Deum esset idolatriæ crimen, utq; Mosis lege seuerissime vindicaretur. Quapropter Hebræo-

## SECTIO TERTIA.

177

Hebræorum principes sacerdotes, ac Pharisæi diuer-  
sum sentientes, puri ac legitimi cultus studiosi, saneq;  
doctrine accerrimi vindices, sectam hanc extingue, eiusq; sectatores antiqua lege in idololatras lata, coer-  
cere, ac punire curassent. Verum optimè conscijs, hæ-  
resim idololatriam non esse, connuentes præteriere,  
causæq; cognitionem summo Deo integræ reliquæ  
re. Quod si quis excipiat, Sadducaeorum sectam tunc  
temporis adeò fortassis polluisse: ut ei resisti non pos-  
set, ideoq; Hebræorum Remp. in eos animaduertere  
nequivisse, quod sine magne pernicieti periculo corri-  
gi non posset: respondeo, in ipsis initijs, nascentem, ac  
pubescentem hæresim, nec dum ualidas vires naclam  
non puniri solum ex legis præscripto, sed restinguere  
tiam potuisse, hæresiarcas ipsos è medio tollendo,  
quod tantum abest ut factum fuerit, ut neminem illo-  
rum unquam uiolate legis accusatum, ne dum reum  
peractum fuisse legamus. Et Christus ipse, uerax ac  
certissimus diuine legis interpres, quiq; non ut eam  
solueret in mundum uenerat, sed ut impleret atq; per-  
ficeret, & mortuorum resurrectionem sepiissime in-  
culcabat: nunquam sui temporis Hebræos docuit, Sad-  
ducaeos eam negates (quibus etiam hoc nomine igno-  
rantiam in scripturis interpretandis exprobrat) ut  
uerè hæreticos, & propterea idololatras, Mosaicæ le-  
gi obnoxios esse. Nec est cur nobis iterum obijciant  
pij Magistratus tunc temporis caritatem: nam si Ro-  
manos Magistratus Iudei contra hæreticos Saddu-  
caeos implorassent, & ex lege sua ut idololatras mor-

### SECTIO TERTIA.

tē multatos esse dixissent, uerisimile est, Magistratus ipsos tam legem illam executuros fuisse, quam ijsdem peccatis Christum ipsum cruci affixerent. Quod si minus successisset, Christus tamen Iudeos monendo, officio suo functus fuisse uidetur, ostendens illis, munieris sui esse, et lege teneri eiusmodi hæreticos, tanquam idololatras accusare, et Magistratibus ad necem tradere, ut uerbi ministrorum munus esse contenti aduersarij. Si quis igitur quæ de hæretici, et idololatræ differentia adhuc disputauimus recte perpendit, Mosaica lege hæreticum non comprehendendi omni procul dubio intelliget.

Non me tamen latet responsuros. Deum æquè odisse, et abominari cultum illum, qui à pura eius doctrina abhorret, atq; idolorum cultum. Sed, ut ipsis hoc detur ( quod tamen falsum esse conuincitur, idololatra enim, de quo lex intelligit, prudens, hæreticus imprudens peccat, ille à Deo deficit: hic Deum sibi precipuum scopum proponit ) non tamen ex hoc consequitur eandem legem, qua in idololatras, et à uero Deo deficientes animaduertitur, ad hæreticorum animaduersionem iure pertrahi posse. Is enim nullo legis illius uerbo eius sanctioni subiicitur. Proinde si

Acon:lib.3. ad eum trahere legem uelis (ut Acon:uerbis utamur)  
,, id fieri non quidem ex propria uerborum uero, sed (ut Iu:  
Extensio legis reconsulti loquuntur) per extensionem, latamq; in-  
,, terprationem. Atqui cognoscendum prius fuerat,  
,, omnis ne lex eiusmodi admitteret extensiones: et si  
,, non omnis, quæ nam admitterent, et quamobrem: et  
utrum

utrum in ista ea inessent, propter quæ facienda esset  
extensio. Certe quod uerba non exprimunt, ad id si le  
gem accommodo, id sit tantum conjectura quadam  
legislatoris mentis. At de quo legislatore hic agitur?  
De eo nempe, cuius mentem diuinare tam sit diffici-  
le, quam quod difficillimum: ut conjectura omnis eius  
modi carere magno dubio non posset. At uero, quam  
generalis extet lex, quæ uetus occidere, non dubiae le-  
gis authoritate sed maximè certæ ad fundendum san-  
gum ueniendum esse uidetur. Et quum de apostata  
ageret, de quo nos supra egimus, & ab heretico mul-  
tum differre diximus, quo tamen nomine idololatram  
etiam, qui ex populo Dei fuerat, de quo præcipue lex  
illa loquitur, merito appellari potest, statim subdit.

Quam quidem difficultatem res haberet omnem, e-  
tiam si inter apostatae caussam & heretici nihil nos  
uideremus differentia. Sufpicari enim merito posse-  
mus, etiam si nos non uideremus, multum tamen forte  
interesse: neq; ad faciendam legis extensionem in cu-  
iusquam uitam præcipites rueremus. Sed quid si non  
desint minimè etiam leues, quas cernamus differentia.  
Nam apostata nō tantum à uero Dei cultu deficit, sed  
etiam uerbo Dei fidem omnem abrogat: apud hære-  
ticum eius salua adhuc est autoritas: ut quibus armis  
conficias hereticum, ciq; resistas præter lapides, aut  
ferrum habeas: Dei uidelicet uerbum: quibus apostata  
conficias non habeas. Quapropter uoluit forte  
Deus hominem à cogitatione deserendi omnino sui  
cultus, fidei q; omnis uerbo suo abrogandæ grauissi.

### SECTIO TERTIA.

ma constituta poena absterrere: neq; tamen uoluit eidē  
» peccata subiacere hæreticum. Accedit quod ab apostola  
» nihil redcat ad Ecclesiam fructus: ab hæreticis ue-  
» rō multum: sed ex eo præcipue, quod ab ijs exerciten-  
» tur pīj ad scripturas multò studiosius, diligentiusq;  
» perscrutandas: alioqui desidiae daturi se: atq; igno-  
» rantiam rerum omnium paulatim incursum. Hæc il-  
» le. Cuius quidem fructus uberrimi prouentus à Luthe-  
» ri pīe memorīe temporibus usq; ad hanc ætatem uisi-  
» fuere. Tum scilicet, quum mundo per Papistarum o-  
» cium ac desidiam ignorantiæ tenebris obuoluto, illis  
» in pīos atrociter sequentibus, nostrorum studium ac  
» solertia in sacris euoluendis uoluminibus, Euangeli-  
» cam ueritatem è tenebris eruit, extinctumq; ueræ re-  
» ligionis lumen accedit. Sed maximè etiam illud in-  
» terest, eodē Acont. auctore, quod uideri Magistratū  
» à religione prorsus deficere, aut ad defectionem alios  
» solicitare, qui id non faciat, non potest: ast, ut ei uidea-  
» tur in doctrina errare, qui non erret, aut grauißime  
» errare. qui non erret adeo grauiter, facile contingere  
» posse: tot controuersiæ, etiam inter viros doctiissimos,  
» quibus nunquam non exercetur Ecclesia, certissimo  
» sunt argumento. Dico autem sic errare posse Magis-  
» tratum, non propterea quod uerbum Dei non sit ar-  
» pertum, ac certum, sed sua culpa: quia ad iudicandum  
» neq; eam eruditioem, neq; eum spiritum afferat, qui  
» est opus, ut non id struim ad uerbi Dei pertinere uide-  
» ri debeat ignominiam. Quotusquisq; enim eorum,  
» qui magistratum gerunt, euam si Euangelio dedit no-  
» men,

men, satis multam in diuinarum literarum lectione  
ponit operam. Quotusquisq; singulari ulli est pietate  
prudentiaq; ut ad eo uel iniquum, uel præcepstimen  
dum hoc in genere non sit iudicium? Hactenus Acont.  
Et profecto ut plurimū Reges & principes Regnis  
additionibus suis conseruandis, alienisue, si possint,  
occupandis: præterea thesauris comparandis, equis  
alendis, uenationibus, aucupijs, amoribus, cæterisq;  
cupiditatum lenocinijs, animiq; illecebris, genio in-  
dulgentes, potissimum uacant. Proinde queuis cura  
corum animos magis tangit, quam Dei cultus, ac reli-  
gio. Quòd si quis hodie alicubi regnat, qui plectate, et  
doctrina ita præstet, ut uocatione sua dignus uideatur  
(non enim tales desunt, certò scio) euentu facile est,  
cras illi aliquem successurum (ita enim in hoc rerum  
genere comparatum est, ut omnia in deterius laban-  
tur) ab eo prorsus diuersum, ac crudeliter impieq; re-  
gnantem. Consimili ratione in libera Rep. quotusquis  
que est, qui potius mercaturæ, agriculturæ, mechani-  
cis artibus, mundanis scientijs, sensusq; uoluptatibus  
se non dedat, quam ad sacrarum literarum Christia-  
næq; doctrinæ studia animum appellat? Cuius quidē  
pleriq; nedum studio aliquo non tenentur, sed eam pe-  
nitus ignorant, nisi quatenus à Concionatoribus ali-  
quid docentur. Quam raro igitur in libero populo ci-  
ues publicæ functioni præfici poterunt, qui cum pu-  
ramente, Christianoq; spiritu, eam diuine uoluntatis  
per uerbi Dei studium notitiam coniunctionam habeat,  
ut ueram doctrinam ab adulterina distingueret, ac co-

### SECTIO TERTIA.

gnoscere, uereq; hæreticos digno suppicio afficere  
ualeant? Nam qui sui iuris sunt populi, Magistratus  
suos per temporis interualla uicissim creant: ita enim  
expedit in libera Rep. politica æquitas, ut cuncti ciues  
publica onera subeant, communibusq; honoribus di-  
stributè fungantur. Quo fit, ut si hodie publicam rem  
gubernat pius, probus, æquè ac doctus Magistratus,  
eras forte eidem procurationi aliis præficiatur rerū  
omnium, Theologæ præsertim ignarus, iniquus, im-  
pius, improbus: perendie etiam pessimus: aliquis de-  
mum, qui, tame si per malitiam non peccet, per diui-  
narum tamen legum inscitiam, de doctrina iudicium  
daturus, innocentem pro fonte capitali afficiat suppli-  
Acon. ibid. 110 Quis enim (eodem Acon. afferente) non, quum  
,, gladium gestat, pius haberi uelit, sitq; pro hæretico  
,, habiturus, quisquis sibi in religionis doctrina aduer-  
,, seatur: itaq; illud omnino sequatur, ut quod ius pio Ma-  
,, gistratu in ueros hæreticos permissum fuerit, id qui-  
,, libet in eos, qui ab se dissenserint ( quicquid tandem  
,, sentiant) usurpaturus sit.

Hic uero fortissim insurgent, ac dicent, ciuiles Ma-  
gistratus in rectè formatis Ecclesiis proprio iudicio  
hæreticos non condemnare: sed doctos, piosq; uerbi  
mansios consulere, ex eorumq; sententiâ iudicia pro-  
ferre. Verum, utnam, iterum atq; utinam, quod à ciui-  
libus magistratibus pertinendum indicauimus, à  
doctrinæ professoribus non esset quoq; metuendum,  
ne quum Magistratu occasio sece offerat Theologū  
consulendi ( probis ac doctis maneat debita reueren-  
tia)

tia) accidat, ut cæco cæcum ducente ambo in foueam  
communi impulsu imperitia, siue malitia, præcipites  
labantur. Præterquam quod, quid insultius, quid ab-  
surdius, quid tandem periculosius, nedum audiri, sed  
cogitari potest, quam cum, qui de hominis uita, pro  
quo mortem Christus oppetiit, iudicium sit daturus,  
ex aliena sententia, non ex propriæ conscientiæ cer-  
titudine pendere? Ego uero, si me magistratum geren-  
te de hominis uita statuendum esset, omnesq; uniuersi-  
tæ Christianitatis Theologi in eo conuenirent, ut ho-  
minem mortis reum esse dicerent, conscientia autem  
mea mihi diuersum suaderet, neq; id mihi ex uerbo  
Dei compertum esset, & propria scientia liquidò cō-  
staret: alienæ sententiæ nunquam subscriberem. Si e-  
nim, etiam in minimis, quod non est ex fide peccatum  
est, quid erit de hominis uita iudicanda?

Adde quod in peccatis, quæ à depravata uolunta-  
te proueniunt, Magistratus per ignorantiam errare  
non potest: legem enim habet, ex qua eum latere non  
potest, homicidam, latronem, adulterum, diuina huma-  
naq; lege statuente mori debere: santisq; oris confes-  
sione de admisso facinore certior factus, eodemq; se  
deliquisse, pœnæq; à lege statutæ obnoxium esse non  
negante: tutò in eum iustum dat iudicium. At contrà  
in religionis negocio, neq; certam hæretici puniendi  
legem habet Magistratus, neq; hæretico existimante,  
constanterq; affirmante se de religione recte sentire,  
sua dogmata Orthodoxa esse, seq; in doctrina sua do-  
cenda, librisq; de ea edendis minime errasse assue-

### SECTIO TERTIA.

rante, omniaq; sanguinis sui effusione mira constan-  
tia testante, rataq; faciente: certus fieri potest eum a-  
licuius criminis sibi concium esse: Anò potius eiusdē  
in morte obeunda constantia (id quod aliās abundē sa-  
tis disseruimus) ipsius ignorationem manifestè com-  
mendat. Tutius ergo est in eiusmodi dubijs, tam gra-  
uibusq; causis, reum absoluere, quam innocentis con-  
demnandi periculam subire: seu saltem eius, quem (ut  
iam sit in eo culpa) malitia peccare nulla ratione aſſe

Luth. de subl.  
Mund. pot.  
pag. 16.

qui posſamus. Quod pulchrè recte q; Luth. quoq; ex-  
pliuit, quum dixit, tolerabilius eſſe primo modo er-  
rare & minus punire (duos enim errādi modos pro-  
posuerat) quam secundo, & grauius multare: quan-  
doquidem semper p̄flet nebulonem, & improbum  
uiuere permittere, quam probum interficere. Quod  
si tamen Ecclesiam ab hæreticorum insidijs tutam ser-  
uare, & ab eorum peste purgatam reddere uelint, a-  
lia non desunt citra mortem remedia, omni periculo  
uacua, que huic morbo medendo adhiberi posſunt.  
Nam & aduersarij ipſi illuſtris cuiusdam Theologi  
ſententiam ſecuti uarias hæresum ſpecies enumeran-  
tes, interq; grauiores, & leuiores diſtinguentes, eodē  
authore affirmare uidentur, leuius, aut grauius, qua-  
litatis earum habita rationē, uindicandas eſſe. Neque  
uerò ego hic diuitius immorabor in eis urgendis, ut  
hanc errorum, ac pœnarum diſtinctionem in hoc de-  
ictorum genere ab iþis conſtitutam, ex ueteris, aut  
noui foederis dictis mihi probent: parum enim ad in-  
ſtitutum nostrum referre cenſeo. Sed proſectio in Deit-

ter. 13.

ter. 13. distinctionem hanc non habent. Verum, ut si-  
si aliquantò hanc illorum ratiocinandi formā per-  
sequamur, is, inquit, qui noui falsi dogmatis author,  
aut ueteris innovator fuerit, grauius peccat, quam is,  
qui aliena fraude deceptus illud amplectitur. Multò  
grauius, qui falsam doctrinam editis libris, aut habi-  
tis concessionibus, publicisue disputationibus, eam per-  
uulgat, populoq; suadet. Quantoq; longior, ac du-  
rior fuerit erranium peruicax obstinatio, eo grauius  
peccatum fore, ac proinde grauiori dignum animad-  
uersione: cuius demum criminis grauitatem, articu-  
lorum qualitatibus metiuntur, in quibus erret hære-  
ticus: tum etiam eventibus maioris, minorisue mo-  
menti, qui ex ab eis sata hæresi consequantur. Qua-  
rum rerum cognitionem Magistratus prudentiae re-  
linquunt: asserentes, ut uarij sunt hæresis gradus, ita  
uarias quoq; multas, suppliciaq; esse debere. Erro-  
rem præfracte, ac pertinaciter retinentes, aliorū cor-  
ruptores, Ecclesiarum turbatores, imò uerius euerso-  
res, iure merito capitis supplicium subire: leuiora au-  
tem delicta, quæ monēdo, obiurgando, minitādo coēr-  
ceri possunt, ac rioribus pœnis castigari non debere.  
Est enim (inquiunt) modus in rebus, &c. sunt pecu-  
niarie multæ: non desunt carceres, & uincula, in  
que coniisci, ac detineri possunt, ne alios inficiāt: præ-  
sto sunt exilia, corporis cruciatus, mutilationes mem-  
brorum, quibus fontes puniri, & ne alios inficiant  
coērceri possint: ut interim ipsi seruentur, neq; om-  
nino perdantur. Ac demum concludunt, iudicis equi-  
tatem,

### SECTIO TERTIA.

tatem, prudentiam, eruditionem, rerum gerendarum usum, potissimum uero Dei timorem, ea fore, quae cunctis (ut vocant) perpensis. *Ac recte cognitis,* eum docebunt qua ratione in seductores vindicandum sit, et in seductis falsa dogmata corrigi extirpari; debeant: tum qua etiam simplici credulitate contraetio morbo sit medendum. *Hic iam primum considerare* decet aduersarios, iurisdictiones confundere. *Quae enim ad Ministros pertinent,* Magistratibus commendant: quos religionis caussam cognoscere, de heresi iudicare, eius gradus discernere, quae et quibus personis multanda, quae uero toleranda decernere posse constituunt. *Quod quidem quam debeat,* quo uero Ecclesiae emolumento fieri possit, *is recte quidem cognoscere* poterit, qui ea quae de principum, et Magistratum moribus, et institutis, deque eorum in religionis rebus eruditione superius diximus, diligenter considerabit. Sed ut ad eos spectet eiusmodi cognitione, quantum (o bone Deus) diuini timoris, quantum equitatis, et prudentiae, quantum humanarum diuinarii que legum scientie, ciuilis delectus, Christianaeque charitatis optandum est in eo iudice, qui tot differentias, tot distinctiones pernoscere, grauiora ac leuiora ponderare, potis sit, ut propria testante conscientia iudicium proferat Dei uoluntati consentaneum, et animae sue saluti conducibile? Id quod, si quae (ut supra notauimus) in probis eligendis Magistratibus occurserunt difficultates, iusta trutima examinabimus, raro eventurum par est existimare.

Sed,

## SECTIO TERTIA.

182

Sed, ut ad legis extensionem unde digressus fueram, reuertar, quum A con. authore docuerim, ne tamen quidem extensionem tutò fieri potuisse, si nihil interesse inter idololatræ, et hæretici caussam uideremus; quid fiat, quum tam multū interesse appareat, presertim quum, ut supra dictum fuit, in pœnibus ex iure reconsultorum mente extensionem fieri non deceat, etiam, ni fallor, ut ipsi loquuntur, ex identitate rationis. Quæ autem de hac lege non extendenda diximus, eadem de superioribus illis aduersus blasphemos, falsos uates & apostatas latas dicta esse uolumus, que certè non nisi per extensionem, & latam quandā interpretationem, ut iam uisum est, hæreticis accommodari possent.

Maneant ergo in uigore suo ueteres illæ leges ( si modo adhuc uigent: de quo mox uidebimus) contra blasphemos, falsos uates, apostatas, & idololatras: at contra hæreticos, ad quos non pertinet, uim suam non exerant. Nam eodem ad Galliam desolatam authore, quum Deus nec in ueteri neq; in nouo fœdere hæreticos occidi præceperit, legi q; suæ aliquid addi, aut ex ea minui non debeat: quum q; ex quæ animaduersus sit in eos, qui ea fecerint, que ipse non præcepit, atq; in illos, qui dicto eius audientes non fuerint, ab eorum nece omnino abstinenti cōtingat, iustum semper apud Deum habebit excusationem, si dicat, Mihi Domine, hoc mihi non imperasti. At contrà, si eos Deo non imperante occidat, quicquid boni illi cœniat,

### SECTIO TERTIA.

„ niat, semper à Deo iure merito obiurgari poterit, di-  
„ cente, Hoc à te nusquam fieri iussoram. Ad summam,  
Principes, si saperent, quum ad hæreticos necandos &  
Theologis solicitantur, responderent, ostendite nobis  
diuinā legem, ex qua hoc facere expresse iubeamur.  
Tunc enim omnes Theologi obmutescerent. Deus,  
quum de Regis officio cum Hebreis agit, ita fatur.

Deut.17.18. Quum acciderit, eum in solio Regni sui sedere, hanc  
sibi legē à sacerdotibus et Leuitis in libro exscribito,  
camq; apud se habeto, & legitio per omnem uitam  
suam, ut discat Iouam Deum suum uererri : circiq;, ut  
omnibus huius legis uerbis, atq; institutis pareat, ne  
que de disciplina ad dexteram, aut ad sinistram desle-  
at. Quare euigilandum uobis est, o Principes, ac re-  
ctè cum uobis ipsis quid agatis reputandum: neq; du-  
ctoribus uestris adeò fidendum, ut antequam gladio  
manus admoueat, ex Dei certissimo uerbo de eius  
uoluntate uobis non constet. Eo enim loco cœlis consti-  
tuti, ut exactissimam muneris uestri reddituri sitis ra-  
tionem. Neq; uero est ut effugium cogitetis, dicentes,  
Mosis tempore Deum de hæreticis nihil præcepisse,  
eo quod ea tempestate non essent heretici. Nam ego  
contrá, Deum in quo futurū optimè nouisse : ac præ-  
cepta dedisse, non solum præsentia, sed futura quoq;  
tempora sp̄ectālia. Imò uero futura magis, quam præ-  
sentia: quum dixerit, tradere se illis præcepta tunc de-  
num ab illis seruanda, quum in promissam terrā in-  
gressi essent. Mosis ætate Israelitæ Regem non habe-  
bant: ueluerat enim populo suo Regem inter eos im-  
perare.

perare. Veruntamen non ob id desstitut, quin documen-  
ta traderet futuris Regibus seruanda. Pari quoq; ra-  
tione leges sanctas, quibus in Sodomitas, eosq; qui cū  
bestijs rem haberent, tum in hariolos, ac pseudopro-  
phetas animaduersuri essent: quippe hominum gene-  
ra, quæ omnino tunc temporis in Israëlitis non repe-  
riebantur: neq; propterea Deus à legibus in eiusmo-  
di flagitiosos sanctiendis abstinuit. Deus enim perse-  
citus est, perfectasq; tradit leges. Quapropter ijs addi,  
& ex eis detrahi interdixit. Quocirca, quicunq; ad-  
dere, aut minuere audeat, aut ijs in rebus homini reli-  
gionem offerre, in quibus à Deo religio non injici-  
tur, Deo maiores, suisq; in operibus, ac præceptis p-  
fectiores se esse uelle ostendunt.

### MOSAIICAS LEGES ABROGA- TAS ESSE OSTENDITVR.

**A**T uerò, ut unico tandem istu hoc Mosaiicarum le-  
gum telum aduersarijs è manibus excutiamus: ut  
maximè (quod iterum negamus) illis hæreticus com-  
prehenderetur: quum tamen Christi lege oriente, Mo-  
saicæ omnes leges occiderint: antiquatas, ac penitus  
cum cæteris abrogata, esse, ac proinde Magistratum,  
nullo earum, aut aliarum obseruandarum nexus tene-  
ri constanter affirmamus. Hæc autem uera est, & ca-  
tholica sententia, ac orthodoxa doctrina: in quā qui-  
dem pī omnes, & eruditi doctores uno ore, ac mente  
consentiant. Præcipuum autem inter eos habemus  
Wolffgangum Musculum. Nam si quis librum suum

Loc.

### SECTIO TERTIA.

Musc. Loc. cō- Loc. comm. legat, perspicue intelliget, quām decēter,  
mu. ca. De ab- aequē ac doctē sacrē scripturē argumentis nixus, lo-  
rogatione le- cum hunc tractet, tandemq; hanc ueritatē disertē com-  
gis Mosaicæ. probet. Differens enim, ut lex uetus mandata, promis-  
siones, & figuræ contineat: utq; mandata omnia in  
iudicialia, ac cærimonialia diuidantur: tandem con-  
cludit, omnia per Euangelicam legem euauisse, ab  
eaq; prorsus antiquata esse. Ibiq; etiam tacite respon-  
dens obiectioni eorum, qui hac ratione uigente ab-  
surdum consequiturum inferrent: ut scilicet Decalo-  
gi etiam lex aboleretur: Musculus ipse talia obijcien-  
tes remittit ad explicationem ab se editam in quartum  
eiusdem Decalogi præceptum: locum etiam afferens  
Pauli ad Rom. Quæ omnia breuitati studens præter-  
eo, lectorem ad Musculi scripta reiçiens.

At Ioan. quoq; Calu. legum argumentum pertra-  
elans, quum iudicialis Mosaicæ legis abrogationem  
ostendere uellet, hæc est effatus. Nam quod iactatur à  
lib. 4. cap. 20. quibusdam fieri contumeliam legi Dei per Mosen la-  
tæ, quum abrogata illa, nouæ aliæ illi præferuntur, ua-  
sc. 16. nissimum est. Neq; enim aliæ illi præferuntur, dum ma-  
gis probantur, non simplici collatione, sed temporū,  
loci, gentis conditione, aut illa abrogatur, quæ nobis  
lata nunquam fuit. Siquidem non eam Dominus per  
manus Mosis tradidit, quæ in gentes omnes promul-  
garetur, & ubiq; uigeret: sed quum Iudaicam gentē  
in fidem patrocinium, clientelam suam suscepisset, il-  
li etiam peculiariter legislator esse uoluit, ac (quod sa-  
pientis legislatoris erat) singularē quandam eius  
rationē

rationem in ferendis legibus habuit.

Quid igitur aliud his uerbis sibi uoluit Doctor iste,  
quam grauiſſimam legum ſeueritatem, quas Hebreo  
populo per Mosen dedit, illi recte congruere, & ap-  
pofite conuenire? quippe genti, dure ceruicis, ad ido-  
lolatriam pronae, ad defectionem ſemper paratæ: &  
quam uerberibus in officio continerere oporteret. At  
minime uero populo Chrifiano Euangelicam legem  
adepto, nempe legem amoris, non metus, ſpiritus, no  
carnis, clementia, dulciſſimeq; ſpe plenam: qui qui-  
dem non pœnae formidine, ſed eterni gaudij ſpe coer-  
ceri, & in officio contineri debet: quiq; ſi deliquerit,  
mitioribus legibus corrigi debeat, quam Iudaicus po-  
pulus.

Ait idem Caluinus paullo ante dixerat, ſunt enim, Ibid. ſect. 14.  
qui recte compositam eſſe Remp. negent, que negle-  
ctis Moſe politicis, communibus gentium legibus re-  
gitur. Que ſententia, quam periculosa fit, & turbu-  
lenta, uiderint alij: mihi falsam eſſe ac ſtolidam demon.  
ſtraffe ſatis erit. Et paullo inferius, Quemadmodum Ibid. ſect. 15.  
ergo, ſalua, & incolumi pietate abrogari potuerunt  
ceremonie, ita & iudiciarijs his constitutionibus  
ſublatis perpetua charitatis officia & præcepta ma-  
nere poſſunt.

Ioan. quoq; Brentius huic ſententiæ adſtipulans, Brent. in Lue.  
Dicamus, inquit, & de politia Christianorum, quibus cap. 21. Hom.  
etſi non eſt obtrudenda lex Moſi post aduentum Chri poster. part. 38  
ſti abrogata, exigit tamen ab iphis fides, & charitas,  
ut unusquisq; pro ſua uirili conſeruet publica Eccle.

### SECTIO TERTIA.

„ siē ministeria, & succurrat in opie pauperum, & mā  
Id. ibid. serorum hominum. Et paulò inferius, consenserunt  
„ autem ad dandas decimas, nō propterea quod lex Mo-  
si exigit decimas ( hæc enim lex, quatenus est Mosaï-  
ca, nihil ad Christianos ) alioqui necesse haberemus  
„ circumcidere, sabbatum obseruare, & alia Mosaica fa-  
cere.

Lutherus quoq; de hac materia libellum scripsit,  
in quo meo quidem iudicio exactè ostendit qua ratio-  
ne legendus sit Moses, & quatenus se extendant ue-  
teris fœderis præcepta : & quomodo denum nouo  
succedente uetus cessauerit. Contra eorum scilicet  
sententiam, qui Mosen è tenebris, umbris, figurisq; e-  
ruere, & Christi loco in ueritate collocare satagunt.  
Id quod nil aliud est (ut quidam dixit) quam retroce-  
dere, præpostere docere, Moses in antiquam cathe-  
dram restituere, legibus abrogatis autoritatem nibi-  
lominus tribuere, & à promissionis terra in Babylo-  
niā, in desertum, in Aegyptum deniq; populum re-  
ducere, & à Christiana libertate sublatum, in Iudai-  
ca seruitute reponere: omniaq; ueterum Regum, quin  
& priuatorum hominum exempla Christianorū Ma-  
gistratibus imitanda proponere.

Haud igitur ad nos attinent Mosaicæ leges, mini-  
meq; nos obstringunt: id quod Lutherus in tractatu  
Luth. tract. de prædicto dilucidè ostendit, quum ait, Lex Mosaicæ ad Iu-  
leg. in Post. daeos pertinet, nos amplius non obstringit: propterea  
ma. 482. quod lex soli populo Israel data est: & Israel in eam  
„ pro se, suisq; posteris concepit. Genies ab ea exclusi-  
sunt.

## SECTIO TERTIA.

185

sunt. Nam tametsi gentes communes quasdam cum iudeis leges habent: ceu sunt, Vnum Deum esse, nemini iniuriam facere, non furari, non adulterari, non occidere, &c. tamen haec, & similia non de cœlo audierunt, quemadmodum Iudei: sed natura in animis insita, ac ueluti inscripta habent. Proinde totus hic locus ad gentes non pertinet. Hoc autem eò dico, ut retundantur insanii, & nuper exorti illi ~~τροπαρόλογοι~~. Nam passim iam cernimus quām legant Mosen, quantum illi tribuant, & afferant nobis quo pacto Moses populum certis preceptis moderatus fuerit: atque magnopere sapientes uideri, & amplius quiddam sapere uolunt, quām quod Euangelio continetur: ac fidem parui aestimant. Ceterum ipsi nouum quiddam tradunt: & prætendunt ex Veteri Testamento sic dici, populumque ad literam Mosaicæ legis regi, & gubernari debere contendunt: quasi uero à nemine ante uisa lectaque fuerit. Atque hoc ipsi nolumus. Hactenus ille. Sed priusquam ultra progrediamur: quoniam ab aduersariis excipi posset, abrogationem tantum de lege cærimoniali intelligi, quām ex ipsi antiquata esse fatentur, lectorem monitum uolumus, eos qui legem Mosaiicam prætendebant, ac proinde à Lutherio obiurgabantur, non de cærimoniali tantum, quam quidem nemo est in sacris literis mediocriter uersatus, qui antiquatam esse ignoret: uerum de tota lege generaliter intellexisse: ut Doctoris eiusdem uerba prosequentes dilucidè monstrabimus. Ipse enim ita pergit, Nolumus Mosen gubernatorem, neque legis-

### SECTIO TERTIA.

„ latorem. Imò nec ipse Deus uult. Moses enim aduocatus fuit duntaxat iudeorum & hisce legem tradidit.  
Atque hoc pacto aduersum eundum est istis factiosis spiritibus, qui dicunt, Hoc Moses ait. Nam ijs contrà respondendum est, Nihil ad nos Moses perunet: alioqui si unum ex mandatis Mosis aliquod recepero, totus iam Moses recipiendus erit. Et exinde fieret, ut, si Mo' en dictatorem recipierem circumcidendum quoque, & uestes ix iudeorum more lauandæ, similiq; usu edendum, bibendum q; & id genus reliqua nuge obseruande nobis forent. In quem medium nos Mosen non admittimus, aut obseruabimus. iam enim mortuus est, euq; imperium tunc sublatum est, quū Christus aduenisset, neq; eius nunc amplius usus est. Et inferius subdit, Nam Mosen pro doctore habebimus, pro legislatore non habebimus, nisi in his quæ cum Nouo Testamento conueniunt, & cum lege naturæ. Froinde satis clarum hoc est, Mosen legislatorem esse non gentium, sed iudeorum. Et paullò post, si quis igitur fuerit, qui tibi Mosen cum legibus suis obirudat, & ad sequendum, & obseruandum cum impellat, illi sic respondebis, Ad iudeos abeat cum Mose: te nulla in parte, cum Mose. Si in aliqua una parte (inquit Paulus) Mōdiciali lege re seruare me oporteat. At ne apex quidem est in Mose, qui ad nos pertineat.

Galat. 5.2. Si iudæum non esse: proinde, ne tibi negocium faceſſat nulla in parte, cum Mose. Si in aliqua una parte (inquit Paulus) Mōdiciali lege re seruare me oporteat. At ne apex quidem est in Mose, qui ad nos pertineat.

At enim inquiet, si igitur Mosaicæ leges penitus evanuerunt, nec amplius earum ullus usus est, moralia

lia præcepta obseruare non tenemur: nam et quoq;  
in Mosaicis legibus censemur. Ad hoc, præterquam  
quod Musculus loco supra citato diserte respondeat,  
ipse quoq; Luth. occurrit dicens, Quid igitur? Moses  
præcepit unum Deum esse colendum, et huic fidere,  
et credere omnia, non iurare per illius nomen, pa-  
rentes honore prosequi, non occidere, non furari, no  
adulterari, non mentiri testimonium, non aliena appre  
tere. Etiam nunc ista non sunt obseruandas ibi tu con  
trà responde, Naturam quoq; h. s. lege dictare. Na  
turam ita animis nostris injeruisse, ut Deum crede  
res, eunq; implorares. Id quod et Gentium monu  
menta indicant. Neq; enim horum quisquam fuit,  
qui Deos suos inuocarit: etiamsi à recto, et uero  
Deo aberrarunt.

Hic autem Luth. Paulum adducit, dicentem, Quū Rom. 2.14.  
Gentes quæ legem traditam non habent, scriptam ha-  
bent in cordibus suis: ac tandem ita concludit, Nam  
quicquid Deus de cœlo tradidit per Mosen, id etiam  
in cordibus omnium mortaliū inscripsit. Ac ita quidē  
obseruo ea præcepta, quæ Moses tradidit, non quia  
Moses ea præcepit, sed quod à natura indita mihi, et  
insita sunt, et Moses cum natura idem sentit. Demde Nota, Que  
omnia perstringens, inquit, sic igitur quæcunq; impe  
rata à Deo sunt, quæ ad leges attinet, ea Solos iudeos  
petunt. Et contra que in Euangeliō continentur, ea  
ad uniuersum orbem spectant, neq; aliquem exclu  
dunt.

Nam qui om  
nia dicit, nihil  
excludit.  
Nota et in  
Solos.

Consimili fortassis argumento agere instituerunt de

### SECTIO TERTIA.

lege iudiciali. Ita enim colligent, si iudicialis irrita facta est, ergo ciuilis gladius è Magistratus manibus excussus est: ut non iure possit amplius in facinorosos homines animaduertere. Sed hoc nos quidem negamus, neq; Lutherus infert. Quinimò affirmamus, quanuis iudicialis lex iisdem rationibus rescissa, resu xaq; esse dicatur, haud propterea è Magistratus manibus ciuilem gladium in facinorosos exercendum esse reuulsum. Id quod dupli ratione comprobatur. Primum, quia gladij potestas legis abrogatione non obstante à Deo tradita & confirmata est: ut Christus ipse ore proprio in Euangelio, tum præterea Apostolorum calamis in eorum epistolis testatur. Deinde, qui si Luth: rationem amplecti decet, eadem quoq; iudicialis lex non minus, quam moralis, inter naturæ leges censetur. Nulla enim natio tam barbara, rerum que imperita unquam exitit à condito orbe, que leges suas hominum scelera vindicantes non habuerit: alioqui eorum regna stare nequivissent. At iterū obijcunt, Si lex moralis, ut naturæ lex Luthero afferente, generali abrogatione non obstante, vim suam retinet, pari ratione iudicialis quoq; suam retinebit. Respondeo, iudicialem Mosis legem, ut Iudeis tantummodo traditam, unà cum cæteris antiquatam esse, neque ei obseruandæ Christianos esse obnoxios. At uero, quum in hominum mentibus natura sit insitū, redpendum unicuiq; quod suum est, tum & sontes iusta poena puniendos, Magistratui, quem Deus (ut diximus) hac potestate, non solum sub Mose instruxit, sed sub

## SECTIO TERTIA.

187

sub Christo confirmavit: facultas relinquitur leges suas condendi ad male facta vindicandas; quæ tamen à Christiani spiritu benignitate non abhorreant, quæ Mosaicas rigore non æquent, aut etiam (ut assolet) superent: quæ tandem eos capitali supplicio non afficiant, qui Euangelica lege à ciuili gladio vindicantur. Quanquā (quod attinet ad mortalē legem) equidem non opinor ego præcipuam esse rationem cur uigeat cæteris abrogatis, quod (ut Lutheru placet) naturæ sit lex: sed quod Christus legislator noster proprio ore non solum eam cōfirmauerit, sed exaciore eiam ac perfectiore nobis tradiderit.

Hic uero acutum aliquod, & perspicax ingenium insurgere video, ex nobis sciscitans, quem igitur frumentum Christiani capiant ex lege penitus rescissa, & irrita facta, ex ipso tandem Moze à nobis reiecto: et cur Ecclesiæ in eo legendō temporis iacturam faciant. At Id. ibid. Lutherus caussam defendet dicens, Tria in Mose sunt, " quæ spectari debent, & ob ea Mosen retineo, neque abieciunt, aut contemptum uolo. Primum ad præcepta attinet, quæ populo Israeli constituta sunt, & ea missa facio, neq; nos obstringunt, aut deuinciunt. Leges antiquatae sunt, & mortuae; nisi quatenus eas ultro accipimus. Ut si dicam, Moses ita regnauit, & mihi probatur: ita in hoc, aut in illo imitari eum placet. " Hic uero Luth. ualde sibi probari afferit, si Reges in ciuilibus institutis condendis Mosaicas constitutiones imitarentur: utputa in decimis statuendis, & bonoriæ uenditionibus. Ubilice enim tempore rescindebatur

### SECTIO TERTIA.

omnis uenditio, & unusquisq; uendor ad honorum suorum possessionem restituebatur. At de criminalibus (ut uocant) legibus imitandis *Lu*. ibi uerbū nullum affert.

„ Secundo loco (pergit ille) ex Mose petimus id quod „ à natura minime accepimus: hoc est promissiones Dei de Christo: & hoc potissimum omnium est: quod nō à natura mentibus hominum inscriptum, sed desuper de cœlo profectum est. Vbi Deus promisit filium suum mortale corpus assumpturum: & Euangeliū annunciatum iri: quæ, præcepta non sunt: sed potissim ma sunt quæ ex Mose ad nos pertinent. Ibi autē Luth. aliquot locos ex sacra scriptura adducit, in quibus à Deo nobis eiusmodi promissa facta sunt.

„ Tertio demum loco concludit, nos Mosen legere „ ob exempla fidei charitatis, & crucis, quæ præclara nobis proponuntur in Patribus, Adamo, Abele, Noa, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, & Mose, deinceps reliquias omnibus. Vnde discimus Deo fidere, in eoq; spē, & amorem ponere. Et contrà exempla impiorum: ex quibus cernimus, quām non soleat Deus impijs impietatem suam condonare, aut impunitam relinquerē. Velut in Cain, Ismael, Esau, & in toto orbe undique obruto, ac perduto: item in Sodoma, & Gomorrah cernimus. Atque hæc exempla necessaria nobis sunt.

Et paullò post hoc modo tandem perorat, dicens,  
„ Et propterea recte, & legitur, & intelligitur uetus  
„ Testamentum, si inde præclara dicta Prophetarum de  
„ Christo, & egregia uitæ exempla petamus. Ipsam au-

tem

tem legem, quatenus ultrò eam accipimus, & quousque uisum fuerit, sequamur.

Sedenim alio modo iam argumentari sentio, dicentem, At si in Mosaica lege imitanda meo arbitrio sum acturus, equidem hæreticum occidere in rem Ecclesiæ esse iudico, pro ut Moysi bonum est uisum conuittatorem, pseudoprophetam, apostatam & idololatram necare: si igitur in hoc cum imitabor, errare non potero. Arguiè sanè. Veruntamen aduerte mi frater: & preposteram hanc esse imitationē agno sce. Nam si ciuilis Magistratus, Mosen imitando eosdem facinorosos, quos ille morte plectendos statuit capitali supplicio afficerit, Mosen reclē imitabitur: at si leges extendens, & latè per analogiam interpretans, ad alios eas uiolenter pertrahat, toto cœlo errabit; callida enim, & calumniosa erit interpretatio, et ini tatio sua. Preterea, an ignoras Lutherum paullò ante dixisse, Mosen in ijs tantum doctorem habendum, que cum nono Testamento conueniunt, & cum lege naturæ? At hæreticum occidere, præterquam quod Euangelio aduersatur, cum naturæ lege minimè congruit. Ea enim, tametsi nos docet, homicidas, latrones, facinorososq; omnes merito supplicio afficiendos, at tamen in religione, Deiq; cultu falsa credentes, ac si dem suam mordicus retinentes, publiceq; profitentes, trucidandos esse non docet. Adde, quod ea imitatio, que circa hominis uitam necemq; uersatur, maxima postulat animaduersionem: neq; temerè eiusmodi con filia incunda uidentur. Si enim Mosen imitando, cun-

### SECTIO TERTIA.

Eli qui legibus suis necantur statim nobis necandi es-  
sent, quamplurimi, ut supra à nobis demonstratum est,  
necarentur, quorum sanguini parcior. De quo paulo  
post iterum uidebimus.

Ad hæc non desunt qui dicant, lege Mosaica quam  
uis generaliter abrogata, speciatim tamē, legem, quæ  
Deut. 13. habet in pseudoproph. apostatas, & sedu-  
ctores latā nihilominus suam uim retinuisse. Id quod  
ex ratione colligunt, quæ in ipsa lege expressa uide-  
tur. Hoc est, ut omnis Israel audiēs timeat: neq; post  
hoc quicquam admittat eiusmodi. Quam quidem ra-  
tionem perpetuò uigere dicunt, ex quo legem quoq;  
uigere contendunt. Ut quamuis lege rescissa, tam sit  
Magistratu*i* ius similem aliam condendi, quam ei ius  
est in homicidas, latrones, ceterosq; flagitiosos homi-  
nes leges condere. Ad hoc plurifariam respondetur.  
Primum enim Christi uerbis in zizaniorum similitu-  
dine, & Pauli præcepto, de heretico Dei iudicio ser-  
uando (ut prima sectione assalim ostendimus) dubium  
hoc satis superq; solutum esse apparet: nihil autem est  
quod in veteri lege queramus ea de re, de qua per no-  
uam decretum atq; statutum uidemus. Atq; hoc, inge-  
nrio, quod ueritati magis, quam contentioni studeat, sa-  
tis fore censemus. Illud tamen addam, quod si absolute  
uerum esset, ubi eadem uiget ratio, eandem quoq; le-  
gem perpetuò uigere, sabbati dici obseruando adhuc  
obstringeremur. Viget enim adhuc eadem ratio, ob  
quam Deus sabbati obseruationem Iudeis imperauit.  
Et est, quia Deus ea die Mundi creationi finem impo-  
nens,

nens, à cunctis suis operibus quieuit. An putas huius rei nolle Deum perpetuam haberi memoriam? Sed aliae quoq; leges possent afferri, quas breuitatis causa omittimus: quarum condendarum adhuc uiget ratio, & nihilominus excoleuit obseruatio. Præterea legis condenda ratio dicitur fuisse, ut omnis Israël audiat, & timeat: at nos non sumus Israël ille, cui data est lex illa. Audiant ergo, & timeant Iudei, Israëlis populus. Lex enim, Musculo, Calumo, & Lutherio testibus, ad nos non pertinet: Christiani enim sumus, non Iudei, à Gentibus, non ab illis oriundi. Si ergo ea ratione lex uiget, quibus data est uigeat. Non igitur dicendum est, legem cum cæteris antiquatam ea ratione vim suam retinuisse. At leges ille, symbola, & figuræ fuere rerum, quæ in nouo Christi Regno successerunt. Hinc Andr. Althm. eruditus ac pius Do- Andr. Althm.  
ctor, (ut supra obiter attigimus) ostendit quemadmo- loc.com.p.131.  
dum Iudeorum Regnum carneum regnum fuit, car-  
neus populus, carnalia habens sacrificia: omniaq; tan-  
dem corporea, & externa: que tanquam umbræ, ac  
figuræ, bonorumq; spiritualium similitudines spiri-  
tualis Christiani populi typum gererent. Quapropter  
arma quoq; carnalia habebat, quibus pseudoprophe-  
tas corporea morte punire decuit: que fuit æterni ani-  
me interitus figura, & umbra. In hanc sententiam  
Acont. quoque quorundam coniecluram affert, nec Acon.lib.3.  
inceptam iudicat putantium legem illam Mosaicam in  
nouo fœdere locum non habere, quæ est huiusmodi, si  
raelitarum populum Christiani pop. typum esse: ha-  
bere  
¶

### SECTIO TERTIA.

„ bereq; promissiones rerum sub sensu cadentiū , qua-  
rum hac in iusta esset usus; talia haberent sacrificia ta-  
lia deniq; omnia: quæ tamen , res insimiles ad æter-  
namq; uiam pertinentes significarent. Quod quan-  
ita sit, et pœnam illam corporalem æternæ damna-  
tionis typum fuisse , et propterea legem illam cum  
cæteris omnibus ad futuram rerum significationem  
lati, Domini aduentu cessasse.

Sicut igitur lex Mosaica umbris , et figuris (ut  
Cyril.in Ioan. ait Cyrillus) obuoluta tenebatur, sic contrâ Christi re-  
gnum quibusq; regiunt leges, cœlestè totum est, et spi-  
rituale. Quanobrem spiritualia habet sacrificia, spi-  
ritualia arma. Proinde spiritualis gladius, non carna-  
lis, ad coercendos , ac puniendos huius regni hostes,  
Christianos homines decet. Israelite contra Amor-  
rheos, Cananæos & Iebusæos ferreis telis decerta-  
runt. Id quod (ut sup. ex Veshmero ostendimus) belli  
typus fuit, quod Christiani cum Satana, et angelis e-  
ius continenter gerunt. Satan spiritus est : spirituales  
quoq; vires, et calliditates eius. Quapropter spiritu-  
tus armis rem secum peragi conuenit. Si enim ferreis  
agis, magis eum irriabis: et nedum eum uncas, ro-  
bustiorem reddes. In Iesaiæ legimus, Impium (qui An-  
tichristus est, diaboli præcipuum membrum) spiritu-  
oris Domini, non ferreo gladio necatum iri. Id quod  
Paulus quoq; assuerat. Modò si summi Dei institutum  
ac uoluntas est, tantum hostem, malorum omnium, que  
ab hinc annos mille Ecclesiam corruperunt certissi-  
mum, atq; unicum fabricatorem, Dei glorie raptor-  
em,

Iesa. 2.

2.Thess. 2.6.

## SECTIO TERTIA.

190

rem, quod cuius uice se adorari uelit; omnis nouæ idolatriæ inuentorem; cuius infamis Ecclesia ab illistrī quodam poēta; Errorum schola, ac hæreses tem Franc. Petr. plum ueraci oraculo nuncupatur, uerbi sui gladio nō carnali, confici, ac necari debere; quanto magis eodē gladio, non ferreo aduersus eos dimicare decet, qui circa aliquem fidei articulum à recto doctrinæ tramine aberrantes, ne minimum quidem scelerati Antichristi partem adequant?

Sed, ut ad rem reuertar, non est cur aduersarij antiquatarum, ac penitus resciſſarum legum authoritate mortis supplicium in hæreticum decernat. Quæ si præcise, & exactè obſeruandæ forent, horribile nondum dictu, sed cogitatu est, quam ex earum obſeruatione miserabiles euentus sequuturi effent. Id quod facile percipiet quicunque uerba, quæ ex cap. illo 13. Deut. 16.6. Deu. supra attulimus perlegere uelit, &c. Nam si Moſaice legi obſeruandæ obſtringeremur, eaq; hæreticum comprehendenderet frater hæreticum fratrem, Pater natum, & filiam hæreticos, uir uxorem, alter amicorum alterum interficere teneretur: & quam primū hæresi infecti à nobis deprehenderentur, nostræ partes effent eos è domo lapidibus eiſcere, populoq; ad miseram, dedecorisq; plenam necem obijcere. Ita enim præcise sonant sacræ legis uerba.

Sed horribiliora multò ea effent, quæ ex lege in eiusdem capituli calce descripta sequerentur, si ad eam seruandam obſtringeremur. Nam, Si audieritis (inquit lex) in aliquo uestrorum oppidorum, quæ uobis

Ioua

### SECTIO TERTIA.

» Ioua Deus uester ad habitandum dederit, extare ali-  
» quos ex uobis perdiuus homines, qui suos incitent ci-  
ues ad colendum Deos alienos, et obis ignotos, in-  
quiritote perscrutamini, sciscitamini diligenter. Quod  
si rem ueram, atq; certam, et scelus apud uos commis-  
sum deprehenderitis, illius oppidi habitatores ferro  
trucidatoe: et oppidum, et oppidana omnia, ipsaq;  
adeo pecora ferro corrumpitote: omniq; preda in  
medium cius forum congesta, oppidum una cum uni-  
uersa eius preda Ioue Deo uestro prorsum comburi-  
tote: et sit tumulus sempiternus. Neque quicquam  
de illa deuotione manibus uestris inhæreto: ut Ioua  
ire suæ feruore cohibito misericordiam uobis tri-  
buat: et uos, quemadmodum maioribus uestris iur-  
uit, augeat.

Considera quæso, pie Lector, quā præ se ferat hor-  
ribilem sœ uitiam lex ista. Homines omnes trucidari,  
pecora cūcta interfici, publica priuataq; ædificia de-  
moliri, omnia demum igni ferroq; corrumpi: ex uni-  
uersa preda nihil quicquam potiri, nec possidere fas  
esse. At (quod etiam horribilis est dictu, omnemq; ri-  
goris modum exceedere uidetur) non fontes tantum,  
sed insontes unā pari suppicio ad unum extingui: in-  
genuos senes, tenellas foeminas, simplices pueros, in-  
fantes tandem ulli nocere nescios. Quæ quidem om-  
nia miserabili spectaculo euenire oportet oppido illi,  
in quo, non solum nullæ, centum, aut decem idolola-  
træ, siue aduersariorum interpretatione hæretici re-  
periantur: sed ubi etiam aliquos, quod de multo pau-  
cioribus

## SECTIO TERTIA.

191

cioribus intelligi posset) reperiri contingere: itaque  
multa innocentium millia cum paucis improbis ex-  
tinguerentur. Sed se pono sūros puto, se legis partem,  
non totā exequi uelle, & posse. Ego uero ex eis que-  
ro, quis ea authoritate eos ornauit, eoq; priuilegio, ac  
munere donauit, ut legem Dei scindere possint, eius-  
que parte omissa, eam tantum seruare, quae opinioni  
sue suffragari uideatur? Nonne hoc est, ut quidam di-  
xit, cum diuina lege quasi pila ludere, siue potius ei il-  
ludere? Nonne Deus disertè dixit uerbo suo nihil ad-  
di, nihil ex eo detrahi debere? Sed hoc Dei edictum,  
quod etiam supra obiter attigimus, inferius commo-  
diorem nacti occasionē, latissimē explicabimus. Inte-  
rim uero aliud in Mosaica lege considerandum ac-  
currit, ex quo ad eam seruandam Magistratum nō te-  
neri manifeste percipitur. Id autem est, quod in ueteri  
lege idololatre, pseudoprophetae, conuiciatores de-  
niq; in suis erroribus deprehensi, ac propterea mor-  
te damnati, tametsi resipiscerent, peccatum fateren-  
tur, pœnitentiam ostenderent, supplicium tamen euad-  
dere non poterant: sed damnatos pœnam sequi opor-  
tebat, ut lapidibus necarentur. At uero non ita de hæ-  
retico statuunt eorum interfectores: nam resipisen-  
tiam post sèpius etiam repetitam admonitionem o-  
stendentes, aut simulantes, errata confitentes, palino-  
diam canentes iudicio absoluunt: eaq; ratione legem  
scidentes, ad eam seruandam non teneri se credere  
tacite ostendunt. Hæc autem ea sunt, ob que omnino  
iam statuimus Bucerum, afferentem, ciuilem potesta-

tem

### SECTIO TERTIA.

tem in crimina omnia animaduertere posse, in quæ Mosaici Magistratus olim animaduertebant, quū sp̄ciatim de criminibus ad religionem spectantibus uerba facit, capitum supplicium ideo retinuisse, quod crederet antiquas leges illas, aut ad hereticum non pertinere, aut non eodem animaduersionis modo crimina omnia hodie uindicanda esse, atq; sub lege olim uindicabantur. Hoc autem & superius secunda sectione dicimus: & hoc loco nos latius explicatueros recepiimus.

Deut. 21.19,

Iam uero ( ut ad legum abolitionem reuertamur) eiusdem libri cap. 21. habemus, filium contumacem ac rebellem, immorigerum, & patris dicto non audientem lapidibus necandum. Quod hodie non seruatur.

Ibid. 22.14.

Cap. 22. Sanctum est, Puellam, cum qua maritus duela congressus, uirginalia habere non inuenierit, lapidibus itidem obruendam. Id quod penitus excoleuit.

Leuit. 20.18.

In Leuitico legem habemus, Eum qui scienter cum menstruali fœmina concubuerit, unā cum ea de suorum numero tollendum: neq; hoc hodie seruatur. Quod tamen si fieret, maximum esset barbaræ crudelitatis exemplum. Hæc autem tria exempla tametsi superius obiter attigimus, hoc tamen loco repetenda uidebantur.

Num. 35.19. &

27.

Præterea in Num. homicida, sanguinis uindici ad necem traditur. Cur igitur lex ista potius abrogata est, quam Deut. & Exod. ille, quas contra hereticos adhuc uigere censent?

Sed ut ciuilium etiam, quemadmodum criminalium legum

## SECTIO TERTIA.

192

legum exempla aliqua afferamus; Deus Mosis ore le- Leuit. 25. 13. ♦  
 gem promulgavit, ne terra in perpetuum uendere-  
 tur. Sed libilis auctio in suam cuiq; possessionem post-  
 Liminium esset. Cur igitur ex Mosaicis legibus hæc  
 potius abrogata est, quam quæ illorum iudicio hære-  
 ticos ad necem condemnant?

Insuper, mandauerat Deus, ne terræ messem facien Ibid. 19. 9. &  
 tes fundi crepidinem demeterent, neue spicilegium fa 23. 22. & Deut.  
 cerent, neu relietas uinas relegendo, uineas racema- 24. 19. 21.  
 rent; sed ea pauperibus, & peregrinis relinquenter.  
 Hoc uero hodie non probatur. In eoq; legem refixa  
 esse libenter fatemur.

Quo igitur oestro, quo furore perciti agimur, ut  
 tot in rebus legem rescissam censeamus, solum autem  
 in miseros hæreticos spicula sua non adhuc retusa ia-  
 culari existimemus: in modo longè quoq; acutiora, quan-  
 do quæ hæretico irrogantur poenæ eas atrocitate su-  
 perant, quæ aduersus idololatras, apostatas, & conui-  
 ciatores Moses ipse sanciuit. At enim ex ijsdem ipsis,  
 qui libros de hæreticis occidendis scripsere, quiq; o-  
 mni adhibita cura, ac solertia, omnia ab orbe condi-  
 to ad nostra tempora, ut sententiam suam probarent,  
 perquisueré, non desunt qui fassi fuerint, Christianos  
 Mosaicis seruandis legibus non teneri. Quæ quidem  
 leges si adhuc uigerent, haud quam Regibus reli-  
 qua esset facultas alias condendi, sed Mosaicis, tum  
 criminalibus, tum ciuilibus obseruandis obstringe-  
 rentur. Quod quidem falsum est. Nam Magistratus al-  
 ias condere potest: modo ne Scythica barbarie Mo-

### SECTIO TERTIA.

Saicas etiam severitate superent: ijsq; in cuncta ea critica animaduertere, in quæ Mosis leges animaduertebant, & à quibus plectendis speculi uerbi Dei mandato non prohibeantur.

At uero quoniam ad exempla à nobis superius alata earum legum, quas nisi Mosis leges abrogatæ essent, à Magistratu seruari oportere ostendimus: sunt qui respondeant, non penitus abrogatas esse, sed quatenus Magistratus ad eas præcisè seruandas non tenetur, uerum, locorum, temporum, populorumq; naturæ habita ratione, tum integris, tum mulieratis, eum pro suo arbitrio uti posse: primum respondeo distinctionem hanc mihi non probari, nisi ab eis uerbo Dei comprobetur. Tum deinde addo, Deum ueteri fœdere legibus suis præcisè seruandis populum suum obstrinxisse. Moses enim (quod sapientius diximus) inquit,

Deut.4.2.

„ Ne quid additote ad id, quod ego uobis præcipio, neque quicquam de eo detrahitote.

Sed enim hic obijciunt, non de iudicali lege, uerum de morali hoc intelligi oportere, cui non est, hominibus facultas addere aliquid, aut minuere. Sed hic quoq; eorum onus esset hanc distinctionem probare: sicuti nos contrà diuersum probabimus. Nam idem Moses eodem capite, quum prædicta uerba pronun-

Vers.5. ciasset, paullò post subdit, Scitote me docere uos insti-

„ tuta, & iudicia, quomodo mihi Ioua Deus meus precepit, ut his pareatis, &c. Sed clarius inferius, quum

Vers.8. inquit, Quæ tanta gens est, quæ tam iusta instituta, &

„ iudicia habeat, quam est haec tota lex, quam ego uobis

bodie

## SECTIO TERTIA.

193

bodie propono? Et inferius, Et mihi præcepit Ioua eo Vers. 14.  
tempore, ut uos instituta, et iudicia docerem, quæ obi-  
retis in terra, cuius in possessionem essetis migraturi. " "  
Et ad finem cap. Hæc ergo lex est quæ proposuit Mo-  
ses Israelitis, Hæc sunt oracula, instituta, et iudicia, " "  
que Moses Israelitis ex Aegypto egressis eloquutus Vers. 45.  
est. Quibus in locis aperte perspicitur, instituta, et  
iudicia non moralem tantum legem, sed iudicialem  
quoq; intelligi oportere: quapropter ea quoq; sub  
eodem præcepto cadunt, nihil uel addendi uel minuen-  
di. Veruntamen multò clarius confirmatur sententia  
nostra in initio capitilis subsequentis: ubi Moses con-  
uocato populo ad hunc modum uerba facit, Audite Is Deut 5.7.  
raelite instituta, et iudicia, quæ ego hodie in uestris  
auribus eloquor, discenda uobis, ac diligenter exe. " "  
quenda. Et ad finem scriptum est, Curate igitur, ut ita Ibid. vers. 38.  
Ioue Dei uestri iussis obtemperetis, ut nec ad dexterā " "  
nec ad sinistrā deflectatis. Sed quæ nam ea die popu- " "  
lo proposuit Moses obseruanda, quibus addere, aut  
de eis detrahere fas non esset? Forsan moralia dunta-  
xat, et cæmonialia? Legat, si quis ambigit, concio-  
nem totam, quam Moses ad populum eodem die ha-  
buit: et aperte uidebit, ut ille Decalogi lege repetita,  
foedere cum gentibus prohibito, postquam eorum si-  
mulacra frangenda, altaria dirimēda, lucos succiden-  
dos præceperat, in calce capitilis 12. hæc iterum uerba  
inculcat, Quicquid ego uobis præcipio curatote, ut Ibid. cap. 10. 37.  
id faciatis: neq; quicquam huic uel addatis, uel detra- " "  
hatis: statimq; sequenti capite in pseudoprophetam,

### SECTIO TERTIA.

• Ibid. 13.1. idololatram, & apostamatam capitalem legem promulgat: qua idololatrarum quoq; oppida funditus delerit p̄cipit. Quis igitur stolidus ambigat, quas leges Moses uno, & eodem die, eademq; concione promulgat, in qua die, & concione p̄fatus est institutis, & iudicijs, que daturus esset, nihil addi, aut minui debere (quod etiam decies inculauerat) eodem decreto contineri: adeò ut in eis exequendis Magistratus nec ad dexteram, neq; ad sinistram flecti, sed p̄cise eas obseruare debeat, nisi omnes uno ielu rescisse fuerint?

Rom. 13. 4. Sed iterum Pauli locum urgebunt, Magistratum non sine caussa gladium gestare: quippe quum sit Dei minister ad irrogandas poenas ijs qui male faciunt. Quocirca querūt, an hæretici opera sint mala: quod si concedatur, ita colligūt: si Magistratus gladiū sine caussa non gestat, sed in mala facientes eum uibrare debet, ergo hæretici tanquā mala facientes Magistratus gladio puniri debent. Mala autem esse hæreticorum opera, inquiunt, negari non potest. Peruersus enim hæreticus, de quo inter nos discepitur, non solum animo peccat, falsa de religione credendo, sed in impia quoq; facimora prorumpit, necum falsam fidem p̄dicando, editisq; libris adulterinam suam doctrinam promulgando, eaq; ratione publ. pacem, ac tranquillitatem perturbando. Scitē quidem, ac peracutē. Verū iam satis ample superius demonstrauimus, eismodi hæretici delicta, tametsi mala opera esse non negamus;

## SECTIO TERTIA.

194

negamus: ex eis non censeri, quæ ciuili gladio coérce-  
ri debeant, sed spirituali obnoxia esse. Id quod, præ-  
terquam quòd Confu*st*uerbis patet per malarum her-  
barum metaphoram, Pauli ipsius uerbis disertè pro-  
batur. Secum enim rectâ Apost. pugnaret, n̄isi h̄ereti-  
cī ab ea lege exciperentur. Idem enim ille, qui di-  
xit, Magistratum gladio instructum esse ad irrogan-  
das poenas ijs qui malè faciunt, alibi dixit, h̄eretico es  
se parcendum, & ad resipiscientiam seruandum, si un-  
quam uolente Deo ad frugem rediret, & ex diaboli  
laqueis euaderet. Neq; uero alia ratione conciliari  
possunt loca ista inter se dissidentia, adeò, ut Magistra-  
tus facinorosos morte puniat, & h̄eretici ad resipi-  
scientiam seruentur, n̄isi iusta ratione eos ex lege exci-  
pias: ut manifestè Christus exceptit, sibiq; messis tem-  
pore iudicandos seruauit. Quum igitur Paulus h̄ere-  
tici anime rationem habendam præcipiat, & non i-  
tem mala patrantium, cum ipsis interrogandum relin-  
quo, qua ratione sic inter eos distinxerit. Neq; alias ul-  
las eum allaturū puto, præter eas, quas supra nos ad-  
duximus: addita tamen ea, quam mox afferemus, &  
quam omnium præcipiam esse censemus.

Sed alio adhuc Paulino loco sententiam suam fir-  
mare contendunt, si quis enim h̄ereticos malos esse  
negauerit, interrogant, cur Paulus eos abscondi cu-  
piat. Nos uero malos esse non negamus. Sed illud  
Abscondi, ab hominibus necari non interpretamur,  
ut uelle uidentur aduersarij, at diuina ope, atq; consi-  
lio ab Ecclesia aliqua ratione penitus separari: atque

### SECTIO TERTIA.

ita interpretantur pleriq; hunc locum Ecclesiastici  
scriptores. Alioqui locus iste non minus quam super-  
rior cum alio pugnaret.

Vt autem tandem manifestè appareat cur hereti-  
cis, quanquam in malefacta, quæ supra recensuimus  
prorumpentibus, sit parcendum, licet facinorosi ciui-  
li gladio sint puniendi, sciendum est, ex duobus huma-  
ni animi fontibus oriri cuncta hominum externa ma-  
lefacta. Quædam enim eorum, ut prima sectione obi-  
ter attigimus, à depravato intellectu (mentem, Latine  
dixeris, sed quia aliquando mens pro ipsa uoluntate  
accipiunt, nostratum Philosophorum uocabulo uti  
maluimus, originem trahunt, atq; scaturiunt, quædā  
uerò à depravata uoluntate. A depravato intellectu  
emanantia gladij multæ obnoxia non esse nemo sa-  
ue sanum ac mente captum hominem nō necabit, qui  
facinus ex lege capite plectendum admiserit, eò quod  
se errare non cognoscit: pari ratione stultum, ac de-  
mentem hereticum, qui doctrinæ suæ falsitatem non  
agnoscit, sed recte se sentire persuasum habet, morte  
multari nullo modo decet. Cuius insanæ uecordie mi-  
serius Deus, in eum severè animaduerti prohibuit, e-  
ius amentiam tolerari precepit, in extrellum iudici-  
um causæ cognitionem reiecit, at cōtrà impurus adul-  
ter, sœus homicida, cæteriq; flagitiosi eius generis  
homines, quorum mala opera à depravata uoluntate  
proueniunt, ac uolentes prudentesq; peccant (hoc e-  
nim quis negabit?) iure merito capitali supplicio affi-  
ciuntur.

ciuntur. Hi autem si resipiscant, errorem fateantur, pœnitentiam ostendant, nihilominus tamen interficiuntur: hereticuero errorem fatenti, ad frugem redunti, malam doctrinā detestanti, bonam amplectenti, condonantur errata. & tandem iudicio absoluuntur. Hoc autem nulla (ut puto) alia de causa, quam quod ignorans peccauerit: Quod si ulla ratione fieri possit, ut crimen eius à depravata uoluntate emersisse certò, omniq; amoto dubio, non ex leuibus indicijs & conjecturis perciperetur, eadem ratione qua resipiscerent, ac pœnitentem facinorosum nihilominus multandum esse dici posset. Hæc autem uera, certa ac solida ratio est, cui(ni fallor) refragari nemo potest, cur non liceat hæreticum supplicio afficere. Humane enim uoluntatis basi omnis poena innititur, suaque in illa fundamenta habet, quæ quidem non Christianis tantum Theologis, uerum mundanis ipsis Philosophis de moribus, moraliq; uirtute differentibus fons ille est, è quo boni, maliq; præmij, ac pœnæ differentia scaturire ortumq; habere omnino creditur. Bonū enim non est, adeoq; & præmio dignum, neq; malū & ideo pœnæ obnoxium illud, quod ex liberæ uoluntatis fonte manare non cernas: ea enim est, quæ uitium uitium, uirtutem uirtutem facit, illud poena, hanc uero præmio dignam constituit. Libera autem uoluntas dici non potest eius, qui errat, & id quod turpe, pratum, iniquum est, honestum, rectum, iustum esse putat, imò in eo eligendo ne uoluntas quidem. Quamuis enim rem ipsam uelit, quatenus tamen turpis, uel pra-

## SECTIO TERTIA.

na, uel iniqua est, unde eligentis culpa, quæ uituperatione, & poena dignasit, uniuersa dependet, certè nō uult. Si medicus ægrotō, dum salutē se illi medicamentum dare credit, uenenum exhibeat, quis eum ueneficum appelleat, uel illi uenenum exhibere uoluisse dicat? Quæ igitur malefacta non à deprauata uoluntate, sed à deprauato intellectu prouenient, ea quidem non puniuntur, sed tantummodo coercentur. quemadmodum si furiosus homo alios interficeret, seu quis modo læderet, is profectò non necaretur nec puniatur, sed coercetur solum, & cohiberetur, satis enim suo ipsius furore punitur. Quod si furioso & mente capto, quoniam peccatum suum non agnoscit, uenia datur, licet aduersus expressa legis uerba deliquerit, quanto magis hæretico parcendum est, qui nō solum nullius sibi culpæ conscius est, sed neq; etiam contra ullam expressam legem, cui subjici iure possit, aliquid commisit? Neq; enim uel alicuius Ecclesie, uel etiam omnium simul, ut supra uisum est, uel ullius principis placita, & edicta, Christianus homo in rebus, ad religionem & æternam salutem pertinentibus, tanquam leges sibi positas agnoscere tenetur, neque illis aliqua ratione subjicitur, nisi quatenus à Dei uerbo canon dissentire persuasus sit, adeò ut non illa sed tantummodo diuinum uerbum sibi legem esse planè statuere videatur. Quod nec iij quidem, qui hæreticos maxime insectantur, negare audent: de nostris loquor, qui cum ab Ecclesia Romana, atq; ab eius auctoritate, quæ iam ante septingentos annos totum occidentem

cidentem occupauerat, et ab orientalibus quoq; Ec-  
clesiis penitus defecerint, diuersaque prorsus dogmata  
amplici fuerint. Solam Ecclesiæ autoritatem hære-  
ticis obijcere adhuc subuerentur; licet paullatim ad  
hanc tyrannidem et ipsi sibi uiam sternere satagant,  
sed simplici uerbo Dei se aduersus eos pugnare pro-  
fitentur, in quo tamen nihil unquam eorum, quæ hæ-  
retici uel negant, uel affirmant, expresse adeò dictū,  
sive negatum reperies, ut aliquam saltem, non omni-  
no iniustum sive ignorantiae cauſam habuisse vide-  
antur. Veruntamen ut ad propositum reveriorum, ca-  
sus interdum dari potest, ut facinus à deprauato intellectu  
prognatum undicta dignum iure habeatur, tunc  
scilicet cum eiusmodi intellectus deprauatio, in homi-  
ne propria ipsius culpa, corrupta uidelicet prius ac  
deprauata eius uoluntate prouenerit, utputa si ebrius  
homo mentis inops ac demens factus hominem occi-  
dat: quod quidem facinus tametsi prudens sciens non  
admittit, iure tamen plectitur: nam dementiae sive ipse  
sibi uolens cauſam dedit, à qua postmodum facinus  
emanauit. Præterea si quispiam prava duclus uolunta-  
te, latrocinijs, alijsque uitio poenæ obnoxio ita assuef-  
ret, ut habitu paullatim longo usu contracio eò deue-  
niret, ut deprauato intellectu, uitium pro uitio nō am-  
plius agnosceret, sibiq; omnia licere arbitrarecetur,  
tunc intellectus deprauatio à deprauata uoluntate pro-  
gnata cum à supplicio non assereret. Huiusmodi uero  
casum in hæretici intellectus deprauatione, hæretici  
in quam de quo agimus, dari non posse crediderim.

### SECTIO TERTIA.

Hoc argumentum in postrema acie nostræ parte  
quasi inter triarios eò locauimus, quòd compertum  
nobis certum q; sit, quando cauſa, d. Quia inter nos cō  
trouersatur ex uerbo Dei luculenter dirempta non es  
set, eo solo id ipsum, quod tantopere meritò contendim  
us, satis eum ei posse. Hoc autem uerissimum esse  
uel inde omnibus constare potest. quòd aduersarij bu  
ius argumenti vim iacitè perpendentes, manibus, pe  
dibusq; ut dici solet, nutuntur probare, hæreticos om  
nino ex depravata uoluntate, & malitiosè peccare,  
uel saltem ex affectata quadam ignorantia, & porro  
cuius ipsi sibi authores sint. Quod quām longè à ueri  
tate abhorreat, satis, superq; p ea quæ superius, pre  
sertim uero prima sectione, & hac tertia in blasphem  
iæ crimen, quod hæretico ascribunt, examinando,  
à nobis dicta sunt, demonstratum esse confidimus.

Non igitur extera hæretici facta inter ea censem  
tur, quæ à Magistratu uindicanda non negamus. Ex  
terna autem hæretici facta ea omnia appello, quæ ab  
ipso quidem, sed ut hæretico prouenire possunt. Nam  
quis tam stupidus est, quin sciat simplicem fidem, pu  
rumq; male credendi actum, si in mente lateat, neque  
per aliquid externum factum palam fiat, nec castiga  
ri, neq; condemnari posse? Oportet igitur ut quæstio  
ni nostræ sit locus per extera signa, & facta, uel per  
oris saltem confessionem hæretici mentem patefieri.  
Ex factis uero, que ab eo qui hæreticus sit, non solum  
ut hæretico, sed quomodo cunq; prodire possunt quæ  
gladio obnoxia sint, que uero secus, cum superius  
Brentio

Brentio authore declarauimus, tum postremo hoc nostro argumento dilucidè magis docuisse uidemur. At uero Papistæ, eis qui sunt, qui eos imitandos censem, non ea tantum externa heretici facta, ab eorum corrupta mente ortum habentia: docere scilicet, monentibus resistere, errorum defendere, concionari, scribere (quæ nos tamen coercenda, non punienda censemus) uerum simplicem oris quoq; confessionē morte uindicandam esse arbitriatur: eosq; hereticos comburendos, qui fidem tantum suam confessi eam detestari recusant. Ex quo haud obscurè ostendunt, se nō malefacta, sed opinionem pupire: nam si facta punirent, hereticum, qui opinioni externa facta non addidisset absolucent, cum autem, qui addidisset, tameis falsam fidem ore detestaretur, nihilominus punirent, in eius praeu facta uindicarent, sed eum iudicio absoluentes, ostendunt uictoria se contentos esse: nihil curantes an hereticus uerè resipuerit, an potius suppicio deterritus resipuisse simulauerit, id quod ut plurimum contingit. Quocirca, operæ preium est considerare, quam eoru leges Mosaicis rigore, ac severitate praestent. Quandoquidem Mosis leges fecuti, cum lapidis non cedunt, neque aliter necant, uel puniunt, qui moechandi, siue alios mactandi cupidime flagravit, sed qui in externum actum eruperit, itaneq; etiam in eum animadueriunt, qui ad idola deficere, aut alios ad idem solicitare animo conceperit, sed qui re ipsa Deastros fecerit, alios uel ut facerent suaserit. Ad hæc, secundæ tabule (quam uocant) præcepta, proximi nostri in-

commo-

### SECTIO TERTIA.

commodum, & indemnitatem spectantia omnia ex Mosis legibus certas habent multas sentibus irrogandas, postremo excepto, concupescenciam prohibente. Ea enim animi actus est, non corporis, Dei iudicio, non hominum vindicandus. Nam qui alienam uxorem, aut alienas opes concupiscit, non hominem ullum, sed Deum ipsum, suique ipsius animam lredit. Hinc concludimus, si ex lege in eum non animaduertitur, qui aliena coniuge potiri exoptet ( quod tamen Christus ipse adulterium reputat) neque in eum, qui animo tantum aliud quodpiam scelus concipiat, minime quoque de heretico false sue opinionis causa supplicium sumi decet: quamuis interrogatus eam ingenue fateatur: Eo praesertim, quod is, qui alienam uxorem, aut facultates optat, aut hominis mactandi cupidine tenetur, peccare se non ignorat: qui autem falsi alicuius dogmatis morbo laborat, serecte sentire (ut sepius diximus) firmissime credit. Quocirca uideant quid agant, non solum Papistæ, uerum quynnes qui hereticos opiniones suas liberè confitentes, nec mentiri uolentes, tametsi externo aliquo facto ulterius progressi non fuerint, abiurare adiungunt, non abiurantes interficiunt, abiurantes denique publicis contumelijs turpiter afficiunt.

Reliquum est ut, quoniam heresim licet in extera, quæ ipsius propria sunt, facta erumpentem ciuili gladio puniri non debere contendimus, ad quorundam argumentum respondeamus, ita ratiocinantium, Magistratus opera carnis omnia, quum corde concepta extrinse-

extrinsecus erumpunt in factum vindicare debet; ut ueneficia, adulteria, parricidia, &c id genus cetera. Sed hæresis, uel secta, quæ circa religionem uersatur à Paulo inter carnis opera censetur, ergo Magistratus hæresim quoq; si in externa facta erumpat, ut alia flagitia, ulcisci debet.

Primum omnium huius argumenti fabricator in eo mihi hallucinari uidetur, quod uocabulum ἀιρέοεις in illo Pauli loco falsa dogmata, eorumq; sectatores intelligit. Ego uero eius sententiae non subscribo. Quid enim queso cum carne simplex hæresis commune habet, quæ nihil nisi carnis uexationem hæretico sit allatura, & à mala uoluntate, unde omnia carnis opera proueniant necesse est, ortum non habeat. Non igitur opinor eo loco hæreses ita intelligi, sicut quum Paulus alibi inquit, oportet hæreses esse. Ibi enim, ut pleriq; placet, manifestè apparet, Apostolum falsas doctrinas significare uoluisse. Hic autem sectas generaliter intellexisse puto, que diuisiones in Ecclesia pariant, & quavis de caussa charitatis defectu inter eos, qui Christo nomen dederunt, institui solent. Et ita intellexisse uidentur omnes ferè interpretes, qui hoc loco uocem ἀιρέοεις Sectæ, non Hæreses, uerterunt. Atqui, ut illi etiam detur, ibi per hæreses falsa dogmata significari, negamus eius propositionē ex uerbo Dei ullo modo posse probari. Imò uero ex iisdem Paulinis uerbis nullo negotio refelli censemus. Ait enim Apo- Gal. 5.19 stolus, sunt autem manifesta carnis opera, uidelicet, Operacarnis. adulterium, stuprum, impunitas, salacitas, deastrorum cultus,

### SECTIO TERTIA.

„ cultus, ueneficium, inimicitiae, lites, & emulationes, ira-  
„ cundiae, contentiones, seditiones, scelus, inuidiae, homi-  
„ cidia, ebrietates, commissiones, & his similia. Horum  
autem operum quædam à Magistratu vindicanda es-  
se non inficiamur: quædam uero eius gladio subiici  
fidetere negamus. Adulterium, stuprum, ueneficium,  
homicidium, & his similia, Magistratus iure merito  
gladio pleget. Cætera uero minime. Quis enim gulæ  
indulgens, & domi suæ opipare mensam instruens,  
lauius uiuens, quam Christianum hominem deceat, à  
Magistratu punietur? Quis litigator, aut quauis in re  
alterius emulus ex ciuili lege castigabitur? Quis ira-  
cundus, aut inuidus (etiam si alter inflammato ore, al-  
ter pallida facie, uerbis ambo iracundiam, inuidiam  
que suam actu extrinsecus ostendant) à ciuili potestu-  
te punietur? Quoniam igitur, quum propositum ant-  
ecedens falsum est, ex eo consequens falsum esse ne-  
cessere est: si falsum esse constat, Magistratum omnia  
carnis opera ulcisci, hæresim, et tiam carnis opus ef-  
fe daretur, ciuili gladio ob id solum vindicari debere,  
concludi non posset. Quod si à Magistratu penitus co-  
ercenda essent, totus Mundus uarijs supplicijs affici-  
endus esset. Quandoquidem opera carnis sunt, & fa-  
ctis se exerunt, ociosa uerba, uana colloquia, mol-  
lior uestitus, delicatior uictus, uenationum, aucupio-  
rumq; immodicæ uoluptates, mercatorum uasta ne-  
scurriliter iocari, profanis spectaculis interesse, ina-  
niter cantare, necessitate non urgente iurare, citra e-  
tiam

## SECTIO TERTIA.

199

tiam iuramentum mentiri, fidem frangere, quod supe-  
tat, egenos defraudando, retinere, aliaq; penè innu-  
mora.

At si tolerentur hæretici (inquiunt) sana doctrina  
corrumpitur, uera religio peruertitur, Ecclesia pes-  
fundatur. Sedenim quibus armis aduersus eos prælia-  
ri, ipsoſq; delere oporteat, satis supq; declarauimus.  
Quia uero inde Magistratum non penitus excludi-  
mus, qua ratione prælianii Ecclesiæ auxilio esse pos-  
sit, suo loco demonstrabimus. Interim afferentes, ac  
iterum iterumq; inculcantes quæ supra narrauimus,  
hæreticorū externa facta, niſi illis uolentibus, ac pro-  
curantibus in tumultus, ac seditiones prorumpant,  
ipſorum morte seu punitione, & supplicio coercentia  
da non esse. Si uero fidei ac religionis prætextu mo-  
tus ac tumultus cicant, seditiones concitent, sectas in-  
fluant, ac tandem in acta erumpant, humanam socie-  
tatem dirimentia, rerumq; statum perturbantia: tunc  
demum in eos Magistratum non ut hæreticos, sed ut  
male facientes, iure animaduertere posse. Viſi quis,  
exempli gratia, sub prætextu credendi, fortunæ bona  
communia esse debere, latronum phalange conflata  
omnia diripiāt, oppida depopuletur, ac legitimis do-  
minis eiectis alienas possessiones occupet, ſibiq; aſci-  
ſcat: aut Christianos Magistratus habere posſe ne-  
gans, à Rege, & domino ſuo desciscens, populorum  
defectiones concitet. aut, ſeſpiritu Dei agi affirmans  
(ut aliqui fecerunt) hominem interficiat. Ac proinde  
ſi quis antiquæ legis exemplis abutens, & religionē  
armis

### SECTIO TERTIA.

armis tutandam, ac propagandam, Dei q; hostes ferro extirminandos afferens, Papistas bello peiceret, idololatras, ac iudeos paſſim trucidare, hereticos ipſos iugularet, Eccleſie deniq; libertatem armis comparare niteretur.

Non desunt etiam qui dixerint, Eccleſiam, preter quam à Christo authoritatem habet, in hereticos per excommunicationem animaduertendi (eorum uerbis utor) facultatem quoque habere per Magistratus instrumentum eos punire. Ad hoc autem probandum Ananiae, & Sapphirae exemplum afferunt: quos (ut opinantur) Petrus morte mulctauit: item Elymæ magi, à Paulo (ut uolunt) cæcitate percussi. Quibus adiungunt Hymenæi, & Alexandri, nec non incestuosi Corinthij exemplum, quos Paulus ad carnis interitum Satanæ tradidit. Ex his enim colligunt, Apostolorum exemplo, qui, quum Christiani Magistratus usu carent, diuinæ illius authoritatis concessu, morte, alij, ut corporeis pœnis fontes afficiebant posse nos, immo debere: qui diuina illa miracula edendi facultate carentes, singulari hoc Magistratus beneficio diuinitus donati sumus: miraculorum uice hoc instrumento uiti, ijsdemq; supplicijs sanæ doctrinæ corruptores, qui per ecclesiasticam disciplinam coerceri non possunt, plectendos curare. Hoc enim modo, ijsdemq; ferè uerbis quendam olim differentem, ac mihi repugnantem audiui.

Primum omnium respondeo (ut tunc etiam illi respondi) Ananiae, & Sapphirae mortis mulctam irrogantem

## SECTIO TERTIA.

200

gatam à Deo fuisse, non (ut putant) à Petro. Præterea, non fidei ac religionis ergo, sed propter hypocrisim, & fraudem acti perpetratam, pretij partem reuinen-  
do; & quia tandem in Deum mendaces fuerant. Id  
quod per pulcrè declarat Bullingerus, quum inquit, Corruit ergo Ananias, neq; uerbis, neq; execratione Bull. in Act.  
Petri, sed propria malitia per iram Dei prostratus. Ap.lib.p.39.  
Nihil enim Petrus ei imprecauerat incommodi; sed " peccatum eius duntaxat detexerat, & accusarat. Ce- "  
terum huic protinus aderat iusta Dei vindicta: proin- "  
de concidebat rea conscientia. Neq; uero hic ageba " tur de iactura pretij, sed de hypocrisi, auaritia, & dif- "  
fidentia. Et Erasmus ait, Petrus in Ananiam, & Sap. Erasm. in sup.  
phiram sententiam ullam non tulit, sed spiritu plenus err.Bedæ.  
Dei vindictam illis significauit. At simile est etiā Bar-  
iesu exemplum coram Sergio Paulo editum, quemad-  
modum prima sectione satis aperte à nobis probatum  
fuit, perperam quoq; & extra propositum hoc Ana-  
nie, & Sapphiræ exemplum allatum esse ideo dici-  
mus, quod delictum ab Anania, & Sapphira perpe-  
tratum nulli legum, aut ciuilium, aut criminalium, hu-  
manarum, aut diuinarum animaduersioni obnoxium  
erat: multæ inquam ab hominibus irrogadæ, ac pro-  
inde à Magistratu, aut uerbi ministris fontibus influi-  
genda, sed à Deo ipso tantummodo vindicari pote-  
rat. Nam si totam legem Mosaicam percurras, nun-  
quam reperies lege sanctum esse, hypocritas, aut san-  
cto spiritui mentientes, & qui decem promittunt, &  
quinq; tantum præstant, de reliquo fraudantes, capi-

d

### SECTIO TERTIA.

tali supplicio esse puniendos. Perperam igitur in exemplum hæc historia trahitur à Magistratu imitandum, quum in ea agatur de facto ei gladio minime obnoxio. Quapropter analogiæ hinc penitus facescant, nullum enim hic locum habere possunt. Ad hæc, excideratne forsan Petro Magistrum, & Dominum suum, ab eo, ceterisq; Apostolis interrogatū, an uellet eos ignem de coelo euocare in eorum ultiōnem, qui eum recipere abnuerant, respondisse, ignorare eos cuius spiritus essent? Quod si hoc memoria tenebat, qua ratione sancto iam spiritu collustratus iterū errasset, Deum ultiorem in Ananiam, & uxorem imp̄recans? sine sua sponte, authoritate (ut uolunt) usum apostolica, eos in hypocrisis, mendacij, & fallacie suæ ultiōnem interimens: dulci enim Christi spiritu imbutus, pietati, non seuitie studebat. Quare, neq; etiam Simon magus, qui rectius hereticus dici poterat, de spiritu sancto abominanda existimans, ab ipso morte mulctatur.

Non est autem hic silentio inuoluendum, quod a iunt, Petrum ipsum in Anania, & Sapphira necandis extraordinaria potestate usum fuisse. Pulcrum profclō inuentum, si Dei uerbo fulciretur. Sed quibusnam Euangelij locis probari potest, Apostolos ciuilis potestis usurpanda facultatem à Domino recepisse? Nā (ut opinor) nihil in religione (nisi Papam imitari uelimus) statuendum est, quod uerbo Dei probari non posset. Ciuilis Magistratus, & Ecclesiastici ministerij functiones diuersas esse, neq; uerbi ministris id competere,

## SECTIO TERTIA.

203

petere, quod Magistratui competit, aduersarij nō negabunt. Non enim possumus ecclesiasticis Ministris gladij ius tribuere, quin ipsorum claves cum Principiis gladio permisceamus: itaq; iurisdictiones confundamus. At iterum cantionem illam canent, Non erat tunc temporis Christianus Magistratus. Ego uero contra meam iterum canam, & denuo inculcabo, hanc extraordinariam potestatem uerbo Dei esse probandum, non autem à nobis somnandam. Nam præterquam quod Petrum olim gladium in uaginam recondere iussum audiuimus, & Paulum asseruisse, potestatem à Domino recepisse se, non ad hominum destrucionem, sed ad ædificationem, scrutanda est etiam, atque attente perpendenda Apostolorum missio: & an homines extraordinaria potestate usurpata, interficiendi potestatem acceperint percipiendum. Etenim primum omnium in Matth. Euangelio legimus, Euntes autem prædicate, dicentes, instare cœlestis regnum. Matt. 10.8.  
 Aegrotos curate, leprosos purgate, dæmonia eicite, “  
 &c. Hic de ægris sanandis, & de mortuis fuscitando, non de uiuis occidendis agitur. Quin & apud Marcum habemus, Ite in totum orbē prædicate Euā Marc. 16.15.  
 gelium omnibus creatis: qui crediderit, & baptizatus fuerit saluabitur: qui autem non crediderit, &c.  
 Lucas quoq; scribit, Christum conuocatis duodecim Luc. 9.1.  
 dedisse eis uim, & potestatem in omnia dæmonia, sanandiq; morbos: eosq; ad Dei Regnum publicandū, egrorūq; sanandos dimisisse. De alijs autem 70. discipulis idem Lucas ait, dixisse Dominum, Vadite, ene- Id. 10.2.

### SECTIO TERTIA.

„ go mitto uos tanquam agnos inter lupos: Ergo occi-  
Ibid.9. dendos, non occisuros. Et paullò post inquit, & qui  
„ erunt in ea (urbe) ægroti, eos curatote: eisq; ad eos  
„ Dei Regnum uenisse, dicitote. Iam in his mandatis  
nulla fit mentio extraordinariæ ciuilis potestatis, qua  
functi Apostoli hereticos necare possent, eoq; exem-  
plo (ut placet aduersarijs) hodierni uerbi ministri per  
Magistratum id præstare, quod Apostolos per mira-  
cula præstisse uolunt. Si quid autem alibi aliquid so-  
lidi habent, quo hanc potestatem probare possint, in  
medium afferant obsecro: æquo enim animo me acce-  
pturum recipio.

Cæterum ad Ananiam uertens, hoc amplius affir-  
mo: exemplum hoc, si eius peccatum circa doctrinā  
uersatum fuisset, à nobis potius, quam ab aduersarijs  
futurum fuisse. Ex eo enim probaretur, fidei delicta à  
Deo, non ab hominibus punienda esse. At uero, ut cum  
que sit, uideat quisquis sapit, quam reæla sit consequi-  
tio, si dicas, Deus miraculo edito non credentem ho-  
minem, aut qui facinus aliquod ad doctrinam quoque  
spectantem perpetravit, interficit, ergo homines he-  
reticos occidere debent. Huiusmodi consequentes  
hominum uitam petentes, ex perficuo, & expresso  
Dei uerbo, eiusq; præceptis ducède sunt, non autem  
ex ipsius aut sanctorum suorum miraculis. Quod si  
uolunt Anania, & Sapphiræ, quin & Elymæ suppli-  
cia, eorum sententia illis ab Apostolis irrogata, opi-  
nioni sue fauere, exempla reæla imitentur oportet, &  
ui aliqua, ac potestate sibi diuinitus tradita per semet  
ippos

ipso solo uerbo, non autem humanis uiribus per Magistratus gladium hæreticos & sibi aduersantes interficiant.

At enim quod aiunt, quum Magistratus ordinariū (ut uocant) instrumentum adest, haud opus esse ad miracula se conferre, sed hoc præclaro, et singulari Dei dono uti civilis potestatis: falso doctrinæ homines pcam è medio tollendo; respondeo, nos quidem paratos esse hoc uerè diuino beneficio uti ad ea omnia ad quæ diuina prouidentia institutum fuit: ad laudem uidelicet bonorum, eorumq; securitatem, terrorem uerò, & vindictam malorum. Interim tamen perniciantes frigido illo, inaniq; fundamento exemplorum eorum, uerbi ministrum, turpem errantium delato, agere debere, hominumq; interitum nequiter moliri.

Reliqua nobis sunt Hymen.ei, & Alexandri exempla, tum & incestuosi Corinthij: si metuisti autem quia ea in medium afferunt dixerunt, Theologos aliquos esse, qui Apostoli uerba illa, Tradere Satanæ, interpretati sint. Ex Ecclesia ejuscere, in qua Christus regnat, ut ciectus Satanæ tradatur, qui extra Ecclesiam imperat. Verbis autem, Ad carnis interitum, mœroris, & poenitentiae stimulum significare, quo carnis cupido conficiatur, & intercat. At uero alios esse, qui in his uerbis Satanæ tradere, aliquid amplius intellexerint: puta, ut à Satana corporali etiam aliquo supplicio reiectus ipse uexetur. Qua interpretatione fretos hoc exemplo aliquos modestiores audiui colligentes, Ecclesiam poenas excommunicatione maiores fonti-

### SECTIO TERTIA.

bus infligere posse, afflictuas scilicet corporis pœnas. Aliquos uero impudentiores Magistratum code exemplo ministris uerbi monentibus hereticum capit supplicio afficere posse. Huius tamen interpretationis authorem non nonunant. At neutrām opinōnum quæ ex ea ducantur probari posse statim Deo uolente demonstrabimus. Prioris uero interpretationis authores nos ipsi mox nominabimus. Atqui operæ preclum est uidere, ut ex binis ab eis allatis opiniōibus eam potius eligant, ac probent, qua sanguinis fusionem, aut corpoream saltem multam commen- dari autemant, quam illam, qua excommunicationem tantum significari uidemus. Sed iam Petrum Mart.

1. Cor. 5.5. postoli uerba explicans. Ad perniciem carnis, &c. ad hunc modum ratiocinatur, Ad interitum carnis, & salutem spiritus. Lenit sententiam, quæ potuisse uideri acerbior, & hoc malum declarat non fore perpetuum. Hoc autem ad eos attinet, qui carnis interitu heretici mortem significari contendunt. Nam si Magistratus huius loci autoritate fretus, ministro suadente hereticum combusserit, malum hoc utiq; temporaneum non erit, sed perpetuum. Quod autem ad eos attinet, qui corpoream citra mortem poenam intelligunt, idē inferius diuersis adductis super Apost. uerbis opinib; Chrysost. scilicet, Hieron. & Augustini, tandem inquit, Docet præsens locus excommunicationem & ad corpus, & ad animam spectare. Nam illa cumpri- mis animi salus queritur, ut à uitijs repurgetur per poeniten-

poenitentiam: corpus autem diuexetur: quando istam separationem sequuntur, pudor, uerecundia, atq; maxima ignominia. Quibus etiam incommoda uitæ adiiciuntur: per que omnia corpus, & caro uidentur interire. Et est profectò grauissimum (si quis rectè & simet) exulare, & ab urbe ejici, quæ recte sit instituta. Quanto magis ab Ecclesia, quæ est Dei, & Christi Respublica? Et inferius inquit, Et ut pius princeps Theodosius ingemuerit se ab Ambrosio excommunicatum, Tripartita hist. testatur.

Agnoscit igitur pius iste doctor in uerbis illis, Tradere Satane, ecclesiasticam excommunicationē: per Carnis autem perniciem, seu maiis interitum, non animi tantum passiones, & mœrorem, uerum corporis etiam incommoda, ærumnas, & calamitates, quæ ab Ecclesia reiectis contingere solent, aperte intelligit: non autem exempla, quibus Magistratus ministris momentibus hæreticos torturæ afficere, aut capitali poena plectere posse. Hæreticos igitur corporaliter torqueri non improbamus, sed ea ratione, qua Martyre interprete à Paulo torquebantur. Addentes, à tormentis, quibus ab Apostolo afficiebantur, ad mortem, qua aduersariorum aliqui eo exemplo à Magistratibus affecti posse contendunt, nullam esse proportionem, ut unum in alterius exemplum pertrahi queat. Eiusdem interpretationis ante Petr. Martyrem auctor extiterat Iohannes Caluinus, qui cum tres fines excommunicationis esse dixisset, duobus iam expositis ita in sua instit. scriptum reliquit: Tertius (est) ut eos ipsos

### SECTIO TERTIA.

Lib. 4. cap. 12. Ita conducit & illis suam nequitiam castigari, quò ex-  
fect. 5. pergeant sensu ferulæ, qui indulgeria obstinatores  
futuri erant. Id significat Apostolus quum in hunc mo-  
dum loquitur. Si quis non obedit doctrinæ nostræ huc  
notate, & ne commisceamini cum illo, ut pudore suf-  
fundatur. Item alibi quum se tradidisse scribit Corin-  
thium Satanae, ut spiritus saluus fieret in die Domini,  
hoc est (ut ego quidem interpretor) concessisse in da-  
mnationē temporaneam, ut æternum saluus fieret. 1  
deo autem Satanae iradere dicitur, quia extra Eccle-  
siam diabolus est, quem admodum intra Ecclesiā Chri-  
sus. Nam quòd quidam ad certam carnis uexationem  
referunt, mihi uidetur incertissimum. Hactenus Calui-  
nus, qui non solum ut videre licet, primam illam in-  
terpretationem amplectitur, sed secundæ etiam men-  
tionem facit, & eam non probat. Huic autem quam  
& nos sequimur interpretationi omnes iij suffragari  
uidentur, qui Ecclesiam, pœnam excommunicatione  
maiores hereticis irrogare non posse affirmant:  
quos inter Augustinum, & eo auctore Erasmus ha-  
bemus. Quin & Calvinus ipse eorum sententiae sub-  
Calu. Instit. 4. Scribens dixit, severissimam Ecclesiæ vindictam, &  
ii. 5. quasi ultimum fulmen esse excommunicationem, que  
& non nisi in necessitate adhibeat. Neq; uero hic di-  
stinguit Calu. (ut quosdam distinguentes audiui) ex-  
communicationē in plura genera: ut intelligat eum,  
qui grauiore de causa fuerit reieclus, posse ab Eccle-  
sia per Magistratus instrumentum affici supplicio:  
sed

## SECTIO TERTIA.

204

sed absolute, & generaliter de hoc fulmine agit, ac  
decernit. Quod si quis excipiat, Caluinum hoc de ue-  
teri, non de æta nostræ Ecclesia intellexisse; ipse-  
met respondebit (ut 2. sect. ostendimus) consentaneum Calu. Inst. lib.  
non esse, ut qui monitis nostris obtemperare nolue-  
rint, eos ad Magistratus deferamus. Etenim si Ministri <sup>et</sup>  
aduersariorum exemplo nixi, fontes per Magistratus  
multulos curarent, uana quidem esset Calu. ani-  
maduersio: Non enim ex se ipso potest Magistratus,  
hereticos, defeclores, reiectaneos, ceterosq; Eccle-  
siæ monita eludentes cognoscere, nisi Ecclesia ipsa eos  
denunciet; quod si fecerit, iam non amplius extremū  
eius fulmen erit excommunicatio; uerum Ministri ad  
Magistratum delatio, & tandem heretici interitus;  
cui quidem criminis conscius erit ipse Minister; qui e-  
nim per alium agit, per se ipsum agere uidetur. Nam,  
quum Iudei dicebant, Nobis nō licet interficere quen  
quam, interim uero, Tolle eum ingeminabant, & cru-  
ci affige, quis negare poterit Iudeos non minus, quam  
Pilatum ipsum Christum crucifixisse? Agentes enim,  
& consentientes pari poena puniuntur. Ideoq; si Ma-  
gistratus, accusante, ac suadente Ministro hereticum  
occiderit, minime ambigi potest, Ministrum illum san-  
guinis eius reum futurum. Ex quo Augustini, Erasmi,  
& Caluini sententia ab eo irritaficeret. Et licet idem  
Caluinus grauiorem adhuc ipsa excommunicatione  
Ecclesiæ animaduersionem recenseat, quam anathema  
esse ait, uidelicet quum quis adempta omni uenia  
deuouetur æterno exitio: excommunicatio siquidem

### SECTIO TERTIA.

uenie locum relinquit, attamen neq; deuotio illa cum corporali supplicio aliquid commune habet, ex ipse Caluinus huius anathematis, aut per quam rarum, aut nullum omnino usum esse asseuerat. Sed ad superiora eorum exempla aduersarij, uerba quoq; Pauli adjiciunt, quum inquit, Vtrum uultis cum uirga ueniam ad nos, an cum charitate, & animo mansuetio? Ibi enim per uirgam (quod etiam supra obiter, ac leuiter attigimus) afflictuam corporis poenam intelligunt. Quetamen ratio eadem de causa inanis esse uidetur. Paulus enim per ferream uirgam, non corporalem poenam, sed eandem intelligit, qua incestuosum Corinthium mulctauit: excommunicationem inquam: ferream uirgam charitati, & spiritus mansuetudini figure opponens.

Sedenim quis dicunt ex nostra sententia spiritum sanctum sibi ipsi repugnantem induci: alicubi enim dicit, Magistratum cunctos facinorosos gladio percutere debere, alibi uero (nobis affirmantibus) hereticos: quos inter facinorosos ipsi censem, esse ferēdos: equidem eodem innexus argumento, ex eis quero, an non ex sua superiorum Pauli locorum interpretatione, spiritus sanctus sibi repugnans inducatur. Paulus enim alicubi expreſſe præcipit hereticos tolerari, eorumq; resipiscientiam expectari: quod si uerba, Satane Tradendi, si Ananie, & Sapphirae interitus, si Elymae cœcitas, si ferreae deniq; uirgæ interpretatio, ad heretici mortem, siue ad corporea per Magistratū irroganda tormenta pertrahi debeant, quis non ui-

det

det, spiritum sanctum sibi ipsi repugnantem effingit.  
Hanc igitur repugnantiam componant, suamq; inter-  
rim opinionem confirmant. Nos enim nostram ivalide  
confirmasse arbitramur: Apostoli præceptum de ser-  
uandis hæreticis retinentes, & locos interim, quos ex  
eo proferunt, decenti interpretatione, illustrium Theo-  
logorum autoritate explicantes, sanctum deniq; spi-  
ritum ex nostra sententia secum minime pugnare dilu-  
cidè declarantes. Ceterum quia sunt qui dixerint, in  
uerbis illis Trade Satanæ, non simplicem duntaxat  
excommunicationem, & quæ ex ea necessariò oriunt  
tur animi cruciatus, corporis ærumnas, ac Satane spi-  
rituales uexationes intelligi posse: sed corporales etiā  
aliquas afflictiones, ægritudines, & carnalia tormenta,  
non quidem ab hominibus, sed à Diabolo per Apo-  
stolorum potestate reiectis infligenda (Quod tamen  
Dei uerbo, aut saltem illustrium tum ueterum, tum re-  
centiorum Theologorum dictis probari oportet)  
ut ut hoc illis detur, haud propterea statim consequi-  
tur, summa potestate cessante diuinitus Apostolis con-  
cessa malos per Satanam uexandi, eorum successores  
Episcopos, & Dei uerbi Ministros, quæ Apostoli per  
diabolum agebant, per Magistratum efficere posse:  
quasi Satanæ uicem ciuili potestate supplentes. Dona  
illa, ac potestas, homines editis miraculis sanandi, à  
morte fuscitandi, per Satanam torquendi, ac demum  
(si modo id afferentibus daretur) interficiendi, eò il-  
lis diuinitus sunt data, ut Dei uerbo ab illis promulga-  
to fides adhiberetur, sanctaq; Christi doctrina miracu-  
lis

### SECTIO TERTIA.

lis confirmaretur: id quod prima sectione fuisus trā-  
et auimus. At uero Christi doctrina satis patefacta, ac  
firmata, & ob hoc, uolente Deo, magna, ac mirifica  
illa miraculorū potestate abrogata; quis docuit Thco  
logos nostros, eius uice Magistratus gladio uti posse,  
eoq; id præstare, quod spiritus uirtute præstiterunt A-  
postoli? Nonne superius dilucidè ostendimus quate-  
nus pertingat, cum Dei filijq; sui, tum ueteris nouiq;  
fœderis exemplorum imitatio?

Iam uero, quia ut paullò ante diximus asserunt ad-  
uersarij, Ecclesiam pretiosum hoc Magistratus donū  
spernere non debere, sed eo uti, & ad hæreticos pu-  
niendos adhibere: ideoq; colligunt Ministrum explo-  
ratorē agere, eosq; ad Magistratum deferre & ac-  
cusare posse: non est nobis ultra progrediendū, quin  
prius eorum argumentis in medium allatis, rationi-  
busq;, quibus ihesim hanc suam probare contendunt  
recte perpensis, quantum ualeant cognoscamus: Ad  
eam igitur probandam hoc problema primo propo-  
nunt: Liceatne Christianæ Ecclesiæ in ijs, quæ ad reli-  
gionem spectant, ethnicos Magistratus appellare, eo-  
rumq; præsidium implorare: tandemq; licere conclu-  
dunt, Pauli exemplo sententiam suam comprobantes,  
qui controuersia inter eum, & Iudeos de religione  
exorta, coram Festo, & Agrippa cauissam suam dice-  
re non detrectauit: nec ad Cæsarem prouocare hor-  
ruit: quo quidem exemplo colligunt, Ministros, cor-  
ruptæ doctrinæ homines ad Magistratus deferre, ne-  
dam posse, sed etiam debere: & si qui resipi scire no-  
lunt,

## SECTIO TERTIA.

206

lunt, corpore a poena multando curare.

At euidem primum omnium, non satis percipere queo, quae si proportio, & comparatio inter Pauli defensionem à Iudeorum insectatione coram Festo, & Agrippa, eiusq; ad Cæsarem prouocationem ob iniurias quibus eum religionis caussa afficiebant, & vinculum, quo Ministros hoc exemplo obstringi uolunt hereticos accusandi, aut Magistrati denuncianti. Paulus enim nullos hereticos, aut pseudoprophetas accusauit: at potius contrà accusatus, & in ius uocatus, imò ui pertractus, ab eorum rabie se defendit. Legat, si quis rem rectè pernoscere cupit, historiam il Act. 24.25. & lam, & aperte percipiet, quemadmodum inter eum, <sup>26.</sup> & Iudeos maxima ob doctrinam controuersia exorta, ingenti concitato tumultu, in eumq; impetu facta, ei manus inieccere. Quapropter tribunus, ueritus ne quid illi deterius contingere, catenis constringi, & in castra duci mandauit. Paucisq; post elapsis diebus ad Felicem p̄etorem perduci curauit: cui quidē paulò post Portius Festus in praetura succedit: apud quē obstinati Iudei accusationis caussam persequentes, non solum eum falsae doctrinæ insimulabant, sed multa animaduersione digna facinora ei obijciebant: id quod ex ipsius Pauli uerbis haud obscurè elicetur: præcipuum uero quod in Cæsarem aliquid machinatus, aut in eum obloquutus esset. Ille autem se defendens, neminem iniuria affecisse, nec morte dignum aliquid perpetrasse, neq; demum in Cæsarem quicquā peccasse, constanter affirmabat. Agrippa deinde Cæ-

saream

### SECTIO TERTIA.

saream Festum salutatum adueniente, Festus ipse Pauli negocium Regi exposuit: seq; caussa cognita nihil in eo animaduersione dignum reperi & significauit. Paulus igitur coram legitimo Magistratu crimina falsa sibi obiecta diluebat, neminemq; accusabat, sed accusatus seipsum defendebat, & à carnali uiolentia se tutabatur: quam carnali gladio coercendam esse, nemo sane mentis negare potest. Heretici autem spiritualibus telis in Ecclesiam grasantur: contra quorū uiolentiam spiritualibus itidem armis illam Deus instruxit, quibus in eos inuicti, ab eis se tutari, eos tandem superare siue coercere, in ordinemq; redigere debet: non autem eos accusare, & ciuilem potestatem aduersus eas uires concitare, quæ eius gladio reprimi, & infringi nequeunt. Quod si Paulus coram Festo de religione cum Hebreis disceptauit, & ad Cæsarē prouocans etiam coram eo se disceptaturum innuit, quis non cernat eum, non uolentem, sed prouocatum id fecisse? Num occasione oblata Christus Apostolus eius ueritatem reticere debuerat? Iam motu proprio, suaq; sponte Iudeis infidelibus apud Magistratum dicit non dixit: haud enim ignarus erat, se à Satrapis illis iudicium non habiturum de re ipsis incognita. Quocirca manifestè apparet, cum Magistratum implorasse, non eò quidem, ut ab eo de re inter se, & aduersarios controuersia iudicium obtineret, sed eò tantum, ut ab eorum uolentia se vindicaret: utq; ea sibi obligata occasione Christi doctrinam ex munere sibi diuinatus iniuncto promulgaret. Gallio, quem Paulus itidem apud

apud eum doctrinæ falsitatis accusaretur, respondit Act.18,12.  
Iudeis, se, si quidem iniuria aliqua, aut facinus atroc  
foret, merito se nos laturum; sed si de sermone, & no  
minibus, & eorum lege questio esset, ipsi uiderent:  
nolle se earum rerum iudicem esse. At uero, si Paulus  
licere censisset uerbi Dei Ministris pseudoprophe  
tas haereticos ad Magistratum deferre, tam sepe illi  
oblata est occasio suipius exemplo id nobis signifi  
candi, ut minime opus esset, disputatione coram Fe  
sto, & Agrippa habita, & ad Cæsarem prouocatio  
ne declarare. Nam quoties (obsecro) conqueritur, se  
ab haereticis uexari, ab eisq; sanam doctrinam cor  
rumpi? Cur igitur tunc querimonijs omisssis, Magis  
tratum non implorabat? Neq; uero hic locum habet  
eorum uetus, & usitata exceptio: non esse uidelicet  
tunc temporis Christianum Magistratum. Nam quæ  
nunc tractatur disceptatio, in ea eorum propositione  
radices habet, qua Ecclesiæ in religionis negocio  
ethnicorum Magistratum praesidio uti licere statue  
runt. Proinde quamvis Apost. reclum iudicium ab eis  
sperare non posset, nihilominus id agere debuisse, ut  
illustri minimeq; dubio exemplo officij nostri nos ad  
moneret, itaq; controuersiam hanc in perpetuum di  
rimeret: firmiori enim robore polleret eiusmodi exé  
plum, quam in se à Iudeis accusato defendendo. Ete  
nim, si rectè inspicias, eiusmodi est articulus iste, eiusq;  
momenti, ut Christus, & sui post eum Apostoli, aduer  
siorum sententia prævalente, certioribus exemplis  
ac præceptis illius ueritatem commendare debuerint

### SECTIO TERTIA.

ut proscelò cōmendassent > quām eiusmodi coactis,  
et propositæ materiæ minime cohærentibus. At uero  
quia ethnicum Magistratum tun demum implorandum dicunt, quum cum optatis nostris futurum,  
et rebus nostris auxilio futurum speramus; eisdem  
non video quid Paulus de Festo sperare posset: quatenus  
inquam ad religionem attinet. Quod si quid spe-  
rauit, falsum sua spe fuisse rei eventus statim declara-  
uit: quandoquidem auxilij loco, irrisiōnē potius ac-  
cepit, Festo eum insanire dicente. In eo uero quod ad  
Magistratum pertinebat minime falsus est: nam à lu-  
dorum iniurijs ab eo est assertus, et Cæsarem ap-  
pellans, ad Cæsarem aliquando missus. In quibus, ut  
ipse non errauit, sic nos non erraturos censeo, si con-  
tumelijs ac iniurijs affecti, nō tantum Christianos Ma-  
gistratus, uerū ethnicos quoq; implorabimus. Alia  
insuper argumenta affrūt aduersarij, quibus probet,  
uerbi Ministros decere hereticos ad Magistratū de-  
ferre, que quidem quia uerbo Dei peritus destituun-  
tur, inualidisq; tantum humanis rationibus nituntur,  
ac tandem hereticos iure occidi posse (quod falsum es-  
se ostendimus) tanquam quippiam euictum ponūt, con-  
suliò prætermittimus, eisq; improbandis supersede-  
mus. Nunc uero Christi exemplum prosequemur: quiū  
scilicet flagello ex funiculis facto, mercatores è tem-  
plo fugauit, qui in Dei contumeliam mercatoriam do-  
mum, latronumq; speluncam illud effecerant. Quod  
quidem nihil magis ad propositum facit, quam supe-  
riora. Que enim est (obsecro) inter templi per mer-  
caturam

caturam profanationem, & falso doctrinæ opinionē analogiam. At illorum delictum, præter quām quod circa doctrinam & fidem non uersabatur, uoluntatis peccatum fuit non opinionis, aut falsi dogmatis, eosq; aduersus conscientiam peccare palpabili indicio apparebat: Haud enim credibile est, eos ignorasse, in Dei templo mercaturam exercere fas non esse. Adde, quod hoc modo argumentari, Christus clementes, ex uidentes, ac nummularios eicit à templo, ergo Magistratus hereticos suppicio afficere & necare debet: quām bene cohercat, si quis differendi rationem calleat, facile iudicabit. Nulla enim apparet proportio inter scutica factam electionem, & mortem, siue pœnam à Magistratu irrogandam. Si Christi institutū fuisset, hoc exemplo hereticos à Magistratibus puniendos & occidendos docere, eos certè non deturbasset è templo, sed multasset, & occidisset. Quin imò, etiamsi Christus illos profanatores interfecisset, potius exemplū ad id trahi posset (quod de Ananias exēplo superius diximus) ut fidei, & doctrinæ crimina à se uindicanda ostenderet, quām ut hereticos à Magistratu necando præciperet. Quod si respondeat Christum saltē hoc exemplo zelum suum ob profanatū summi patris templū ostendendo, monuisse nos quanto studio in sacræ doctrinæ profanatores moueri, quoq; animi ardore eos coercere debeamus; esto: Ministri Christi uicem gerentes duro excommunicationis flagello doctrinæ profanatores ex templo, ex fidelium inquam cœtu ejiciant. Hac enim ratione melius Chri-

### SECTIO TERTIA.

si exemplum imitabuntur, quam si ciuilis potestatis  
gladio eos iugulandos obijciant.

Psal. 2.12.

Ad hæc sunt qui Dauidem citant, quum ad ample-  
xandum filium, & osculandum Reges adhortatur.  
Nam quid aliud petū (inquiunt) quam, ut sanæ doctri-  
næ suspectias ferant, ueranq; religionē tueantur. Re-  
spondeo, hoc potius expetere, ut cum Dominum, ac  
Dei filium agnoscant, uerum Messiam, & Mundi ser-  
uatorem recipient, ut tales colant, & amplectantur,  
eiusq; parcent mandatis. Quod si ex his etiam pro-  
phetæ uerbis religionis ac doctrinæ curam à Regi-  
bus adhibendam inferre uelint (à qua neq; nos illos ar-  
cemus) insectationem tamen, & supplicium in hære-  
ticos ex eis non colligent.

Psal. 12.10.

Addunt alij, eundem prophetam alias prædixisse,  
Reges, ac Principes ad Christum uenturos, & ei mu-  
nera allatueros, tributaq; pensuros. Quid aliud igiur  
(inquiunt) intelligit propheta, quam Ecclesiæ tuto-  
res, religionis defensores, sanæq; doctrinæ vindices  
futuros? utq; hoc munere fungantur, opes suas, cona-  
tusq; omnes ( gladio etiam non excepto ) in pseudo-  
prophetas exerturos? At enim quis ignorat oraculū  
hoc, tum primum impletum fuisse, quum Magi ab O-  
riente profecti Christum nuper natum adorarunt, ei-  
que capsis suis patefactis, munera sua, aurum, thus, et  
myrrham obtulerunt? Quod si tamen locum istum al-  
legoricè interpretari deceat, perpende an melius co-  
hæreat prophetam uaticinatum fuisse, Reges terre,  
& infidelium Principes Euangelium recepturos, &  
Christum

Christum adoraturos esse, cīq; debitæ obedientiæ, p̄tē  
cum, sacrificiorum laudis, gratiarumq; actionū mu-  
nera, honoraria, & tributa pensuros. Addc, quod ne-  
que locus hic insectationis, aut supplicij mēnionem  
ullam habet.

Non defant præterea qui Esaiæ locum afferant ua-  
ticinantis, Reges Ecclesiæ educatores futuros, Regi-  
nas autem eius nutrices. At qua ratione (alunt) uatici- Esa. 49. 23.  
nūm istud impleri poterit, nisi Reges ac Magistratus  
potestatis suæ uiribus ac ferreo gladio ueræ religionis  
statum defendant? Respondeo uaticinationem illam  
tunc uerè ipso euentu comprobata fuisse, quum in-  
fidelium in Christianos insectationibus cessantibus,  
Imperatores, cæteriq; ethnicorum Principes Chri-  
sto nomen dederunt, Christianos pace donarunt, co-  
tus piorum institui permisérunt, sacramenta admini-  
strari non ueterunt, templa erigi curarunt, Ecclesiā  
tandē ab hostiū iniurijs tutarunt. Nōnne hēc agen-  
tes Reges, & Reginæ, ex Ecclesiæ hostiis, eiusdem  
educatores, & nutrices euasēre? Id quod toties erūt,  
quoties ijs, qui Christianos Principes decent modis,  
ac rationibus Christi Ecclesiam iuuabunt, ac Dei uer-  
bo instructi Regis Christi piam lenitatem imitabūtur.  
Sed enim temporibus quoq; nostris idem oraculum  
iterum impleri uidimus, quū Euangeliū lux, quæ mul-  
tis antē seculis Antichristi nebulis obvoluta latuerat,  
primum emerſit; pīq; Principes Christi spiritu affla-  
ti, eam amplexi, in prouincijs suis benignè excepērē,  
promulgari permisērē, honestis stipendijs Episcopos

### SECTIO TERTIA.

Hoc verè est aluere, idolatriam penitus aboluere, uerum ac le-  
ducere, & eam gittimum sacramentorum usum introduxere, liberum  
plecti Ecclesiā ac tutum Euangelio cursum dedere. Tantumq; doctri-  
nam ad doctrinæ eiusdem præscriptum, non contra  
doctrinæ instituta prouexere. Quod si diuersum ali-  
cubi unquam accidit, abusus ille quidem, non legitimus  
fuit. Necesse est enim, Christo affirmante, ut  
accidentia scandala: sed uæ illi per quem scandala eue-  
nient.

3. Tim. 2.2. Sunt præterea, qui Pauli locum afférant, quo præ-  
cipit pro Regibus, cunctisq; potestate pollutibus sup-  
plicationes, & preces fieri, ut tranquillam, & quietam  
tam agamus uitam, cum omni honestate, pietate, ac  
moderatione, siue (ut alij uertunt) grauitate. Perpen-  
de (inquiunt) nam si Apost. modestiæ tantum, honesta-  
tis, aut grauitatis mentionem faceret, aliqua fortassis  
daretur ansa ijs, qui religionis caussam à ciuili Magis-  
tratu tractandam esse negant.

At enim, quā Apost. rūs ἀνθεβίαιο uocabulo, quo  
cultus à nobis Deo præbendus significatur, munus le-  
gitimi cultus procurandi Magistratibus commendet,  
temerè quidem faciurus est, si quis munere illi à Deo  
tradito eos priuare contendat. Iam, qua ratione (aiunt)  
hoc præstare poterant, si doctrinæ corruptores coèr-  
cere, in eosq; animaduertere nequeant? Sed esto ut d-  
iunt: In uocabulo scilicet illo commendari Magistrat-  
ibus religionem: nunquam tamen euinci poterit ex  
loco illo, pro ea procuranda homines nullius sibi cri-  
minis consciens puniri, seu necari fas esse. Hoc profe-  
ctio

## SECTIO TERTIA.

210

Ad Pauli uerba non personant. Imò uero idem ipse,  
qui hoc loco pietatem Magistratibus commendare u  
detur, sepe sepius (ut diximus) hæreticos seruandos  
innuit, ac semel apertissime præcipit. Id quod Christ  
stus, Magister, & Rex idem suus, & idem noster, non  
semel facit. Cæterum si quis reciuis Paulini huius loci  
sensem assequi uelit, ratio, meo quidem iudicio est ha  
benda temporis quo Apostoli præcipit, et hortatur fra  
tres, ut pro Regibus, et potestate pollentiibus preces  
effunderent. Id autem tempus erat, quo uniuersi orbis  
Principes uerum Deum, Christumq; eius filium non  
nouerant. Apparet igitur, Paulum ethnicorum Prim  
cipum ad fidem cōuercionem optasse, et idcirco sup  
plicationes fieri præcepisse, ut ipsi Christianum o  
men adepti Christianos insectari desinerent. Quo fier  
et, ut quiete, et tranquille degentes, Euangeliū li  
berè, ac tutò annunciare, et pauore deposito pro  
mulgare, pietatisq; muneribus palam, et honestè de  
fungi possent: neq; pro sacris conuentibus habendis,  
concionibus, precationibus, et sacramentis admini  
strandis, ferarum more in antra, et latibula confuge  
re, ac delitescere adigerentur: ibiq;, et in priuatis do  
mibus, seu potius ergastulis, clausis ianuis, cultum il  
lum Deo reddere, quem optabat Apostolus publicè,  
omniq; amoto metu, tranquille, pacifice, honorifice  
que exerceri posse. Id quod et nos Apostoli exem  
pli moniti optare, et pro eo assequendo Deum ora  
re debemus, ut scilicet Regum nostrorum mentibus  
ueram sui notitiam instillet, qua perfusi, oplatam secu

### SECTIO TERTIA.

ritatem Ecclesiæ concedant. Consideret, obsecro, pius quisq; lector, an nostra hec interpretatio Paulinis uerbis magis quadret, quam eorum, qui ex eis colligunt, Principes, ut primum Christo initiati fuerint, eiusq; religionem procurandam suscepint, pro ea tutanda hereticos mulclare debere, ut egomet quendam audiui mecum de hoc articulo disceptantē pertinaciter affirmare. Addunt præterea Christum, tam eis ex rudi obscuroq; uulgo Apostolos suos delegit: non idcirco doctis nobilibusq; et potentibus uiam occlusisse, quo minus se suaq; omnia illi offerre possint, ac debeant. Id quod (inquiunt) trium Magorum exemplo dilucidè ostenditur Proinde concludunt Magistratus quoq; gladium, sacram, gratiamq; illi oblationem esse odoris non insuauis. At enim quis hoc negat, aut quis ambigit? Verum nonne tunc ritè Deo cōsacratur Magistratus potestas, gladijq; usus, cum ad maleficientium vindictam, ac bonorum laudem et securitatem exercetur? Non igitur ex eo consequens est (ut uelle uidentur) ciuilcm gladium eorum morte Deo conscrandum esse, quos idem Deus interfici nō modo non iussit, sed aperte prohibuit.

Solent præterea qui piam nostram sententiam defendant, hoc modo argumentari. Fides donum Dei est, et idcirco hereticus puniri non debet. Nam cum fidem habere arbitrij sui non sit, et nisi ea à Domino donetur, credere non posset, consequens est, cum ob i quod non credat, pena afficiendum non esse. Respondent aduersarij, si haec argumentandi ratio contra

tra diuinās, humanās q̄; leges probetur, hoc etiam modo colligi posse: Omne bonum Dei donum est: Abstinenre à furto, homicidio, adulterio bonum est, ergo Dei donum. Fur igitur, homicida, & adulterio puniri non debent: nam donū expertes ab errore abstinenre nequeunt. Consecutio hęc, inquit, falsa est, uestra igitur huic simillima falsa esse deprehenditur. Ad hęc primum respondō, Nullo speciali Dei dono egerē eum, qui à flagitijs à Magistratu puniendis abstinenre debeat, hoc enim repositum est in morali uirtute, quippe donum hominū arbitrio à Deo optimo maximo à condito orbe, & hominē creato genera liter concessam, id quod nemo sanę mentis negabit. Nam principiō Deus quum creasset hominem, eum arbitrij sui consilio permisit. Et alibi dicit Deus, en Eccles. 15. 14. propono uobis hodie tum uitam & bonum, tum mor Deut. 30. 15. tem, & malum &c. Et profecto, nisi abstinenre à malis, quę legibus puniuntur, uniuersali Dei dono in hominis potestate esset, inanes prorsus ne dicam iniquę humanę leges omnes essent, pœnāq; & præmia non recte constituta. Quocirca necessariam hic aio esse distinctionem. Quandoquidem à summo Deo tum uiuersalia & naturalia, tum singularia & spiritua lia dona recepimus. Inter naturalia ea cognitione donati omnes sumus, qua (nisi intellectus depravatione impediātur) bonum à malo discernimus: & naturę lege, quam in mentibus nostris inscriptam habemus, haud ignari sumus, imò uero fatemur, quod nobis fieri non uolumus, alijs facere non decere. Item homines

### SECTIO TERTIA.

necare, illorum bona rapere, alienam uxorem stuprare, ac denum quous modo in proximi corpus facultates, aut dignitatem saeire, peccata esse, & iure vindicanda. Proinde si huic naturae legi scriptam addas ei consentaneam, nemo est adeo stupidus, qui si deliquerit, ciuili poenae se obnoxium esse & agnoscatur, & fateatur. Neque enim cognitione tantum in hisce que recensimus, nos multipliciter, quicunq; sumus, donauit Deus, sed uires quoq; largitus est ab illis abstinenti, nec serè quisquam est qui ab externis saltem illis facilis, que legum poenis subjiciuntur, tum etiam cum de eo condemnando agitur, se abstinere potuisse prorsus neget. De fidei autem spirituali dono, praeter naturam diuinitus tradito, quem Dominus cui uult, quando uult, eaq; qua uult mensura impetrat, non ita statuendum esse constat. Qui enim illius est expers, ac proinde in uerae doctrinae cognitione hallucinatur, falsumq; aliquod dogma amplectitur, errare se nec agnoscunt, nec fatetur, nec credit. At contrà, ut sepius diximus, recte se sentire prorsus existimat. Quocirca, in prius diuina duce collustretur, ab errore suo desistere nequit, in quem etiam cum in tenebris uersaretur necessariò lapsus est. Aduersariorum igitur consequitio, nostrae haud quamquam est similis, cum nos de diuino dono non omnibus dato in nostro arguento agamus, illi uero in suo de diuino quidem dono, sed omnibus naturaliter concessu manifeste loquantur.

Ex quibus intelligi potest hereticum, eò quod fieri

## SECTIO TERTIA.

212

dei expers ignorans peccat, & idcirco à peccato suo abstinendi facultatem, quoad in eo statu permanet, nō habet, supplicio aliquo affici non debere: facinorosum uero, quia scienter peccat, & uniuersali naturæ à malo abstinendi dono præditus est, meritò à poena legibus statuta liberari non posse.

Ceterum excommunicationem, qua ab Ecclesia hæreticus ipse castigatur, poenam eidem propriè appellandam non censeo, sed potius coërtionem ad eius resipiscientiam & salutem. Quo nomine etiam animaduersiones omnes, quæ in eum statuuntur, appello. Quod si à Deo in Ecclesia constitutus ordo hæreticum uerè non punit, sed reprimit duntaxat, & ad salutem seruat, qua ratione hominum traditiones, & decreta, eum uel multclare, uel etiam de medio tollere possunt.

Alio deinde modo alios argumentari audiuiimus, dicens, Quemadmodum lex, et si seuerissima prouisionum dulcedinem in se admistam continebat, eadem ratione euangelium quoq; et si dulcedine plenum suā seueritatem, suasq; minas habet. Vtrisq; enim opus est hominibus hac in uita degentibus: quippe ueteri, ac nouo homine, carne scilicet, ac spiritu compactis, atque compositis. Ex quo concludunt, gladij seueritate nos uti debere ad vindicanda falsa hæreticorum dogmata. Vera quidem est eorum propositio, sed falsa quam ex ea colligunt consequitio, quæ nullo quidem negocio diluitur. Iisdem enim de causis ab eis propositis duplex poenarum genus à Deo statutum habe-

### SECTIO TERTIA.

mus: carnaliū uidelicet, quibus carnalia crīmina car-  
nali Magistratus gladio plectuntur: spiritualium, qui-  
bus spiritus errata spirituali gladio vindicanda non  
semel diximus, ac iterum affirmamus.

Sed adhuc habent quod obijciant. Sunt enim qui  
dicant, Patrem fam. etiam si uitæ necisq; in suos po-  
tatem non habeat, si negligentius agens familiam suā  
corrumpi, sacrilegijs, stupris, cæterisq; flagitijs im-  
pleri suerit, culpe expertem, ac proinde excusatio-  
ne uacuum non fore. Quanto igitur magis (inquiunt)  
culpe obnoxius, adeo q; ex uituperatione dignus er-  
rit Princeps, qui per incuriam silentio inuoluat reli-  
gionis corruptionem, quam in populo suo manifeste  
uideat, & conniuens diſimulet? Sedebit ne iudex (in-  
quiunt) in solio potestatis sue, & cernens Christi glo-  
riam ab hereticis proteri, & conculcari, ciuili gla-  
dio ad hoc à Deo instructus Christi gloriam ab im-  
pijs foedari permittet?

Respondeo, & iterum iterumq; lectorum fortas-  
sis fastidio, inculcare cogor, non eo gladio Magistra-  
tum armatum esse quo hereses, & heretici iugulari  
possunt. Hoc enim Deus Ministros suos instruxit, ijs  
que huiusmodi est permittenda prouincia: nisi hære-  
ticorum externa facta (quod saepius diximus) uolen-  
tibus illis, idq; machinantibus, seditiones pariant, &  
delicta ferreo gladio vindicanda: que, quum spiritua-  
libus telis coerceri ac multari non possint, tunc de-  
mun ciuilia spicula uibrentur. Hinc autem eueniet,  
ut quemadmodum Pater fam. ea, qua ei licet, uirga fa-  
miliam

miliam suam cohibet, & castigat, Magistratus itidē,  
& Ecclesia gregem quilibet suum (idem enim ho-  
mo, prout uel Ecclesiae, uel Magistrati subditus est,  
dupliciter considerari potest) eo flagello compescat,  
errantesq; eo gladio puniat, quo eorum quemlibet,  
uocationis suæ ratione habita, Deus instruxit.

Nabuchodonosoris alij exemplo mitūtur, à Danie-  
le ideò laudato, quòd in Deum blasphemos capitali  
lege sancita animaduerterit. Nam commendabitur  
(auit) per os Prophetæ à spiritu sancto ethnicus Prin-  
ceps, quòd potestate sua fretus ucri Dei gloriam vim-  
dicauerit, interim uero sancti, ac p̄ij Magistratus eam  
profanari uidentes, conniuebunt? Aut potius dicendū  
est, Dominum in profani Regis persona eos sui mu-  
neris commonefacere uoluissē? Etenim (pergūt) quid  
absurdius, quid indignius uideri potest, quàm in ipsi-  
us Ecclesiae finu impijs in Deum contumelijs impu-  
nitatem concedi, quæ Babylone capitali supplicio  
puniebantur.

Magnificam profectō præ se fert energiam argu-  
mentum istud. Sed quod tamen tam breui, quàm facili  
egat responso: hoc autem erit (quod superius dixi-  
mus) blasphemī pœnam hæretico non conuenire. De-  
cuit igitur eo tempore infidelem Nabuchodonosorē,  
Dei tamen spiritu afflatum, in Dei nomē blasphemos  
lege à se promulgata punire: nunc autem conuenit,  
fideles Magistratus in hæreticos ijs legibus non saui-  
re, quæ in eos nulla ratione late fuere.

Sunt præterea qui dicant, Decalogi legem bipar-  
titō

### SECTIO TERTIA.

titò diuidi; primam eius partem Dei cultum eiusq; do  
ctrinam spectare; secunda hominum offensiones, ac  
detrimenta prohiberi. Quocirca hoc modo colli-  
gunt, Si humanæ iudicialeæ leges in eos animaduer-  
tunt, qui homines lædendo aduersus secundam Deca-  
logi partem delinquunt: qua ratione impunes euadet  
qui in primam peccantes, Dei dignitati, & gloriæ  
detrahunt?

Ad hoc per superiora satis respōsum arbitramur.  
Quum scilicet Mosaicas leges expendentes, ostendi-  
mus hæreticū à uero Deo non deficere, alienos Deos  
non adorare, idololatram non esse, neq; propriè bla-  
ffhemum: quod autem ad doctrinam attinet, uolentē  
scientemq; non peccare: ex quibus aperte constat cū  
contra primam tabulam non delinquere.

Ad Asæ, Ioiadæ, Iehu, Eliæ exempla ab aduersa-  
rijs allata uenio, nam tametsi per ea, quæ superius de  
ueterum exemplorum imitatione, deq; antiquarum  
legum abrogatione satis responsum effe uideri pos-  
set, attamen ea, quæ mihi præterea circa hæc succur-  
runt Dei spiritu iuuante breuiter attingam.

2. Paral. 14. 3.  
Ibid. 15. 3. &  
infra.

Primum igitur omnium Asæ factum ad rem mini-  
mè facit: ipse enim, quum diu sine uero Deo, sine do-  
ctore, sacerdote, sine lege fuissent Israelitæ, nefas om-  
ne ex omnibus Iudeæ, & Beniamitiis finibus, & op-  
pidis sustulit, statuas perfregit, lucos succidit, Iouæ a-  
ram pro eius uestibulo sitam instaurauit, sacrificia ri-  
té instituit, Iudeos Iouæ patrio ipsorum Deo studere,  
legemq; & disciplinam obire iussit, fœdusq; cum co-  
iniri

iniri curauit: ac ueterem tandem in idololatras legem  
renouauit, & promulgauit: sed quid hoc ad proposi-  
tam questionem? Asa uerum Dei cultum instaurat, &  
seruandum præcipit: & nos quoq; id muneris Regi-  
bus nostris tradimus, & confirmamus. Antiquas pa-  
trij Dei leges seruandas mandat: nos iuidem Magistra-  
tum nostrum id præstare, Regisq; nostri spiritualis,  
non solum leges religionem spectantes, sed ad mores  
quoq; ciuilemq; politiam pertinentes, tueri, & exer-  
cere uolumus. idola deturbat, statuas confringit, dea-  
strorum aras diruit, id nos à Magistratu nostro cura-  
ri cupimus, & qui uel minimum Papatus monumen-  
tum in urbibus suis tolerant non laudamus. At enim  
in toto hoc Aſe exemplo, tametsi is omnem idolola-  
triam sustulit, ne uerbum quidem habent aduersarij,  
quo ipsum in idololatras animaduertisse, capitali sup-  
plicio eos multando, probare possint. Quinimò in  
Maacham eius matrem, seu maius (ut alijs placet) au-  
am, que turpiter, impieq; idola coluerat: non feciuit,  
ut ex lege eam iure merito puniret. Sed ipsam tantum  
imperio abdicauit, idolumq; ab ea in luco erectū de-  
moliendum, & comminuendum, ac demum apud Ce-  
dronem fluum comburendum imperauit. Ex quo  
non seruatæ legis reus agi fortasse potuisset: quippe  
qui, quum ex legis præscripto, primum in sonem la-  
pidem iacere debuerit, illi pepercit, ac mortis sup.  
Deut.13.9:  
plicium, quo eam affecturus erat, ei remiserit, & con-  
donarit, nec tamē huius benignitatis nomine, uel pœ-  
nam, uel diuinam reprehensionem ipsum incurrisse  
legimus.

### SECTIO TERTIA.

legimus. Quocirca eum si consideremus hæreticū,  
et idololatram idem esse, à nobis potius historia hæc  
esset ad tolerantiam, et clementiam erga hæreticos  
probandan, quam ab aduersariis ad fauitem aduer-  
sus illos sanguinisq; fusionem statuendam.

Ioiadæ præterea factum, nihil plus ad rem facit,  
quam supra narratum. Ipse enim Ataliam, non reli-  
gionis ergo, quod idola coluisse, in Deum conuicia  
ieciisset, aut falsi uatis munus obiisse, necari uoluit,  
sed imperij caussa, quod Regnum occupasset, ac pro-  
pterea omnem Iudaicæ domus regiam stirpem perie-  
mere conata fuisset. Quum igitur contra Dei permis-  
sum impiè regnaret, Ioiada Pontifex, cuius uxor Io-  
saba infantem Ioram ē media regiorum filiorum ce-  
de surripuerat, et domi suæ aluerat, confirmatione fâ-  
ria, puerum septimum iam annum agentem, in Re-  
gnum restituit: ipse enim, et eius filij, illum Regem  
creant, ungunt, et Regem salutant. Athaliam uero,  
que eo nuncio, strepituq; accurrentium hominum,  
ac Regem collaudantium auditio, in templum accur-  
rerat: et Regem in solio sedentem conspicata, discer-  
pta sibi ueste, ut populum concitaret, coniurationem  
eam esse conclamabat: necari permittit. Quid quo se  
huic historiæ commune est cum hæreticorū morte?

¶ Reg. 9.7.  
Iehu item res peculiari Dei mandato gestæ fuere,  
ut ad Achabi domum, et stirpem extinguendam eius  
manu ueteretur. Vates enim ad eum in Regem ungen-  
dum missus, Ego te ungo (inquit) Regem Iouani po-  
puli, ut Achabi domini tui stirpem perimas: et que  
sequun-

## SECTIO TERTIA.

215

sequuntur. Nisi enim hoc speciali Dei iussu factum fuisset, & propter idolatriæ crimen ex lege punienti fuissent Achæt filij, non ferro percuti, sed lapidibus obrui, lege ita statuēte debuissent. Adde, quod natu-tes Regem mungens non dixit, Deū eos interimi uel le religionis caussa, sed, ut seruorum suorum Vatum sanguinem ulciiceretur. Quid igitur locus iste ad hærelicorum cædem?

Eodem spectat Eliæ factum, qui Baalis sacerdotes Eliæ Exem-  
manu propria iugulauit. Speciali enim Dei instinctu plum.  
afflatusq; ab eo id factum fuisse quis ambigat? Vates e-  
nim erat, non Magistratus. Proinde non rectè colli-  
ges, si dixeris, Elias Vates, Dei spiritu afflatus, Baalis  
sacerdotes manu propria iugulat, ergo ciuilis Magi-  
stratus hæreticos capite plectere potest. Quod si ex-  
plum ualeret, non Magistratus, sed ipse uerbi Mini-  
ster eos propria manu iugulare posset. Simili modo  
liceret uerbi Dei Ministro Ioiadæ Pont. exemplo, ci-  
uilibus negotijs, politicarumq; rerum administratio-  
ni se immiscere, iyrannos occidendos curare, impe-  
rio eos abdicare, & in illud legitimos Principes resti-  
tuere. Quam quidem sibi autoritatē arrogat Rom.  
Papa: qui (hoc etiam fortasse exemplo abusus) Re-  
gna, Imperiaq; tractare, Reges deponere, alios in eo-  
rum locum subrogare, cœlum deniq; terræ miscere  
posse, persuasum habet. Sed, ut tandem summatis per-  
stringam: facta, ordinariam legum sanctiōnem trans-  
gredientia, specialijs Dei mandato, aut instinctu edi-  
ta, non possunt (ut alias quoq; ostendimus) nec debent

1. Reg. 18. 40.

### SECTIO TERTIA.

in exemplum generaliter trahi ad eos casus, quibus  
legum ipsarum ordinaria sanctione consultum pro-  
spectumq; est. Præterquā quod, tam si Asæ, Ioiada,  
Iehu, Eliæ, cæterorumq; exempla ualerent, cōtra ido-  
lolatras, blasphemos, & apostatas, non contra hære-  
ticos ualerent. Quod autem specialia extraordinaria  
facta non debeat (ut dictum est) per consequentiam  
ad generalem regulā trahi: per pulchrè quidem ostendit P. Viretus, quum in hæc ferè uerba inquit, Modò  
extraordinaria hæc potestas ab Ecclesiarum Mini-  
stris in consequentiam trahi non potest, ut inde perpe-  
tuā regula statuatur. Si enim extraordinaria res est,  
non potest ex ea probari, neq; in ea fundari Eccle-  
siarum authoritas: quæ ex æterna Dei autoritate  
pendere debet.

At enim, quia inter exempla Regum ab eis allata  
firmissimum fundamentum statuunt in Iosia: qui in Ec-  
clesiæ dilapso statu restituendo Baalis sacerdotes ne-  
cari iussit: quum Asæ quoq;, Iosaphati, & Ezechie  
historias citauerint, ab eis peto, atq; contendeo, cur po-  
tius Iosiae seueritatem, quam Asæ, Iosaphati, & Eze-  
chiae lenitatem, & impunitatem Magistratibus neces-  
sariò imitandam proponant. Eos satis constat nō tan-  
tum idolorum sacerdotibus, sed uniuersis, qui Dea-  
strorum simulacra coluerant pepercisse. Qua de re  
statuendum est, aut eos in criminibus condonandis,  
aut illum in vindicandis errasse. Veruntamen neu-  
tris equidem eorum deliquisse crediderim. Sed po-  
tius, ut sanctos Dei seruos decet, eorum quemlibet er-  
gisse

## SECTIO TERTIA.

216

gisse censco, ea ratione quam in oblata sibi occasione  
sancti numinis afflatu moniti, Deo probari cognoue-  
runt. Ex quibus omnibus tandem colligimus, aduersa-  
rios exemplis ab eis allatis hoc tantum euincere pos-  
se, Reges, Principes, ac Magistratus antiquos illos  
imitando religionis curam ac tutelam suscipere pos-  
se, sed in hominum uitam ea de causa sine diuini spi-  
ritus speciali instinctu sequire, nequaquam.

Phinei exemplum, quod pleriq; allegant, adeò fri Num.<sup>25</sup> 8. gendum, adeoq; huic rei inceptum esse apparet, ut responso uix dignum uidetur. Perpendat, si quis sage-  
mentis est, quām bene cohæreat si dicas, Phineus pri-  
uatus homo coram Moſe summum Magistratum ge-  
rente Dei studio impulsus hominem Israclitam inter-  
ficit, eò quod contra Dei mandatum cum Madianiti-  
de foemina consuetudinem habuisset; ergo Magistra-  
tus hereticos interficere debet. Si hoc exemplū Chri-  
stianis imitandum proponatur, priuato cuilibet homi-  
ni facultas erit fontem quemlibet quocunq; modo cō-  
tra Dei leges peccantem, & (quod plus est) in ipsius  
Magistratus oculis trucidare. Præterquam quod, ut  
etiam exemplum ualeret, stupratores peteret, nō hæ-  
reticos. Adde Phinei priuati hominis factum in po-  
estate constitutis normam esse non posse. Magistratus  
enim rei gerendæ ratio ex legum decreto, non ex pri-  
uatorum hominum exemplis desumi debet. Hic uero  
iterum inculcant (ut supra in Ananias & Sapphiræ  
supplicio) suum illud extraordinariæ potestatis argu-  
mentum: Phineum scilicet in facinore illo perpetrans

f

### SECTIO TERTIA.

do extraordinaria Magistratus potestate usum facisse.  
Verum, quid opus est, ordinaria uigente, extraordinaria uii? Præsente Moze summo Magistratu nihil  
causæ erat, cur priuatus homo publ. potestatis ius in  
Magistratus ipsius contumeliam sibi arrogaret. Zelus  
igitur impetus ille fuit speciali Dei instinctu in eo con-  
citatus; tantumq; ab est ut exemplum fuerit à Magis-  
tratibus aduersus hæreticos imitandum, ut potius an  
maduersione dignus futurus esset ipse Phineus, nisi e-  
ius factio à Ioua collaudato, Moses Dei spiritus afflatus  
rem gestam esse non deprehendisset.

Sed hoc loco iterum considerandum occurrit ue-  
terum pairum factis in exemplum adhibitis multa no-  
bis permisum iri à quibus prohibemur. Quod qui-  
dem argumentum superius tractatum, fuisus decenti  
oblata occasione tractare promisimus. Primo igitur

Gen.12. & 20. Abrahamus, ut saluti sue consuleret, mentitus Saram  
sibi sororem esse, bis eam stupri periculo obiecit: nec  
usquam legimus eius factum, & incepsum à Deo im-  
probatum, aut ob id Abrahamum castigatum, obiur-  
gatum ne fuisse. Licet ne igitur nobis mentiri, & ue-  
ritatem cum nostro, & alterius periculo celare?

Ipsemet Abrahamus, & Isaacus eius filius, Iacob  
bus quoq; & pleriq; sancti patres plures uxores du-  
xere: Erimus ne nos quoq; his exemplis contraius,  
fasq; perpetuumq; Christianæ Ecclesiæ morem, po-  
lygam?

Præterea, nō solus Solomon luxui, & libidini de-  
2. Sam.15.16. diuus homo, & idololatra, uerum David quoque uir  
sanctis

## SECTIO TERTIA.

217

sanctissimus, & Deo gratissimus, præter coniuges ma- 1. Reg. II. 3. •  
gnū concubinā gregem aluere. At Regū istorum  
exemplo erit nō fas Christianis Regibus Turcarum  
Tyrannorum more scortorum gynæcia educare?

Loti filii, ut soboli prospiciant, cum patre con- Gen. 19.  
cumbunt: concipiunt amb. e. amb. & q; pariunt. Cur igi-  
tur antiqua, & singularia exempla (scilicet) imitan-  
do, filiabus nostris idem non licet?

Thamar mutatis uestibus, ac uelata facie socero Gen. 38. 18.  
Iuda fraude decepto, illi se se prostituit, gratuidaq; fū.  
Eta, Pharem parit, à quo Christus oriundus. Est ne  
hoc imitatione dignum exemplum?

Rachel mulier sancta patris penates surripit, nec Gen. 31. 19.  
à Deo sui facinoris, nedum supplicium, sed ne olitur-  
gationem quidem tulisse legimus. Quid igitur? nos  
itidem eam imitantes, Papistarum aureos calices, ar-  
gentea simulacra, gemmeas cruces, Attalicasq; uestes  
diripere impunè poterimus?

Quum Eglon Moabitarum Rex deuidos Hebre. Iudic. 3. 21.  
os sibi subiecisset, Aodus, qui & Eliud, per quem po-  
pulus Egloni honorarium mittebat, simulans arcānū  
aliquid ad eū habere, solitudine impetrata, sica, que  
sub ueste latitabat abrepta, uentrem Regi transuerbe-  
rat: mortuoq; reliquo ille sus euadit. Cur igitur hoc  
exemplo, nedum Magistratibus, uerū cuiuis etiam  
priuato Christiano homini, Papistarum Satrapas, ad-  
eoq; Antichristum ipsum, ui, aut fraude interficere nō  
liceat? quod tamen nostrorum quamplurimis pro-  
bari intelligo.

### SECTIO TERTIA.

**Audi. II. 30. 39.** Par i ratione Iephithæ exemplo, qui natam suam, quam unicā habebat, ex uoto louæ propter uictoria nuncupato immolauit, similia uota uouere & reddere poterimus. Nam Iephithæ factum Deo displicuisse non legitur.

Videat igitur pius quicunque; lector, quos, quantaque absurdia ex hac ueterum exemplorum ab aduersariis affectata imitatione consequutura essent. Quod si exceptiant, non omnia, sed quedam esse imitanda, inter non imitanda & imitanda distinguant, iusta tamen ex uerbo Dei ratione desumpta, necessum est. Sed potius (ut uera dicam) longè secus agenda res est, quam ut ueteris & aboliti fœderis exemplis, quicquā probari oporteat. Quod si etiam ea, quae ibi speciali Dei mandato gesta fuere imitanda dicantur, cui tamē mandatum, hoc, aut hoc fuerit, & ad quem spectet, an maduertendum esse constat. Id quod per pulcrè nos docet Lutherus, quum quatenus nobis audiendus, & recipiendus sit Moses ostendere uolens, in hæc uerba

**Lut. Tract.** prorumpit. Nunc contrà faciūt scioli nostri, qui quæde leg. in Post. cunque in Mose scripta inueniunt eò trahunt, ut dicat,

**m. p. 483.**

Hic loquitur Deus: negari non potest: ergo sic facien  
" dum est. Ibi tum uulgas irrumpit, & clamat, Hæc uer  
" ba Dei sunt: & quisquam cōtendendum audet? Hinc  
" tandem fit, ut non secus quam porci ad haram impel-  
" lantur. Boni uiri, & (si Deo placet) prophetæ nuper  
" exorti, sic uulgo inculcarūt, Præcepit uero Deus po-  
" pulo suo, ut occiderent Regem Amalech, & id genus  
" alia. Ex quibus postea clades, & strages sequitæ sunt.

Nam

## SECTIO TERTIA.

218

Nam inde excitati rustici, temere, & absq; iudicio ir-  
ruerunt: itaq; miserè in errorem, & discrimin adju-  
cti sunt à bellis ipsi spirituum sacertoribus. Quòd si  
tum ibi locorum docti, & sapientes concionatores af-  
fuerint, ij potuissent excipere bellos istos hypocri-  
tas, & dixissent, Verum sane quidem est Deum sic  
præcepisse Moysi, sic q; populo loquitum esse: cæte-  
rū nos non esse illum qui tunc erat populus. Nam  
eodē quoq; pactio Adamo loquitus est: neq; ego pro-  
pterea Adam sum. Et Abrahamo iusit ut filium suum  
iugularet: Ego quoq; ipse Abraham sum, & filium  
meum iugulabo: aut quoniam Dauidi loquitus est, re-  
feram ego quoq; Dauidem? Verbum Dei, inquiunt,  
est. Est sane. Sed non statim ut quicquid uerbum Dei  
est ita tibi excquendum est: sed animaduerti necesse  
est, cui nam id uerbum fiat. Nam adhuc plurimum ab  
est, ut populus ille sis, qui cum Deo loquitus est. At  
ait propheta quispiam nouus, Atq; tu populus es, &  
tecum Deus loquitus est. Igitur (bone vir) planum  
hoc facito. His, & similibus modis poterant refelli, &  
eueriti impostores isti. Sed & Iep̄ ophelos: perire ultrō  
uolebat uulgus. Cecidit ergo ita: & omnes unā pē-  
sum ierunt. Sed cum scriptura modestè, & non teme-  
rē agendum est. Verbum Dei uariè, inde usq; ab ini-  
tio factum est: neq; tam spectandum est si uerbum Dei quem spectet  
sit, quam ad quos uerbum illud factum sit, & an ad te considerandū  
pertineat. Hic tum demum inter album, & nigrū di-  
gnoscetur. Nam Deus Dauidi pollicitus est, Ex te (in-  
quit) Rex ueniet: hoc nihil ad me attinet, nec mihi di.

### SECTIO TERTIA.

» Eum est. Potest autem ad me uidem; sed tunc quum u  
» sum fuerit, dicere. Tibi autem aduertere oportet id  
» quod tibi dicitur, & quod ad te atinet. Duplex enim  
» uerbum in scripturis est. Primum ad me non perii-  
» net, neq; mihi dicitur. Alterum pertinet ad me, & mi-  
» hi dicitur, & propterea fortiter in hoc confido, &  
» ceu aliqua firma peira inuitor. At ubi ad me non spe-  
» elat, ibi nec accipio illud. Nunc prophetæ illi nuper  
» nati, hoc (inquiunt) uerbum Dei est. Est sane; quis  
» negat? Cæterum populus ad quem factum est nos non  
» sumus. Sic argui spiritus cooriebantur, & nouum  
» quiddam statuebant; quod dicerent, uetus Testamentum  
» nobis quoq; seruandum esse, sequendumq;: eoq; pa-  
» sto rusticos in eiusmodi discrimen attraxerūt, ut cura-  
» liberis, & coniugibus omnes disperirent. Putabant  
» enim stolidi celatum sibi fuisse hoc, neq; à quoqua indi-  
» catum quod occidere deberet. Et inferius subdit, Pro-  
» inde ad factiosos istos spiritus dicito, Mosen cum po-  
» pulo suo missum faciamus; nam ille iam desuit, neq; ad  
» me quicquam amplius pertinet. Sed id uerbum acci-  
» pio, quod ad me propriè spectat. Mihi dictum est, Qui  
» crediderit, & baptizatus fuerit, saluabitur. Item, Va-  
» de, & proximo tuo fac iuxta quod tibi factū est. Hoc  
» igitur discrimen diligenter attendere & proprius ani-  
» mo complecti debent concionatores iij, qui ceteros  
» docere uolunt, imò in uniuersum Christiani omnes.  
» Nam caput, & arx omnium in hoc posita est. Quod  
» si à rusticis animaduersum esset, plures multò seruati  
» essent incolentes, & minus multi perirent. At si hoc  
quidem,

quidem, ceu præscriptum est, non seruabitur, scilicet et  
factiones orientur; & inculcabimus temere in rude,  
& stolidum in agus, citra omne discriminem, Verbum  
Dei est; quum longè aliter res habeat; & uidendum sit,  
non ut quodcunq; uerbum, sed apud quosnam factum  
sit.

Veruntamen sapientes isti, nouiç; prophetæ (quan-  
do hoc nomine eos Lutherus appellat) Nos quoq; in-  
quiet, rationem hanc haberi uolumus. Quocirca,  
que ad Reges, & Magistratus spectant, à populo, pri-  
uatisq; hominibus peragi non posse censemus. At  
haud quaquam in hoc uersatur huius discriminis car-  
do. Lutheri enim institutum non est inter priuatam,  
& publ. personam, sed inter populum & populum  
distinguere. Nam si quis eius uerba attente perlege-  
rit, aperte intelliget ab eo asseri, uerba omnia, que ad  
Hebræum pop. facta fuere, ad genitile, adeoq; ad Chri-  
stianum minimè spectare. Quod tamen postremis ferè  
tractatus illius uerbis, superius à nobis allatis clarius  
concludit dum ait. Sic igitur quæcunq; imperia à  
Deo sunt, que ad leges attinent, ea solos iudeos pe-  
tunt. Et contrà que in Euangeliō continentur, ea ad  
uniuersum orbem spectant, neq; aliquem excludunt.

Iosuæ igitur munus Amalechitas trucidandi, &  
Mose, & Eliæ apostatas, pseudoprophetas, idolo-  
tras, & blasphemos lapidandi, & iugulandi relin-  
quamus; & Euangeliō aures præbentes, cum ignarisi-  
mentisq; oculis captis hereticis caratione agamus,  
qua mihi simi Regis nostri Iesu Christi, sanctorumq;

### SECTIO TERTIA.

suorum uerbis moniti, instructiq; sumus. Sed quid ad-  
huc nobis obiectatur expendere ne grauemur.

Aegerrimè autem ferunt aduersari ut egomet i-  
psorum quosdam querentes audiui se, ab ijs qui no-  
stræ partis sunt, nouos interdum Papas, & Inquisito-  
res appellatos fuisse: & ad notam hanc sibi iniustum  
delendam, latè fuseq; ratiocinando differunt, quam  
longè distet eorum cum hæreticis agendi ratio à Pa-  
pistarum iniquissimis institutis. Cuius uerba breuita-  
tis ergò omittere libet. Ego uero à fraterna Christia-  
na charitate non adeo discedam, ut fratribus de Chri-  
stiana Republica multis nominibus benè meritis o-  
diosi ac impiissimi antichristiani nominis notam inu-  
ram, mulium enim deest, ut propriè, & absolutè noui  
Papæ possint appellari. Attamen (quod citra offendit-  
culum, eorumq; pace dixerim) non tam absurdā, &  
impropria appellatio est, ut ipsis iniuria lacescatis es-  
se uidetur. Nam mihi dicant, obsecro, quid refert, ad  
eos hac in re Papæ, suisq; inquisitoribus comparan-  
dos, an sit ipsorum agendi ratio, illorum rationi per  
omnia similis nec ne? Nonne satis est ad compara-  
tionem rectè statuendam ipsos in principe, & præci-  
pua huius articuli parte cum illis conuenire? Hoc au-  
tem negaturos ipsos non credam.

Ea uero est, hæreticos carnalibus armis diuexa-  
ri, ijsdemq; tandem à ciuili Magistratu multandos et  
occidendos procurari posse. Quis autem scelerati  
huius agendi modi origo, & inuentor alius exiuit  
quam Romanus Pontifex. Is contra ius, fasq; Dei q  
mandar

mandatis diserte refragantibus, comburit, demergit,  
aut restit suspendit eos, quos hereticos esse persuasum  
habet. Aduersarij itidem hoc faciunt, quandoquidem  
eos necant, quos sane doctrinæ corruptores esse cen-  
sent. Neq; uero hic excipient oportet, Papam, eiusq;  
ministros falsò ac perperam pro hereticis habere,  
quos ut tales interficiunt, se autem uero ac iusto iudi-  
cio ueros hereticos cremare. Nam, ut hoc illis detur,  
ad comparationem hac in parte ritè formandam, hoc  
tantum sufficit, ab utrisq; eos occidi quos hereticos  
esse autumant. In quo neutri illorum Dei uoluntati,  
eiusq; ordinationi obsequuntur. Odioso igitur no-  
uorum paparum nomine omisso, si eos non papas, sed  
pape imitatores esse dixero, illos iniuria afficeré non  
putarim.

Quid uero tandem dicam de quorundam ex ipsis  
ratioincatione, plus in se improbitatis, & malitiae,  
quam ueritatis, & charitatis habentes? Hoc est, cun-  
ctos qui hereticos capitali poena iustè punire negant,  
eidem culpe se obnoxios ostendere, & porrò ha-  
reticos esse, falsum quippe, odiosum, cæcumq; iudici-  
um, hominum sui impotentium, iræ mancipiorum, bi-  
lem cohibere nesciorum. Qum istud autem omni  
prorsus & qua probatione carcat, manifestè apparet,  
rhetorico quodam colore ab ipsis in medium adferri  
ad caussam suam exornandam, rem amplificandam,  
& exaggerandam, diuersum sentientibus intuidam  
odiumq; conflandum, contraq; eorum sententiam di-  
centes, aut scribentes perturbandos, & si qui fraco

### SECTIO TERTIA.

animo sint ab incepto deterrendos. Cæterum quum  
thesem hanc suam nullo arguento communiant, sa-  
tis erit pro responso simplex negatio. Vnum tantum  
addam, quod si hæretici habendi sint cuncti, hæreti-  
cos occidi debere negantes, tales quoq; haberit opor-  
tere. Hilarium, Chrysostomum, Augustinum, cæteros  
que ueteres patres. Iudem etiam Musculum, Luthe-  
rum, Brentium, totq; alios recentiores Theologos,  
quorum apertissima iestimonia de hæc eadem senten-  
tia afferenda citauimus. Quin imò, ut iam papistarū  
exemplo, tanquam non secus atq; illi cauſe nostræ  
diffidamus, apud nos quoq; ferè receptum est, iſtorum  
omnium, utpote hæreticorum, scripta uniuersa, aut ea  
saltem, unde iestimonia illa deſumpta ſunt, & alia e-  
iusmodi deſumti poſſunt, damnare, legi prohibere, ac  
tandem igni concremare deberemus. Quòd si quis  
eorum adhuc in uiuis eſſet, cauendum proſecto ſibi  
foret (ut equidem cauebo) ne in manus incideret con-  
traria ſentientium: non enim niſi ægrè admodum ſal-  
uus inde euadere poſſet. Veruntamen, ſi huius articu-  
li cauſa tam egregij, tum antiqui, tum nostri tempo-  
ris uiri hæretici ſunt habendi, equidem (ſi me Deus a-  
met) malo cum illis hæreticus iudicari, quam cum co-  
traria ſentientibus orthodoxus. Cæterum quum om-  
percurriſſe uideamur, iam ad quartam Deo iuuante  
ueniemus.

### SECTIO QVARTA.

Nos

**N**os igitur adeo Magistratum à uera religio-  
nis cura, puræq; doctrinæ tutela non prohi-  
bemus, quod nobis ab aduersarijs culpe, ui-  
tioq; uertitur ut potius in pijs. eque, ac dodif-  
simi Musculi sententiam pedibus eamus, afferētis, reli-  
gionis curam, ac tutelā ad Magistratus, quam ad Mi-  
nistros reclus, præcipueq; pertinere. Legant, si qui  
dubitant, eius locorum communium lucubrations,  
ibiq; uidere fas erit, quam pie docte q; , & eleganter  
locum hunc pertractet, atq; concludat. Hac igitur ra-  
tione plus forsitan Magistrati concedemus, quam qui-  
busdam concedendum uideatur. Sed præstat in Eccle-  
sia Dei Magistratum, quam Ministros auctoritate an-  
tecellere: ne (ut est captus hominum alijs præstare na-  
tura cupientium) tandem aliquando inter nos quoq;  
Episcopi Regibus imperarent. Non enim alijs artibus  
Rom. illa bestia eo fâstigij euæcta est, quò haud siccis  
quidem oculis à multis etatibus uideri potuit, dum  
Regibus religionis curam ad solos Episcopos specta-  
re persuasis, adeò omnia illis permitta fuere, ut uiri-  
bus aucti, & agris, pecunijs, ac ditionibus locupleta-  
ti, in secularia (ut uocant) Regna demum inuaserint,  
& Imperatorum cervices (si credere dignum est) e-  
tiam pedibus concularint.

Huius uero Principum ac Magistratum mune-  
ris ac potestatis, per pulcrum profecto, & illustre ex-  
emplum habemus in Iosia Iudeorum piissimo Rege:  
qui quum Iouæ ædes, quæ multos ante annos corru-  
erant, essent resarcieðæ, Dei q; cultus, uicerum aliquot

## SECTIO QVARTA.

Regum culpa corruptus, ex legis Dei præscripto re-  
 stituendus, quumq; Iouæ legis liber in templi ruinis  
 ab Helcia Pont. Max. repertus esset; i<sup>e</sup> Rex, non au-  
 tem sacerdotes, propria functus autoritate, que de-  
 cebant, quæq; oportebant exequenda curauit. Nam  
 primum omnium, Helcias libro reperto haud tan-  
 tum sibi assumpsit, ut inconsulto Rege Dei legē pro-  
 mulgaret, sacra institueret, idola perfringeret, impiū  
 eorum cultum abrogaret, ac Iouæ antiqua præcepta  
 publico edictio seruanda præciperet: uerū (ut sacra  
 uerba sonant) Saphani scribæ dixit, se si librum legis  
 in templo Iouæ reperiisse: eumq; illi tradidit: quem  
 ubi legit Saphan, Regi renunciatum iuit: ac postquā  
 ei retulit, eius seruos repartam in templo pecuniam  
 subductis rationibus curatoribus operis templo Iouæ  
 præpositis erogasse, hoc quoq; nunciauit: librum sci-  
 licet sibi ab Helcia Pont. esse traditum: eumq; apud  
 Regem recitauit. Tum Rex auditis uerbis libri legis,  
 discriptis uestimentis suis imperauit Helcia Pont. &  
 Ahichamo Saphanis filio, & Achobori filio Mi-  
 chaiæ, Saphani scribæ, & Asaiæ stipatori regio, ut lo-  
 uæ oraculum sciscitatum irent pro Rege, proq; po-  
 pulo, & omnibus Iudeis, super uerbis reperti libri.  
 Iouanenim in illos magna ira exarsisse, quod eorum  
 patres eius libri uerbis non obtemperassent, neq; ea  
 omnia obiuissent, quæ ipsis præscripta fuerant. Tum  
 Helcias, cæteriq; prædicti, haud ignari in religionis  
 negocio, nō minus quam in ciuili politia, Regis præ-  
 ceptis à Dei lege non abhorrentibus parendum esse;  
 haud

2. Reg. 22. 8.

## SECTIO Q VARTA.

222

haud responderunt, Non tu muneris est (ô Rex) quæ  
ad religionem pertinent obire: tu Remp. capesse, in e-  
ius curam incumbe, fontes vindica, probos tutare, bel-  
la gere: rerum autem ad religionem spectantium tra-  
ditionem sacerdotibus (ad quos perimet) integrum  
permite. Quin imò ad Holdam uatem à Rege ablega  
ti, mandata fecerunt. Is autem Vatis responso à lega-  
tis accepto, cunctis Iudeorum, ac Hierosolymæ sena-  
toribus ad se conuocatis, in Iouæ templum ijs omni-  
bus stipatus ascendit: illisq; astantibus, omnia libri soe-  
deris in Iouæ templo repertii uerba recitauit: & pro  
suggestu astans pepigit coram Ioua, sequi eum, eiusq;  
præcepta, monita, decreta tota mente, totoq; animo  
conseruare: omnia foederis illius dicta in eo lib. scri-  
pta præstanto: quum quidem in ea pactione cunctus  
adesset populus. Iussitq; Rex Helciæ Pontif. Max. ex  
secundarijs sacerdotibus, liminisq; custodibus, ut ef-  
ferrent ex Iouæ delubro omnia uasa Baali, & luco, et  
omnibus copijs cœlestibus facta: ijsq; extra Hierosolymam  
in Cedronis conualle combustis, eorum pul-  
uerem deportandum curauit: flaminesq; qui à Iudeæ  
Regibus instituti in sacellis per Iudeæ oppida, & Hie-  
rosolymæ finitima Baali, Soli, Lunæ, Planetisq; om-  
nibus, cunctis deniq; copijs cœlestibus adolebant, su-  
stulit. Et lucum ex Iouæ templo extra Hierosolymam  
ad torrentem Cedronem exportatum apud torrentē  
concremauit: eoq; in cinerem comminuto, cinere illo  
popularium sepulcra conspersit: & ganeas in Iouæ  
templo positas, ubi mulieres luco conceptacula texe-  
bant

## SECTIO QVARTA.

bant destruxit; abductisq; omnibus sacerdotibus ex illis  
de eis oppidis, facella in quibus adoleuerant sacerdotes  
a Gaba ad Bersabam polluit: diruitq; facella portarum  
ante portam Iosuae praetoris urbanus ad sinistram por-  
tae urbis posita. Omnia deniq; peregit, quae ad uniuersam  
idolorum, & idololatrie destructionem pertine-

Ibid. vers. 21. re intellexit. Posthac, Hierosolymam reuersus, iussit  
Rex omni populo, ut Pascha Iouæ Deo suo agerent,  
sicuti prescriptum erat in libro foederis illius. Nullum  
enim tale Pascha actum fuerat a temporibus praesiden-  
tium, qui præfuerant israelitis, totoq; tempore Regum  
Israelitarum, Iudeorumq; quale id actum est Hiero-  
solymis anno Regni Iosiae duodecimo.

Simile exemplum elici potest ex rebus gestis Ase-  
Iudeorum Regis: qui propria sanctus authoritate, in  
consultis sacerdotibus, nec eorum iussu, aut monitu-  
peregrinas aras, & facella, ut supra uisum est, susti-  
lit, statuas perfregit, lucos succidit: ac publ. tandem ce-  
dictio Iudeos Iouæ patro ipsoq; Deo standere, legem-  
que, & disciplinam obire iussit.

At enim Iosaphatus piissimus eius filius, eiusq; in  
Regno successor, illustrius quoq; huius rei exemplum  
nobis præbuit: qui propria iudicium nixus authoritate,  
non tantum facella, & lucos ex Iudea sustulit, uerum  
anno Regni sui tertio misit Doctores, Sacerdotes, ac  
Leuitas, qui per uniuersam Iudeam repertum legis li-  
brum circumferentes, populos docerent: qui omnia  
Iudee peragrantes oppida, uulgò docuerunt.

Sed quid Ezechias Achazi filius? Qui præterqua-  
quod

## SECTIO QVARTA.

223

quod sacerdotibus inconsultis serpentem aeneum à Mo Ezechiae exēse conflatum, cui ad id temporum Israelite adolebat, plum.  
 contrivit: quāto studio, & animi ardore ueri Dei cultus instaurationem procurauerit, non ea sola diligētia percipitur, qua cunctis Iudeorum, Israelitearumq; populis per epistolas significauit, ne patres, & consanguineos suos imitarentur, sed ad Iouam redirent: ue-  
 rum cura quoq; ab eo adhibita in ijsdem ad sacrum Pascha Hierosolymæ celebrandum invitandis: quod quidem iam diu ex prescripto factum non fuerat.

Quin & Manasses, quum resipiscens peccatum suum cognouisset, & ad frugem reuertisset, ac Deo implorato erratorum ueniam commeruisset, Hierosolymam reuersus, Deos peregrinos, & signū, quod ipsem in Iouæ fano crexerat deiecit: arasq; omnes, quas uel in monte templi Iouæ, uel Hierosolymis ex-  
 truxerat, sustulit, & extra urbem proiecit. Adhuc a-  
 ram Iouæ construxit, & ad eam pro salute, & grati-  
 animi testimonio sacra fecit, Iudeisq; ut Iouam Israe-  
 litarum Deum colerent imperauit.

Quum igitur superiori proxima sectione, Luther-  
 ro auctore a nobis demonstratum sit, ueteris foederis scripta charitatis, & pietatis exemplanobis submini-  
 strare, & alibi quoque, ea omnia nos imitari posse,  
 que uerbo Dei expresse non repugnant, quis ambigat sandorum Regum illorum imitatione nixos, eorumque ipsi exemplis, Reges nostros ac Magistratus reli-  
 gionis curam, ac tutelam sumere posse. Id quod pre-  
 ter Musculum, Bulling. quoq; egregie expreſſit. Ipſe  
 enim,

## SECTIO QVARTA.

Bull.adhort.  
ad omn.eccl.  
min.38.

enim, postquam omnia ueterum Regum supradicta  
exempla citauit, Imitatus est ( inquit) sanctissimorum  
horum Regum exempla D.Constantius Magnus, ac  
similia in suo Imperio fecit. Nam quum ipsius tempo-  
ribus Episcopi inimicitias exerceant, ac scriptis, &  
concionibus inter se certarent, & preterea etiam li-  
bellos, quibus se mutuo criminabantur ipsi Imperato-  
ri offerre ausi essent, ut coram ipso contenderent: ac-  
ceptis omnibus libellis grauiter ipsos obiurgauit, &  
quum diuinitus uniuerso populo pastores, & duces  
concordie dati sint, ipsi inter se adeò discordes sint.  
Neq; etiam sententiam ferre de eorum controuersiis  
uoluit, aut libellos sibi traditos legere: sed eos in igne  
coniecit: ut uel sic discerent quantopere suæ conten-  
tiones, & iurgia sibi displicerent, & tandem omis-  
rinx, & criminationibus concordiam colerent. Atq;  
quum in Niceno Conc. inter Episcopos consedisset,  
inter quos uariæ quoq; contentiones erant, proposi-  
tis prophetarum, & Apostolorum librīs, hoc est sa-  
cris Biblijs, iussit ex ijs controuersias componere, &  
unanimiter eandē fidem prædicare. Illustrē hoc exem-  
plum præstantissimi imperatoris Constantini, quem  
Deus in hoc quoq; seculo magnum fecit: cuius nomen  
& gloria postea per uniuersum orbem apud omnes  
prudentes eximia, & illustris fuit: & longè clarior,  
maiorq; es in æterna felicitate: hoc inquam exemplū  
imitentur omnes Principes, ac Magistratus, & no-  
stra ætate idem faciant erga Ecclesiarum Ministros:  
ut sic paci, & publicæ saluti Ecclesiarum pariratio-  
ne

Nota Iussit.

ne consulant. Hęc ille: in quibus duo notāda, animad-  
uertendaq; uidentur. Primum Reges uerbi Ministris  
in religione afferenda, & promouenda authoritate  
olim præstuisse. Deinde tameſti Episcoporum quos  
Bulling nominat discordiae (ut ex historia ipsa patet)  
non in minimis, aut adiaphoris, ſeu fidei infirmitate,  
ſed circa præcipuos religionis articulos uertebantur,  
atamen Cęarem in male sentientes Episcopos ciuili  
gladio non animaduertisse: ſed ijs telis cæteros instru-  
xisse, quibus huiusmodi certamina peragi decet.

Modò, ut ad propositum redeamus, inter utriusq;  
potestatis functionem distinguentes, dicimus, Episco-  
porum munus eſſe, uerbum Dei p̄dicare, tum etiā  
ſacramenta administrare. Ad hęc, & ḡros uifitare; mo-  
rientes conſolari, & ad fidem in Chriſtum, & morte  
forti animo ferendam adhortari; funera procurare; af-  
flictos ſolari; ignaros docere; imbecillos conſirmare;  
pauperum cura incumbere; collectas ad eorum ege-  
ſtatem iuuandam procurare: male de religione ſenti-  
entes impugnare, Dei q; uerbo illis rēfiffere, eos hor-  
tari, obiurgare, increpare, minari, & ſpiritus gladio  
false dogmata in eorum mentibus, quoad eius fieri po-  
test, iugulare. Quod si res male cefſerit, uotisq; diuer-  
ſum ſortiatuer euentum, illis ſuam ſententiam peruita  
citer retinentibus, ac bis, terue ad Euāgeliū p̄ſcri-  
pium ritē monitis, neq; ob id ad frugem redeuntibus:  
tunc demum non cefſet extrellum illud Ecclesiæ hor-  
ribile telum, ac (ut uocant) fulmen, excommunicatio-  
nis ſcilicet gladius: quo putridum membrum ab Ec-

## SECTIO QVARTA.

eclesie corpore abscindatur, ne bencualentia inficiat:  
tantisper dum recuperata uolente Deo ualetudine, ei  
tra contagij discrimen in ouium bencualentium gre-  
gem tutò recipi posse. Quod quidem fulmen (ut o-  
stendimus) extremum non esset, si post cum alio telo,  
accusatione uidelicet & delatione ad ciuilem magi-  
stratum ab Ecclesia percuteretur hereticus: neq; mor-  
bidæoui conualescendi spatium daretur, si pastore  
procurante, ferreo gladio iugularetur.

At fortasse obijcas, quid igitur Magistratu*i* pera-  
gendum relinquuntur, si haec omnia Episcopo ipsi ob-  
eunda credideris? Vbi nam Magistratus potestas illa,  
& authoritas, qua cum in religione afferenda ac pro-  
mouenda præditum esse & episcopo prestare dice-  
bas? Multa sane quidem illi peragendarelinquuntur,  
ad religionem sanamq; doctrinam asserendam, pro-  
mouendam, tutandam, conseruandam, & Domini ar-  
grum à malis herbis purgandū perinentia: quæ qui-  
dem Episcopum obire minimè licet, eumq; hac in re  
Magistratu*i* inferiorem ostendunt.

Primum igitur omnium Christianus ac pius Prin-  
ceps, seu Magistratus, populorum suorum gregibus  
probos, uirtute præeditos, mites, humanitatis haud ex-  
pertes, seruore charitatis ardentes, doctrinaq; pollen-  
tes pastores (Ecclesia tamen in id consentiente) pre-  
ficere satagi'o: ijsq; moribus imbutos, ut inculpatæ ui-  
tæ exemplis doctrinæ authoritatem concilient, non  
qui contrà, turpis ac uiciose uitæ specimine doctri-  
næ (ut assolet) efficacitatem ac fidem derogent. Insu-  
per,

## SECTIO QVARTA:

27

per muneric sui esto, Ministrum morum improbitate peccantem, aut falsa dogmata docentem punire, & coercere, munere abdicare, & Ecclesiæ uoto concurrente, alium functioni preficere. Præterea omni studio, omniq; adhibito opportuno, ac decenti remedio curato, ut, piorum veterum Regum exemplo, idola omnia, idololatria ipsa, falsusq; omnis cultus ex ure, & Regno suo penitus exterminetur, ac ne quis ea restituere audeat lege caueto: ac tandem à uero Deo ad idola immunda, siue Christo abnegato ad Iudaismum desciscentes, aut ad eadem alios suadentes, iusta ratione coerceto, ac multato.

Ad h.ec omni studio ac diligentia ipsi inuigilandū erit, si quis forte fanatico spiritu percitus in agro Domini adulterium semen inter triticum sereret: & ea qua pollet potestate, ne malum longius, aut latius serpat curandum. At uero hoc inquam intelligo, si prius Ministri munere suo functi, ijs quæ supra commemo rauimus armis decertantes, errantium peruicaciā retundere nequierint. Tunc autem non cesset civilis facultas si æquis rationibus à Christiana charitate nō abhorrentibus, imminenti malo occurrat.

Sed locus hic de sanæ doctrine cura à Magistratis habenda à Musculo adeò piè, doctè, & absolute tractatur, ut meo quidem iudicio nihil melius desiderari possit. Cuius uerba quia superius secunda sectione recentiorum sententias citantes notauimus, ne electori molesti simus, hic reticenda, esse iudicauimus, cumq; monemus, ne uerba illa iterū legere grauetur.

## SECTIO QVARTA.

Ex eis enim, non solùm ipsius Musculi sententiam de Magistratus hac in re officio intellige, sed an illius scripta partibus aduersariorum fauencut ipsi quidē iactant necne dilucide percipiet.

Videbit enim, maius supplicium, quo bonus ille vir hæreticum, etiam (si dari potest) insanabilem, plementum censeat, carcerem, non ignem esse. Si modò hoc supplicium appellari potest, quum non in hæretici poenam, sed salutem, ac etiam præcipue ne orthodoxy eius doctrina infici possint, coertio huiusmodi ab ipso, & à quibusdam alijs excoxitata fuerit.

Verum enim uero, quia superius ostendimus quam ineptum, insulsum, absurdumq; sit, & (quod plus est) periculosum, si index in sententia ferenda, ex alieno iudicio, non ex propriæ conscientiæ certitudine pendere debeat: magnopere Principi entendum censemus, omniq; studio, ac pietate ab eo operam dandam, ut de doctrina, quam afferere, promouere, tutari, & in Regno suo conseruare, ac de ea, quam contraria exigere, & prohibere debet, quoad eius fieri possit certior fiat. Hoc autem sacrarum literarum assidua lectio, pia uoluntate, feruidisq; ad Deum precibus intercedentibus facile assequetur, & impetrabit ab eo patre, qui filio panem petenti nunquam lapidem

Ios. 1, 4. Quapropter præceptum illud sibi datum autumet, quo dixit olim Iosuæ Deus, ut legis librum nunquam non in ore haberet, deq; eo dies noctesq; cogitaret, ut omnia in eo scripta curaret exequenda. O beatum huiusmodi Regem. Nam (ut Bulling inquit) locum

locum explicans de Aethiope à Philippo ad fidē per- Bull. in Act. 8.  
tracto, quem sacras literas legentem inuenierat; Vtinā pag. 69.  
tales haberemus. Principes: sanè plus felicitatis re-  
gnaret, minusq; miserie.

Ad h.ec pias synodos in urbe, & Regno suo habe-  
re curato, in quibus liberum cunctis sententia dicen-  
di sit arbitrium, non autem papistico more præiudi-  
cij agatur: ueterumq; piorum Imperatorum exem-  
plo inter Episcopos, seu uerbi Ministros sedeto: que-  
que ad purum Dei cultum, sanamq; eius doctrinā spe-  
ciant declarari, si que uero dubia sint explicari cura-  
to. In ijsq; tractandis, si præter Regni, Provinciæ, aut  
urbis sue Ministros, uicinarum Ecclesiæ, si qui  
sint doctrina, moribus, ac pietate præclari antifitnes  
euocarentur, cumq; illis consilia omnia communica-  
rentur, non solum improbandum, sed apprimē  
laudandum putarim. Hinc tandem Dei uolutatis, cum  
per synodi decreta, tum proprio studio certior fa-  
ctus, leges suæ promulgato, publicisq; edictis caue-  
to, ne quis contrà quam à pia synodo statutum, sanc-  
tumq; sit, doceat. Si qui deliquerint, & ab Episco-  
pis rite moniti, non resipuerint, neq; ab incepto desti-  
terint, ut supra dictum est, coerceto, atq; reprimito.

Neq; uero hic (ut quispiam fortassis argutè ex uer-  
bis nostris colligere se posse arbitretur) iurisdiccio-  
nes confundimus, adeò ut geminæ politiæ distinctio  
corruat, quam principiò inter spiritualem, & ciuilē  
potestatem instituimus. Haud enim instituti nostri est,  
de fidei & doctrinæ articulis indicandi facultatem,

## SECTIO Q VARTA.

hunc, aut illum hæreticum declarandi, à sacris prohibendi, à fratum cœtu arcendi authoritatem ciuiili Magistratui tribuere. Huius enim munus functio Episcopo, & Ecclesiæ omnino integra permitti debet. Nam ob fidei errata neminem ab alio mundi iudice, aliove gladio fas est puniri. At enim, quicquid ciuili potestati per nos tribuitur aliò non spectat, quam ad puram sanctamq; doctrinam afferendam ac conservandam, falsam uero delendam, ac destruendam. Tamen deniq; concludimus, iustum, pius, prudentemq; Magistratum, quem ex sacrorum librorum diligentia & assidua lectione, doctorumq; ac piorum Episcoporum sententias consultis diuinae ueritatis certior factus fuerit, ad eam promouendam, adulterinam autem extirpandam, leges, & instituta codere, publicoq; editio promulgare debere; quibus postea illicita docentes coerceat, legumq; limites transgredientes iusta ratione prohibeat. Hoc autem non eò, ut falsas animorum sententias, & quæ inde citra peruersam hominis uoluntatem manat, ex ierna facta incorporibus vindicet, uerum, ut peccati grassante, gregemq; corruptientem sifflat, ac satanam à malo serendo semine prohibeat. Nec statim, Musculo  
Mus. loc. c. 6.  
mu. cap. de hec affirmante, moueri debet Magistratus clamoribus corū resi.

Ministrorum, qui ad quosvis errantes opprimendos ciuilem potestatem sollicitant. Nam idem inferius, postquam Anabaptistarum ad fidem conuersionem narravit, ita ait. Huiusmodi exempla admonent Magistratus, ut talium Ministrorum uociferationibus haud facile locum præbeant; sed curent potius, ut Ministri quod

quod ipsorum est officij fideliter obeant. Nam, Mar. Pet. Martyr in  
tyre quoq; assidente, haud ignorare debet is, cui gla- Rō.13.p.609.  
dius commissus est, se custodem esse non modo poste- "  
rioris, sed etiam prioris tabule. Quare satagere de- Quaratione  
bet, ut religio quoq; rectè administretur etiā ex uerbo secundæ tabu  
Dei. Neq; putet ( quod hodie multi Principes sibi lę custos Ma-  
persuadent) eiusmodi curam nihil ad se pertinere. Vo gistratus intel  
lunt quidem illi sacerdotia, & Episcopatus distribue ligatur.  
re quibus uisum fuerit: ut autem illis, quos ad tales di- "  
gnitates euerterunt, officio suo fungantur, nihil cu- "  
rant.

Sed ad Musculum redeo; qui Magistratus in reli- Musc.ibid.  
gionis negocio officium explicans, inquit, Vbi uero " "   
diligentia sua nihil efficerit Minister, uel si periculu " "  
fit, ne oues morbidæ reliquum gregem inficiant, aut " "  
si hæresim suam docendo propagare incipient; ibi " "  
tempestuum est, ut potestate sua utatur Magistratus: " "  
qua pertinaces, & inquietos in ordinem cogat. Hæc  
Musculus: alij dicunt, Vbi uero diligentia sua nil  
efficerit Minister, Magistratui hæreticum accusato,  
eumq; comburendum suadeto. Sed si ciira sanguinis  
fusionem uoti nostri compotes esse possumus, quid est  
cur Christianam pietatem antichristiana sæuitia fö-  
dere oporteat?

Magistratus præterea contumeliosa in Deum uer-  
ba, ueras inquam, non analogicas, aut allegoricas bla-  
fhemias seuerissimè vindicato.

Si peregrinum aliquem cultum in urbē, aut pro-  
uinciam suam inuchi, idola fabricari, & ad cultum e-

## SECTIO QVARTA.

rigi senserit, deturbanda curato.

Pios ab impiorum iniurijs defendito. Publicæ in religione paci, & tranquillitatii studeo.

Omnia demum quæ æquitati, & Christianæ mansuetudini non aduersentur procurato, quibus haereticorum conuenticula, tumultus, seditiones, schismata, scandalum deuitari posse arbitretur.

Quod uero ad fidem attinet, Magistratus, si me uare uelit, ad id tantum cogere poterit, ut tormentorum cruciatu, aut mortis pauore impulsus, quæcunque uelit, credere, aut non credere fatear; sed, ut credam, aut non credam efficiet nunquam. Id enim perinde es set, ac si cæcum ut uideat, surdum ut audiat, mutum ut loquatur, claudum ut currat adigere uelis; & uidere, audire, loqui, currere non ualeant, igni, aqua, ferro, restat medio tollas. Sed Princeps ne hoc, aut hoc fiat iustis legibus prohibente, aut hoc, aut hoc fieri mandante, modò quæ interdicta, quæque præcepta sunt, à Christi doctrina non abhorreant, diuinæque dignitati, & glorie non detrahunt: unusquisque præstare et potest, & debet; quod si legis dictio audiens esse renuerit, ex lege ipsa haud iniuria coercetur: lege inquam quæ à Christiano Rege, non à barbaro Tyranno excoxitata, & condita fuerit.

Acone lib. 3. Cæterum sunt Acont. testante, quibus quiescente  
» gladio, protinus de religione omni actum fore uidea-  
» tur. Magna uero (ut ille inquit) fiat Domino iniuria,  
» si eum dormire sussicemur, neque sui populi illa cum  
» curam tangere, uel sine gladio Euangelium eum suu  
conser-

## SECTIO QVARTA. 228

conseruare non posse. Quasi uerbi nulla esset uis; ue-  
 rum Christianis omnis in ferro posita spes esse uidea-  
 tur. Quum taxen haud ignari simus, diuinum sermo-  
 nem uiuum, & efficacem esse, & quo quis ancipiti gla-  
 dio acutiorem, & penetrantem usq; ad diuisionem a-  
 nime, & spiritus, compagumq; & medullarum, &  
 animi cogitationum, consiliorumq; iudicem. Nam si cc  
 postquam (pergit Acon.) occupassent omnia Satanae cc  
 præstigia, ipseq; Satanæ rerum esset potitus, tamen cc  
 uerbi Dei tanta uis fuit, ut potuerit Satanam de fortis cc  
 simo munitionisq; suo Regno deturbare, iuane uero cc  
 defendendo Christi Regno ab hebetatis, confractisq; cc  
 iam Satanae iaculis nulla uis fuerit, nullum robur? Bo cc  
 no simus animo. Non dormit Dominus, sed uigilat. Si cc  
 in illo nostra posita sit spes omnis: si uerbo pugnaue-  
 rimus: si ciuii assidui spiritu (qui assiduis impetrandus cc  
 est precibus) diligenter prudenterq; uitatis Satanae cc  
 dolis ijs, de quibus adhuc diximus, egerimus; ne, quod cc  
 ab hæreticis timeamus nihil fuerit. Congrediatur cau- cc  
 te cum imposturis ueritas, ac tandem superior euadat cc  
 neceſſe fuerit. Proinde si quotidie sint, qui nouas mo- cc  
 ueant quæſtiones, nouas seruent lites, pastoribus obla- cc  
 trent, & negocium faciant; ueniat aliquando illud in cc  
 mentem cogitare. Quid sibi uult hic Satanæ? Euan- cc  
 gelicam scilicet oppugnatum uenit ueritatem. Sed cc  
 hocne autem solum? Quid si et hoc quidem agit, & cc  
 aliud forte quiddam adhuc maius? Ut uidelicet, nouæ cc  
 (et tua quidem opera) fundamenta iaciat Tyranni- cc  
 dis, quam aliquando in pios Dei seruos exerceat, ip- cc

## SECTIO QVARTA.

» sumq; prorsus delcat Euangelium, factus demum rerū  
» dominus? Age igitur: quid tu hic, qui studium hono-  
» ris Dei iactas? qui te euangelicam ueritatem tanti fa-  
» cere p̄te fers? qui totus Ecclesiæ commodis manci-  
» patus uideri uis? Quid inquam tu hic facies? Ibis sci-  
» licet, & tuas cum Satana coniunges uires? tuam ei lo-  
» cabis operam? Instrumenta, lapides, clementia suppe-  
» ditabis? Communis tibi cum Satanæ mancipijs erit su-  
» dor. Itâne uero, ut unius momenti declines molestias  
» adiutor iaciendis tanti mali fundamētis fueris? Quid  
» si id etiam agit, ut à quibus armis sibi maximè timet,  
» ea tibi è manibus extorqueat, & ad ea prouocet, quæ

Idem ait Bren. nihil formidat: imò uero, quæ planè contemnit? Certe  
tius sup.

autem ferrum, & id genus terriculamenta ille ne pili  
» quidem facit. Nihil est autem, quod timeat magis, cui-  
» que resistere nūnus possit, quam Dei uerbum. At uero  
» si semel illud obnuerint pastores, ut quisquis mutire  
» quid ausus fuerit protinus sit accersendus carnifex,  
» qui solo gladio omnes soluat nodos, quod deinceps  
Et id: quoque magnum sit diuinarum literarum studium? Certe non  
sup. Brentius magnopere sibi opus esse intelligent: poterunt enim  
id: quicquid somniauerint misero popello obtrudere, &  
» suum nihilominus tueri dignitatis locum. His uero artibus, hoc potissimum instrumento papistica religio  
tam longè, lateq; est propagata: his inquam tot misera-  
biles abusus, falsa dogmata, impios cultus, innume-  
rasq; puræ doctrinæ corruptelas anteactis ætatibus  
in Ecclesiâ Antichristus inuexit: ubi populorū igna-  
ra simplicitas, malè suasa, ac seducta, moruſera imbi-  
bit

bit uenena. Quod si quis diuino edocet spiritu ueritatem agnouit, aut miserae traditus est neci, aut poenae formidine mutat canis euasit, & agnitam ueritatem silentio iniuolues falsis ac diabolicis inuentis obuiam ire non est ausus. Quocirca, Vnde nobis ait Acont: si Id: Acont: hoc, quo uno, & pugnare nobis licet, & uincere " semper possumus, abiecerimus telum. Aclum sit. Nam, " Bulling: etiam testante, Euangeliu expellitur, expul. Bull. Act. 8. gnatur q; huius seculi princeps. Et paullo post: Duo <sup>163.</sup> itaq; in hac lucta certantes contra haereticorum, dia- " boli, & Mundi incurstiones solantur; potentia, & " presentia Dei, & uerbum ueritatis. Agite ergo, o fra- " tres, fidamus omnipotenti Deo, iniuocemus eius auxi- " lium, iniuitamur uerbo illius; & procul dubio uince- " mus. Porro nisi Dominus asseruet domum, frustra ui- " gilat, qui custodit eam. Quid melius, quid uerius dici poterat? Id quod (ut superius ostendimus) Luth: quo- " que agnouit, quem dixit, Dei uerbo hic res est agen- " da; quo si nihil proficiat, frustra mundana uis adhibe- " bitur, etiā omnia crux replecantur. Et ibid: Quod " si Deus non facit, manet perpetuo infeculum. "

Ceterum Acont. tacite occurrens obiectioni, At Acont. enim inquies (subdit) quorundam adeo impertuna, " adeoq; intolerabilis est, cum impudentia, tum rixan. " di libido, ut necesse sit alijs quam solius uerbi armis " coerceri. Vis dicam quid istud sit? Profecto non a- " liud, quam si dicat miles quispiam, & uero is miles, " qui militari uirtute antecedere sibi omnes uidetur: " adeo strenue, adeo gnauiter suum pugnare hostem, ut " abidere

## SECTIO QVARTA.


» ab ijcere sibi hastam necesse sit, eiq; obtemperare. O  
egregium militem. Quid enim aliud faceret Satanás,  
quam ut egregiè perditos summitteret homines, qui  
Dei seruos irritarent, & improbissimè quidem irri-  
tarent? Ergóne, quia illi strenuè Satanae rem agerent,  
nos quod maximè uolebat Satanás fecerimus? Illud  
inquam maximè agit Satanás, ut nobis hoc uerbi te-  
lum extorqueat, nosq; alio muniti armorum genere,  
quod ipse cōtemptui habeat, in certamē descēdamus.


Nostrum igitur erit hunc uerbi Dei gladium mor-  
dicus tenere: hoc uno aduersus omnes sacrosanctæ  
Christianæ religionis hostes decertare, hoc uno Satana-  
nam ipsum, eiusq; emissarios iugulare. Ea uero arma  
deponere, quæ ab eo non solū contemptui haben-  
tur, sed in peccata nostra miserabili clade retorquent.

At quum sit tandem perorandi locus: pius, ac pru-  
dens Magistratus, scripture oraculis, ac preceptis e-  
doctus, Dei gloriæ studio impulsus, charitate in fibi  
subditum populum inflammatus, & iobonus pastor  
ouium salutis percupidus: quum primum optimis pa-  
scuis eas abundare curauerit, benè ualentes deinde  
conseruari, ægrotis mederi, non igni, aut ferro, sed  
pharmacis, & antidotis Dei uerbo institutis diligen-  
ti studio satagit. Omniq; demū scutitia exutus, Chri-  
sticq; mansuetudine induitus, fidei errores sanæ doctri-  
næ gladio, ab ijs qui eum gestant necados procurato.  
Omnia aut in summi patris nostri cœlestis Dei glori-  
am: cui semper laus, honor, & imperium, per Chri-  
stum filium suum & Dominum nostrum. Amen.

J. 15. 5.

ANNO.





8921

